


EXERCITIVM PERFECTIONIS, ET VIRTVTVM RELIGIOSARVM,

AVTHORE
R. P. ALPHONSO RODERICIO,
Vallisoletano, Societatis IESU
Sacerdote,

Ad eiusdem Societatis Religiosos directum.

PARS TERTIA:

AGIT HÆC DE VIRTVTVM AD Statum Religiosum spectantium exercitio, & rebus alijs ad perfectionem consequendam mirè conducentibus.

PERMISSV SVPERIORVM.

Accesserunt Indices novi & industriæ.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Ioannem Antonium Kinchium,
ANNO M. DC. LVII.

TRACTATVS VIII. PARTIS TERTIÆ.



Ad Lectorem.

TAmetsi in prima & secunda operis huius parte, materias tractavimus, ad religiosam vitam & institutum accommodatas; eas tamen quæ propriè & ex professo ad Religiosum spectant, nec non alias, quæ permagno nobis ad finem & perfectionem, quam in Religione profitemur, consequendam adiumento erunt, in hac tertia singillatim & magis in particulari deducimus. Vnde ei etiam titulum damus, Exercitium perfectionis & virtutum Religiosarum. Hæ ipsæ tamen ita dispositæ & declaratæ sunt, ut & alteri cuilibet, cui propositum est virtutibus & perfectioni animæ suæ assequendæ incumbere, conducere queant. Etenim primus Tractatus, qui de instituto & fine Religionis nostræ est, materias complectitur generales, uti sunt, bonæ vitæ exemplum, zelus salutis animarum, insignis de nobis ipsis diffidentia, & singularis de Deo fiducia ac spes. Pari modo ipsa alienæ vitæ correctio, & ut ipsi corrigamur ab aliis desiderium, tum conscientiæ suæ tam proprio Confessario, quam Patri spirituali (si quidem is sit diversus) patefactio (quibus de materiis in aliis tractatibus singillatim loquimur) ad omnes omnino homines pertinet. Et generatim reliquæ virtutes, de quibus hac in parte nobis est sermo, in omnibus hominum statibus locum habent, partim superfluitates, ad quas contraria vitia inclinant, resecando, partim illas pio ac virtuoso voluntatis affectu possidendo, quando per particulares status, quo quis fungitur, obligationes ipso opere exequi prohibetur. Equidem in Domino confido, fore, ut si quidem Religiosus eas legerit, se excitaturus ipse sit, ad, maiore cum fervore & diligentia, quæ statui & professioni suæ conformis sit, vivendum; sæcularis verò, quantum id vitæ status & conditio patietur, se sit ad illius exemplum imitandum exstimulaturus: ita fiet ut ambo quotidie aliquod in fervore spiritus, incrementum sint facturi, & sincerius affectuosiusque Deo Opt. Max. servituri.

Alphonsus Rodericius.

TRACTATVS PRIMVS,

DE FINE
Et
INSTITVTO
SOCIETATIS IESV,

DEQVE MEDIIS ALIQVOT AD eum consequendum peropportunis, quæ omnibus in genere hominibus possunt deseruire.

CAPVT PRIMVM.

Quis Societatis Jesu finis, quod institutum.

Duplex est finis à Societate intentus.

1. ATtende tibi & doctrinæ; insta in illis; hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. In his duabus rebus, quas hoc loco affert Apostolus, finis & institutum Societatis nostræ continetur; prout id cùm è nostris Constitutionibus, tum Bullis Apostolicis colligere est, in quibus legimus: *Finis huius Societatis est, non solùm saluti & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare; sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere.* Notanda autem vocula *impensè*, quæ quandam vehementiam, efficaciam, feruorem & intensionem denotat. Exigit ergo Societas IESU homines, qui cum feruore quodam, contentione, intensoque studio, vocationis suæ finem consequi procurent. Vbi notandum est, quemadmodum non salus solùm nobis curæ esse debet, verùm etiam cum salute plena vitæ perfectio; ita ex instituto obligari nos, procurare non solùm vt proximus saluetur, sed etiam vt in virtute ac perfectione quotidie proficiat & crescat. Vnde etiam à P. N. Generali Claudio monemur, operam dare, non tam ut magnum pœnitentium numerum habeamus, quàm ut ii quos habemus & diri-

2. Timoth 4. 16.

Cap. 1. Exam. §. 1. & reg. 2. Summarii constit.

Claud. Aquaviva in Instruct. pro Confes. num. 10.

dirigimus, magnos in virtutis studio faciant profectus. Nam, qua diligentia, & sollicitudine in proprium profectum & perfectionem incumbimus, eadem quoque proximi profectum perfectionemque nos curare oportet.

2. Hunc in finem fuit Societas exulceratissimis & desperatissimis hisce temporibus excitata. Videbat S. P. N. Ignatius, Ecclesiam Dei vna ex parte Religiosis Ordinibus, proprio profectui, choro & cultui divino ex toto vacantibus instructissimam: ex altera verò illam ab hæresibus, peccatis & afflictionibus fractam debilitatamque gemere. Hac de causa, à Spiritu sancto inspiratus & impulsus, hanc Religiosam cohortem, & sacrorum militum congregationem instituit, ut instar levis armaturæ equitum (ita enim vocare ipse solebat) semper parati atque expediti stemus, tum ad hostilem impetum ac vim repulsandam, tum ad fratres nostros, sicubi laborant, pro virili tuendos & adiuvandos. Hanc ob causam nos à choro, & id genus officiis atque observantiis, quæ hoc nos in fine impedire possint, liberos & exemptos esse optavit, *Quoniam messis quidem multa, operarii autem pauci.*

Ordo quisque in suo genere florens Societas Iesu in zelo animarum subsidium ferens.

Lib. 3. Vitæ cap. 16.

Matt 9. 37. Luc. 10. 2.

3. Quomodo ergo ipsi otiosi & siccis oculis videbimus, noster ut proximus pereat, in exitium ruat, atque in infernales carceres detrudatur, cùm nos & succurrere illi, & exitium avertere possimus? Quam rem S. Chrysostomus deplorans ait: Si quem cœcum in foveam præcipitem abire vides, ilicò ex commiseratione, manu porrectâ eum prohibes à periculo; cũ ergo fratres nostros quotidiè, in propinquo ad infernalem abyssum præcipitandi periculo, agere videamus, quomodo nos ipsi continebimus, quin auxiliarem manum iis porrigamus?

Zelus animarum est assumendus à Societat. Hominibus.

Homil. 6 ad popul.

4. Sic in historicis Ecclesiasticis legimus, etiam Anachoretas, quos ad solitudinem colendam Deus vocarat, cum Ecclesiam Christi à tyrannis & hæreticis divexatam, fideles autem doctrinæ & opis indigos cernerent; ad tempus quiete sepositâ, eremo egressos per vrbes circumcursasse, partim hæreticos confutando, partim Catholicos tum instruendo, tum ad mortem constanter pro fide oppetendam animando.

Eremitæ etiam zelum animarum assumpserunt in necessitate.

5. Sic fecisse legimus *Magnum Antonium* temporibus Imperatoris Constantini, necnon alium virum sanctum, *Acepsemam* nomine, qui sexaginta ipsis annis antea reclusus, nullum mortalium viderat, vel convenerat; necnon alios permultos. Quorum unus *Aphraates* nomine, egregium quoad hoc Imp. Valenti Ariano responsum, ac simul facti sui rationem dedit. Mandarat hic Imperator, Christianos eiici non è templis solùm & civitatibus, verùm etiam montibus, quia in illis suas hi instituebant supplicationes, hymnos cantabant, Deumque laudabant. Sanctus ergo hic vir, quietem propriam saluti posthabendo alienæ, speluncâ (in qua morabatur) relictâ, gregem Dominicum laboriosè ac fideliter pascere & curare cœpit. Hæc agere dum naviter pergit, quadam die Imperatoris palatium pertranseuntem quidam de curialibus conspicatus, *En, ait, iste est Aphraates, cu-*

Exemplum

Euseb. p. 2. lib. 6. c. 3.

Monachi publico abstinent. nisi salus proximi aliud exigat.

ius tanta est apud Orthodoxos authoritas & nomen. Advocari eum jubet Imperator, rogatque, quò iret. Cui vir sanctus. Oraturus abeo pro imperii tui incolumitate. Subinferenti Imperatori, satius te foret intra privatos parietes orare, ut monachi solent; respondit Aphraates: Par quidem id esset, Imperator, uti ipse dicis, si modò id per te liceret; & sic toto feci tempore, quo Christi ovibus pacificè & quietè pascuis suis frui licuit: at modò, cùm hæ in præsentissimo versantur periculo, ne à lupis abripiantur & devorentur, omnia me loca percursare & obire necesse est, quo discrimini & exitio eas subducam. Dic quæso mihi Imperator: Si qua virgo tenella in thalamo desidens, & in quiete operans, domum paternam ab incendio omnia depopulante vastari videret; quid eam hoc in casu facere debere iudicares? An otiosè quiescere, & eo quod molli educationi assueta, in hac domus paternæ perditione dissimulare, eamque negligere; an verò aquam igni extinguendo conquirere? Dices (credo equidem,) postremum illud rationi congruentius atque æquius fore. Ita se res habet, Imperator, in hoc facto meo, quia enim tu sacrilego molimine in patris nostri cœlestis domum ignem, iniecisti, ideo nos, qui hactenus in solitudinis umbra quievimus, anxii & trepidi currimus, imminens periculum aversuri, incendiumque ortum extincturi.

Simile non esse dissimulandum in periculo proximo

Aliud simile: Nauta nautæ succurrit, & nos invicem negligemus?

6. S. Ioannes Chrysostomus Homilia de cura salutis alienæ aliâ eaque non ineleganti, comparatione idipsum declarat. Etsi nautæ, inquit, qui mare hoc magnum & spatiosum navigant, secundissimo vento ferantur, & ab omni periculo absint; si quos tamen in naufragii; discrimine versari, etiam procul dissiti, videant, alienæ saluti propriam utilitatem ac quietem post-habentes, & eorum commiseratione moti ad illos properè adnavigant, & iam vicini, suas in navim illorum anchoras iaciunt, vela contrahunt, uncos, rudentes & tabulas proiiciunt, ut qui iam pereunt, aliquod horum arripientes, salutem inveniant. Hoc ipsum, inquit, nos par est imitari: omnes quippe in vasto & spatioso vitæ huius præsentis pelago, in quo multi fluctus, tempestates, scopuli & vada occurrunt (unde & plurimi naufragio pereunt) navigamus. Cum ergo quempiam in maris huius undis & tempestatibus periclitari, & iam fundum petere & mergi videbis; quamprimùm, negotiis tuis sepositis, proximo, qua potes, opitulare, incipientis enim mergi necessitas, dilatiouem haud patitur.

7. Ad hoc ergo, calamitosis hisce temporibus, Societatem Iesu Deus Opt. Max. maxima sua providentia & singulari clementia excitavit, ut particulari Ecclesiæ necessitati auxiliaretur & opem ferret. Ecclesiasticæ historiæ Scriptores solerter notarunt, & observarunt, quo tempore in Anglia natus est Pelagius, ut suis orbem erroribus perverteret & obscuraret, eodem in Africa exortum esse fulgidum illum Ecclesiæ solem Augustinum, qui radiis & iubare doctrinæ suæ, perversi & scelesti illius hæretici tenebras dissiparet. Sic & rectè observat auctor Vitæ S.P.N. Ignatii, quo anno infernale illud monstrum Martinus Lutherus, depositâ iam simulationis larvâ, palàm & apertè Wormatiæ in Comitiis ferale Catholicæ Ecclesiæ bellum denunciare cœpit, suas blasphemias & hæreses per Germaniam spargendas (anno, inquam, partæ salutis Millesimo quingentesimo vigesimo primo)

Societas Iesu opposita est Luthericis, uti Pelagianis Augustinus & Augustiniani.

P. Ribadeneira lib. 1. cap. 18. Vitæ B. P. Ignat. Cochleus. Surius Flor. Ræmondus & alii.

con-

B. Ignatius & Luther. simul capere, sed dispari, gressu.

concipere per sui nocturni magistri disputationes; eodem anno Ignatio in arce Pampelonensi crus, Deo permittente, glande traiectum fuisse, ut hac ratione eum saluti restitueret, & è milite devio & vano suæ sacræ militiæ crearet ducem, Ecclesiæque suæ contra nefaria Lutheri molimina protectorem & antesignanum constitueret. Vt hinc mira Domini, tum providentia tum clementia appareat, cui semper solenne fuit, Ecclesiæ summè laboranti, & in maximis necessitatibus ac periculis constitutæ, nova auxilia novasque suppetias submittere.

Sic S. Dominicus & Prædicatores Albigensibus; S. Franciscus aliis oppositi.

8. Idem auctor hoc ipsum argumentum egregiè & pluribus eo loco prosequens, ostendit, cùm Albigenses aliique hæretici, effusis habenis impotenter, Ecclesiæ Dei pacem turbarent, & vitiorum scelerumque urticæ iam invalescẽtes bonam sementem, quam cœlestis ille seminator & paterfamilias seminarat, tantùm non suffocarent & opprimerent; tum clementissimum Deum duos illos Seraphinos & cœlestia luminaria, SS. Dominicum, inquam, & Franciscum, orbi labanti fulcimentum futuros, submisisse, ut, partim per se partim per filios & discipulos suos, hæreses suppullulantes refellerent, errores eradicarent, peccata de mundo tollerent, mores depravatos ac deformes reformarent, & admirabili vitæ exemplo splendoreque doctrinæ, universum terrarum orbem illuminarent & sanctificarent: quemadmodum & sancti hi viri reipsa id in vita præstiterunt, & eorum filii, usque modo, indefesso conatu faciunt.

Militares ordines hostibus Ecclesiæ oppositi.

9. Ac sicut Militares & Equestres Ordines Deus optimus maximus eo tempore in Ecclesia excitavit, quo, quod ab inimicis suis opprimeretur, arreptis armis vique externa defendenda erat; ita & de reliquis Religionibus est æstimandum eas singulari fero vineam Domini depascenti oppositas fuisse, & demum istam, de qua in præsens loquimur, Societatem. Nam quo tempore cœpit Lutheri hæresis, quæ obedientiam Summo Pontifici abjudicabat, divinissimi Sacramenti altaris veritatem subvertere cuniculis & confessionem Sacramentalem palam oppugnare ausus fuit; eo ipso Societatem IESU Deus excitavit, maximè cum plures ex illo uno Magistro hæresum Magistri pullularent.

Obedientiam Summi Pontificis, SS. Sacramenta. Altaris & Confessionis odêre hæretici, urget Societas.

10. Isti Societati imprimis propositum est, Christi Vicario obedientiam præstare, ut cuius Professi peculiari quodam voto ad hanc ei præstandam se obstringunt; cuique nihil magis curæ est, quàm sanctissima hæc Confessionis & Altaris Sacramenta publicè asserere, atque ad eorundem usum frequentiorem, morumque correctionem plebem Christianam exhortari. Atque ut Generalis alicuius exercitus præfectus, cùm iam acies invicem commissæ confligunt, ex eminenti aliquo loco pugnæ eventum ac vicissitudinem cum attentione speculatur, &, sicubi suos periclitari conspicit, quantocyùs eò suppetias auxiliares destinat; modo ad dextrum aciei cornu levis armaturæ equitum alam, modò ad sinistrum turmam aliquam sclopetariorum submittendo: pari modo Redemptor noster Christus, genera-

Simile.

lis

lis militiæ Christianæ Ductor & Dominus, semper hactenus, è summo cœlorum vertice, Ecclesiæ suæ necessitates dispexit; &, prout eam opus habere vidit, ita Doctorum suppetias, & auxiliares Religiosorum Ordinum copias, ad exercitum suum restituendum reparandumque ei subministravit. In quo singularis Domini providentia & misericordia, uti dixi, mirificè relucet, qui cum manu unâ plagam infligi permittit & sentit, alterâ medicamentum offerri procurat.

Hæreticis, Gentilibus & Christianis debitores sumus.

II. **II.** Hinc ergo liquet quis Societatis huius finis sit & institutum, & quam necessarium sit ei zelo animarum sese impendere, cum ad eum procurandum Deus illam excitaverit & nos in eundem adlegerit vocando, uti in Apostolica ejusdem confirmatæ Bulla videre est; nimirum *ut fidem Catholicam inter hæreticos propugnemus ac tueamur; inter Ethnicos ac Gentiles propagemus & dilatemus; inter Christianos denique bonis operibus naviter exercendis conservare studeamus.* Fiat. Fiat.

Caput II.

Quàm sit hoc animarum convertendarum studium excellens, quantique meriti ac valoris.

Zeli animarum præstantia testimoniis roboratur.

1. HOc saluti animarum incumbendi propositum tam sublime & eximium est, ut propter hoc unum ipse unigenitus Dei filius cœlo descenderit, & homo factus sit: atque illud ipse opere executurus, Apostolos selegerit, eos è piscatoribus brutorum piscium piscatores hominum constituendo. Hoc probe intelligens Theologus ille S. Dionysius Areopagita non dubitavit scribere: *Omnium divinorum operum, divinißimum est cooperari in salutem animarum.* Et magnus Chrysostomus. *Nihil ita gratum est Deo, & ita curæ, ut animarum salus:* docente nimirum & palàm asserente Apostolo, *Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et Ezechiele Propheta, *Nunquid voluntatis meæ est mors impii? dicit Dominus Deus: & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Omnes enim vellet Deus salvari & converti: proinde qui ei hoc in opere cooperatur & adjuvat, rem præstat omnium, quas homo hac in vita agere potest, excellentissimam, Deoque gratissimam.

De cœlest. hierar. c 3. Hom. 3 & 40. super Genes. 1. Tim. 2, 4. Ezech. 18.23.

Dignitas zeli animarum exaggeratur comparatione aliorum magnificorum operum.

2. *Etsi*, ait Chrysostomus, *immensas pecunias*, universas Salomonis opes, omnes Crœsi thesauros, *pauperibus eroges plus tamen effeceris, si unam converteris animam.* Et S. Gregorius, *Maius*, inquit, *est miraculum prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quàm carne mortuum suscitare.* Quin imò maius illud est, plurisque à Deo ducitur, quàm cœlum terramque condere. Id ita esse patet ex rei utriusque impendio: cœlos enim & terram creare, pluris Deo non constitit, quàm verbum unum proloqui: *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Sed animarum salvatio maiori fuit pretio comparanda: non enim verbo, sed sanguinis & vitæ impendio ei stetit.

Hom. 3. in 1. ad Corinth. Lib. 3. Dialog. 17. & hom. 29. Gen. 1. Psal. 32. 9 Psal. 148. 5

Christus D. N. diligitur à Patre ob zelum animarum.

3. Quanti porro apud Deum pretii & valoris sit, totum animarum se conversioni impendere, apertè declarat Ioannes Evangelista, aut ipse potius

tius Christus, verbis iis quæ de seipso locutus est, dicens, *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam* pro hominibus, *ut iterum sumam eam*, ut & ipsi resuscitentur, mecumque in perpetuum vivant. Notant hoc loco Patres, non dixisse Dominum (ut quidem posset,) *propterea me diligit Pater, quia in principio omnia per me creavit*; sed propterea se à Patre diligi, quòd vitam pro animarum salute exponeret: ut hoc pacto nos doceret, nullum hoc ipso opus Deo esse acceptius. Eodem quoque in sensu exponit S. Thomas id, quod antè paulò idem Dominus de se dixerat: *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis*; asserens, non solùm eum dicere voluisse, *Ego cognosco Patrem plena cognitione, sicut ipse novit me*, quia id jam antè dixerat (uti ex undecimo S. Matthæi capite videre licet, ubi ait, *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius*) verùm etiam Christi verba illa tendere, ulterius, nimirum ut illis indicetur hoc, quod est usitatum in hoc mundo, apud bene moratos filios boni parentis, quorum aliquem si roges rationem eius quod agit, respondet, *Ego cognosco Patrem*; perinde ac si diceret: ego eius placitum, lubitum ac voluntatem penetravi, & ideo ago hoc, quia pervidi placere valde meo parenti.

Ioan. 10. 17. — Ioan. 10. 15. — Matt. 11. 27.

4. Hoc sensu plane dixisse Christum, quod nosset ipse Patrem, nempe propensionem eius summam in salutem Hominum omnium, atque eo sensu eundem Christum Redemptorem non multo antè dixisse, se, *sicut bonum pastorem pro ovibus suis animam positurum*; idipsum jam, tamquam rogatum (cur vitam tuam tam pretiosam pro re tam vili & exigui momenti offers?) respondendo efferre: *Ego agnosco Patrem*: quasi diceret, *Ego Patris mei voluntatem & lubitum, quin & eius erga oves has amorem perspectum habeo; hinc meam ipse vitam libenter pro iisdem impendo; quòd hanc Patris mei ardentem voluntatem esse sciam.*

Christus redemit animas, quia illas diligebat Deus.

Ioan. 10. 11.

5. Hoc ipsum ergo & nos permovere debet, ad libenter nos totos in animarum salutem impendēdos, quod scilicet, noverimus Dei id velle & beneplacitum esse, eumque qui huic operi se devovet, divinæ maiestati percarum esse, ab eaque unice amari. Ad hoc quoque propositum expendit Chrysostomus id: quod Redemptor Iesus S. Petro aliàs dixit, cum tertiò rogans, num se diligeret? tertiò etiam ei respondit: *Si diligis me plus his pasce, pasce agnos, pasce oves meas*: quasi ei diceret, Amorem illum, quo te in me ferri dicis, volo opere exequaris, & reipsa ostendas, meque in hoc salutis animarum, quas sanguine ego meo asserui, negotio adjuves.

Hoc Christi D. N. motivum etiam nos debet stimulare ad zelum animarum.

Serm. de B. Philogono, & de Nativit. Dom.

6. Adhæc, operis huius excellentia & sublimitas, quamque Deo id sit acceptum, etiam ex ingenti, quæ ei respondet, mercede & corona perspici poterit. Rei hujus testis erit primò ipsemet Christus: quem ob hoc opus, quòd videlicet vitam pro hominum salute exposuit, Apostolus à Patre ait exaltatum, glorificatum, & super omnia creata elevatum. *Propter quod* (inquit,) *& Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terre-*

Maxima merces zelo animarum paratur, ut patet 1. in Christo D. N.

Philip. 2.

terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Idem

Ps. 109. 7. quoque de eo testatur Psalmista David; *De torrente* (inquit) *in via bibet,*

Isa. 53. 10. *propterea exaltabit caput.* Et Isaias Propheta, *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Quia, inquam, pro peccatoribus vitam exposuit, & magnos eorum causa labores perpessus est, propterea eum Pater æternus adeò exaltavit & glorificavit.

Iac. 5. 20. Greg lib. 19. Moral. c. 11. *Patet id 2. ex simili excitantis mortuum.*

7. S. Gregorius exponens illa Apostoli Iacobi verba, *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*; ait, si, qui hominem à corporali morte liberat, tametsi non hodie cras tamen moriturum, magnam mercedem & præmium meretur; ecquod ille præmium & coronam merebitur, qui animam à morte sempiterna vindicat, & causa est ut in æternum gloria cœlesti fruatur, nunquam ut ea possit excidere?

Patet idem 3. ex speciali aureola Doctorum. Eccli. 12. 3 Dan 12. 3. Ier. 15. 19.

8. Hinc S. Scripturæ satis non fuit, dicere, eos qui Christum aliis prædicant, & proximum viam salutis edocent, vitam æternam adepturos (*Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.*) nisi insuper adderet, *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates*; & in cœlo ceu soles quidam & Lunæ micabunt. Et per Ieremiam Prophetam ait Deus: *Si separaveris pretiosam à vili*, animas, inquam, quas ego tanti facio, à peccati vilitate, sordibus & scoria segregaveris; *quasi os meum eris.* quod tantundem valet, ac id quod vulgò dicimus, Oculis ipsis mihi erit iste carior. Quid vero oculis nostris plus amamus? utique os, quoniam sine oculis vivunt multi, sine ore vivere naturaliter non possunt. Tali ergo modo afficitur Deus erga eum, qui animarum conversioni, & à peccatis aversioni, quoquo modo insistit, ut *os Domini* (Dignitas concionatorum quanta!) dici mereatur.

9. Anima siquidem pretiosum quid est in oculis Dei; hinc animabus succurrere & mederi, tanti ab eo fieri solet, S. Catharina Senensis, si quem concionatorem per plateas incedentem cerneret, ilicò domo egrediens, vestigia & locum, quem is pedibus calcarat, magno pietatis sensu osculabatur. Rogata verò cur hoc faceret; respondit, Deo revelante, se didicisse, quanta esset animarum in gratia Dei agentium pulchritudo & decor: hanc ob causam tanti se facere, & felices ducere eos, qui earum conversioni insisterent, ut, quem illi pedibus pressissent locum, ei os ipsa suum infigere, & terram quam calcassent, deosculari non detrectaret.

Dei adiutores sumus, zelo animarum vocandi.

10. Ad hanc porro nos dignitatem & altitudinem Dominus evexit, quando nos ad Societatem vocavit & traxit, hic noster est finis & institutum, ut, nimirum, Dei in re omnium altissima ac divinissima, ipsa (inquam) animarum salvatione, simus cooperatores. Unde & ait Apostolus, *Dei enim adiutores sumus*; &, *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* quanta vero in hoc non est dignitas! Est hoc officium Apostolicum; officium quoque, ob quod ipsemet Deus de cœ-

1. Cor. 3 1. Cor. 4.

de cœlo, descendit, ac sanguinem suum vitamque impendere non dubitavit; officium denique propter quod etiam filii Dei vocamur. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

[Matth. 9.]

11. Qui enim hujusmodi sunt, veri sunt pacifici, quos ideo beatos esse ibi Evangelium pronuntiat, quod filii Dei vocabuntur. Nam S. Hieronymus, Theophylactus, & alii ejus loci interpretes, pacificos vocandos censent, non eos tantùm qui secum ipsi pacem habent domitis jam & expugnatis passionibus; vel qui pacem inter proximos conciliant; verùm & illos, qui pacem & amicitiam Deum inter & homines faciunt, doctrinâ, inquam, suâ peccatores convertendo, eosque Deo reconciliando. *Beati* ergo hi *pacifici*, quia *Dei filii vocabuntur.* Hoc enim ipsius filii Dei officium ac munus fuit. Vnde de eo ait Apostolus: *Pacificans per sanguinem crucis eius, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*: neque enim aliquam ob causam Dei filius de cœlo descendit in terram, quam ut homines Deo reconciliaret, pacemque & amicitiam inter Deum & homines faceret. Hinc etiam illi recèns nato accinuerunt Angeli. *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

[*...ifici ...t qui ...em in- ...Deum ...pecca- ...con- ...iant.* ...ieron, Theo- ...hyl.]

[Colos. 1, 20.]

[Luc. 2. 14.]

12. Hinc porrò, ad utilitatem nostram elicere possumus, imò debemus documenta quædam vitæ nostræ ac conversationi utilia nimirum insignem erga ministeria nostra affectum & amorem, cùm ea adeò sint excellentia, ita Deo accepta, & proximo utilia. magnam nostri confusionem, quod nos Deus ad tam altum & sublime opus vocarit, cùm tamen ipsi eo indigni simus; quoniam cum ne quidem de nobis ipsis solis bonam reddere rationem possimus, Deus nihilominus aliorum præterea salutem & perfectionem nostras in manus consignavit. Quod autem ex hac nostri, ad animarum curam exaltatione, humilitatem exercere nos deceat, & non superbire vel aliis præferre, salutare & utile inprimis consilium est Viri Apostolici Francisci Xaverii, veterani militis, & hac in re exercitatissimi, quadam in Epistola ad Patres Fratresque Lusitanos missa illud suggerentis: Ait ergo: *Moneo vos, fratres carissimi, & dum munia & ministeria vestra honorabilia, quæ habetis, exercetis, & bonam famam atque opinionem, quam de vobis mundus concepit, recolitis, id nonnisi ad vos inde confundendos faciatis, iuxta illam Prophetæ sententiam, Exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus.* Idem quidam de primis nostris Patribus, scientia æquè ac virtute insignis P. Hieronymus Natalis, secutus est, qui cùm hinc eminentem illum Societatis finem consideraret, illinc verò seipsum intueretur, ita se ajebat confundi (nimirum suam insufficientiam, & ad hunc finem ineptitudinem videns) ut non solùm ob suam ad tam sublime munus vocationem non superbiret; verùm etiam graviter inde confunderetur, suique ampliùs humiliandi occasionem nancisceretur. Sic porrò & nos facere par est: & sic si fecerimus, nihil plane nobis oberit sublimis, ad quem evecti sumus, status, uti nec magnæ & præclaræ doctrinæ vel sanctitatis, quam de nobis mundani homines fortè conceperint opinio, nec honor denique,

[Documenta aliqua ... præd.]

[*Deus te exaltat, tu te humilia.* Ps. 78. 16.]

que, quem propterea nobis impendunt III. discamus hinc, proprio profectui seriò, ferventer, & ex animo incumbere: nam, ut cum proximo fructuosè agamus, eumque in perfectione promoveamus, solidum & ingens antè virtutum fundamentum jaciamus oportet, uti suo loco dicturi sumus.

Attende tibi & doctrinæ.

Cap. 4. & 5.

Caput III.

Propositum hoc omnibus in genere Sociis proprium est, unde & omnes, etsi Sacerdotes non sint, notabilem in eo partem habent.

Non ad solos Sacerdotes pertinet in Soc. Iesu zelus animarum, sed etiam laicos.

1. QVoniam verò non nemo animo cadere & contristari fortè posset, sibi persuadens, eum, quem diximus, finem ad solos Sacerdotes, qui confessiones excipiunt, populum pro concione docent, & id genus functiones immediatè circa proximum obeunt, spectare; hinc ad eorum qui in officiis temporalibus & exterioribus societati famulantur & adjuvant, consolationem, paucis hoc loco demonstrabimus, finem hunc & studium, ad omnes omnino qui in Societate agunt, non ad solos Sacerdotes & scholasticos, pertinere: ut scil. omnes norint, ad quid labores ipsorum, quicumque demum ii sint, referantur, simul etiam eorum valor & meritum innotescat: itaque ad eosdem suscipiendos magis animentur.

Ratio cur etiam ad Laicos zelus animarum in Soc. Iesu spectet.

2. Omnes quotquot sumus, unum corpus, unam Religionem & congregationem constituimus; totius verò hujus corporis & congregationis finis is est, quem suprà diximus, nempe, *non solum sibi, proprioque profectui ac perfectioni, cum divina gratia intendere, verum etiam in salutem & perfectionem proximorum incumbere.* Vt autem hunc Religioni nostræ proprium finem consequi & adipisci possimus, necesse est alios esse Prædicatores, alios Confessarios, alios Professores, alios quoque Coadjutores, qui in exterioribus ministeriis coadjuvent, hoc autem præstant, qui sacris nondum sunt initiati, etiamsi nunquam iis sint initiandi.

Reg. 1. summarii Const.

3. Nam quemadmodum in bello, ad consequendam de hoste victoriam, necesse est alios in acie confligere, alios ad impedimenta manere: atque hi illis ad acriter confligendum, & victoriam referendam etiam auxilio sunt: nec minore digni præmio, quam qui reipsa manum conserunt; sed uti ait David, *æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident.* Et addit eo loco Scriptura: *Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & quasi lex in Israel usque in diem hanc.* Nec immeritò: quia simul omnes unum constituunt exercitum, & ad victoriam obtinendam tam hi necessarii sunt, quàm illi: neque enim illi præliari possent, nisi hi impedimenta pugnantium asservarent. Simili modo in nostro proposito se res habet: Omnes, quotquot sumus, unum corpus, unum exercitum, unam congregationem & aciem militum Christi, ad magnum istud animarum convertendarum opus, collectorum, constituimus: nec posset hic concionari, ille confitentibus aures dare, nec alius in schola docere, alius lectioni suæ incumbere, si non esset, qui temporalia curaret. Vnde qui hisce intendit, suo etiam modo con-

In militia variæ sunt functiones.

Alter alteri ibi est necessarius. 1. Reg. 30.

Fratres sunt Patrum Coadjutores.

concionatur, confessiones excipit, animas lucratur, & omnis victoriæ fructuum, qui colliguntur, est particeps.

Ser. 14. de Sanctis, primo de convers. S. Pauli.

Paulus vestes servando plus …uit, quàm lapidantes.

4. Quare egregiè S. Augustinus docet & verè, Paulum, vestimenta Stephanum protomartyrem lapidantium asservando, magis lapidasse, quàm alii omnes, quòd omnium unus ipse vestes custodiret. *Non satis ei fuit,* inquit, *suis eum manibus lapidare; sed, ut esset in omnium lapidantium manibus, ipse omnium vestimenta servabat, magis saviens omnes adjuvando, quàm suis manibus lapidando.* Si ergo in malo id locum habere constet, in bono potiùs locum habere dicendum est, cum ad remunerandum Deus sit, quam ad castigandum pronior.

Tom. 3. Epistolarum.

Omnia opera in Societate tendunt ad zelum animarum.

5. R.P.M. Avila in epistola quadam quam ad duos Sacerdotes, Societatem nostram propediem ingressuros, scripsit: ipsis, quamvis jam tum in sæculo gnavi operarii essent, & Societatem, quæ hoc ipsum ex instituto profitetur, ingrederentur: suadet ut de proximo immediatè per se juvando, non magnopere laborent, neve se inquietent, quòd ministeriis huc immediate tendentibus à superiore non applicentur. Cujus rei eam dat rationem, quam ipsi jam ante dedimus: *quòd quidquid in Societate fit,* inquit, *etiam lances lavare & tergere, est animarum conversio: quoniam verè Religionis hujus finis est, proximi animabus prodesse, & ab hujus conservatione & incremento, magnum earum commodum bonumque dependet; hinc quidquid ad hujus Societatis conservationem & augmentum dirigitur atque ordinatur, esto etiam abiectissimum sit, est animas convertere; ideoque magna id cum consolatione obeundum est.* Adeò ut (quoniam corporis hujus & Religionis membra omnes sumus) quisque, officium & ministerium suum ritè obeundo, ad fructum & utilitatem quæ in ea fit, concurrat & cooperetur, ac proinde de omnibus conversionibus bonisque operibus; quæ in universa Societate fiunt, suo modo participet.

Coadiutores sunt participes omnium bonorum quibus cooperantur.

6. Quod expresse de Coadjutoribus temporalibus in Constitutionibus suis S.P.N. declarat, & in eorundem Regulas est relatum. Quare suo quisque officio meritò contentus, & quietus esse debet, imò ut singulare Dei beneficium interpretari, quòd corporis hujus Societatis, in qua Deo tam optabilis cultus exhibetur, & animæ ita impensè juvantur, membrum sit. Quidquid ergo in Societate fit, secundum ejus Spiritum & institutum, id omne est animas convertere; etiam coquum, janitorem, æedituum, &c. agere, quia finis ejusdem est animas convertere; hinc ulterius intelligitur quod etiam quicumque Societatem aliquatenus adjuvat & cooperatur, huic fini cooperetur.

Alia demonstratio quod Laici zelum animarum exerceant.

7. Ostendam id adhuc multò evidentiùs: si enim soli illi qui prædicant, confessiones audiunt, & immediatè cum proximo agunt, hanc sibi gloriam vindicarent, illisque solis omnis attribuendus esset fructus, qui in proximo fit; magnam sanè præ aliis Superiores in Societate, dolendi conquerendique occasionem haberent: hi enim minùs quàm reliqui, particularibus his ministeriis possunt intendere, putà Generalis & Provinciales; qui satis quod

agant habent, dum provincias suas visitant, ad litteras missas respondent, negotiaque occurrentia debitè pertractant, ut illis, ad bono commodisque proximorum intendendum nullum tempus supersit. verum tamen indubitato Superior ad proximi salutem conversionemq; animarum plus confert suo officio rectè fungens, & super operarios suæ curæ concreditos vigilanter excubans, ut suas quique partes ritè & prout oportet exequantur; quam si idem suo officio posthabito ut aliquis de turba, confitentibus aures daret, concionesque ad populum haberet &c. omnia perageret.

Architectus & dux plus præstat quam operarii & milites gregarii.

8. Quemadmodum enim operis cujusdam præfectus & superintendens, dum advigilat, ut omnes munia sua debitè legitimeque adimpleant, plus præstat, quam privatus aliquis operarius: & ut; dux in bello plus facit, dum suis agenda cavendaque præscribit, quàm si veluti gregarius miles manum cum hoste consereret; imò verò solus facit id, quod omnes; quia omnes, uti anima morali in corpore, adjuvat ac dirigit: unde etiam ei uni victoria ascribitur. Ad eundem modum apud nos, is qui sacrarium curat, qui janitorem agit, qui alia officia domestica obeunt, non minùs animas convertunt, quàm aut Concionator, aut Confessarius; quòd ad hoc his illi opem præstent; dum illorum onus alleviant, quo in hisce ministeriis per se ipsi commodè se occupent, quibus alioquin minùs vacare & intendere valerent.

9. Hoc est, esse unum corpus, & omnes esse corporis hujus membra. Quemadmodū corporis unius membra, non idem omnia officium habent, sed suum quæque proprium: & sicut, quo quodque membrum fungitur officio, non eo sibi soli fungitur, sed pro toto homine: neque enim pedes propter se solos ambulant, nec sibi soli manus operantur, nec os pro se tantùm comedit, sed propter totum hominem: atque ita de cæteris: pari modo in hac mystico Religionis corpore res habet.

Vnius corporis plura membra: omnia se invicem iuvant; sic personæ unius ordinis.

Item personæ Ecclesiæ totius, quæ varia habent officia

1. Cor. 12.

10. Vtitur hac eadem similitudine & comparatione Apostolus, etiam ad eundem finem, dum de Ecclesia Christi loquens, *Sicut*, inquit, *corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa; unum tamen corpus sunt. Nam si dixerit pes, Quoniam non sum manus: si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, num ideò non est de corpore*, & ejusdem membrum? an non id ita fieri oportuit? Nam *si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit*, & ita, ut unum alterius ope indigeret; *nec oculus dicere posset manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii.* Ad eundem, inquit Paulus, planè modum in mystico Ecclesiæ corpore usu venit: Nam *quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundo Prophetas, tertiò Doctores*, alios Prælatos & Superiores: aliis dedit gratiam curationum, aliis genera linguarum. Necesse est autem, diversa esse in Ecclesia officia, & varios gradus; sed omnia sunt unus & idem spiritus, universaque ad eun-

eundem finem, proximi scilicet utilitatem, diriguntur. Ita ergo & in Religione contingit. Non omnes enim possunt esse oculi, non omnes linguæ, vel aures: id est, non omnes esse Superiores, non omnes Concionatores & Confessarii, in corpore oportet sint etiam manus & pedes: nec dicere possunt oculi manui, nec caput pedi, Opera tua non egeo. Hæc enim omnia officia ad finem hunc assequendum necessaria sunt; proinde fructum, qui in Societate fit, nemo non Sociorum facit.

Coadiutores primò socios iuvando; Secundò. Vita exemplo, & piis verbis, animas lucrentur.

11. *Secundò*, omnes omnino socii, id est tam Coadjutores, quàm Sacerdotes, in animarum salvatione cooperantur & cooperari debent, non solum eo modo quo diximus, & bonæ sanctæque vitæ exemplo, quod (sicut infrà Cap. 8. declarabimus) primarium quoddam & perefficax ad hoc medium est, verùm etiam verbis, pios, bonos, & ad salutem animarum conducentes, in familiari cum proximis colloquio conversationeque sermones intermiscendo. Quod unum est de mediis, quibus multa in proximo bona fieri solent. Vnde etiam S.P.N. in septima Constitutionum parte, in qua de proximorum juvandorum mediis agitur, hoc unum de præcipuis assignat, & quidem velut generale, quo omnes omnino Socii, etiam Laici & Coadjutores ut utantur, adniti debent; quorum laicorum ibidem expressè & speciatim meminit. Vt autem id meliùs intelligeremus & opere exequeremur, etiam in Regulas ipsum retulit. *Omnes*, inquit, *pro ratione sui gradus, data commoda occasione, enitantur, piis colloquiis proximum ad meliora promovere, & consilio atque exhortatione ad bona opera, præsertim ad confessionem, excitare.* Adeò ut non Concionator solùm Confessariusque, sed & obsonator, procurator, & janitor, & qui exeuntiũ socius ac comes est, dare operam debeant, bonis ut colloquiis & sermonibus proximum juvent, de rebus animæ salutaribus cum eo agendo; cum uno quidem de pio usu rosarii; alium commonendo, ut juramentis abstineat; hunc, ut confessionem peragat; eum qui paulò provectior est, ut quotidie vesperi conscientiam ante somnum examinet. Et sic multos fratres Coadjutores constat magnum in eis quibuscum conversabantur, per sua colloquia & sermones pios fructum fecisse, multosque ad peccatorum confessionem faciendam induxisse, denique per multas Deo animas asseruisse; fortassis etjam plures, quàm non pauci Concionatores & Confessarii.

7. p. Cõst. c. 4. §. 8.

c. 6. Exam. §. 4.

Rc. 42. Commu.

Oratione proximus efficaciter iuvatur. hac autem Coadiutores facile superunt Doctores.

12. *Tertiò*, suis orationibus ad animarum conversionem omnes itẽ cooperantur; quod sanè inter media ad hoc conducentia non postremum est, ut infrà Cap. 9. dicemus. Etiã hoc medium, omnium est & universale. Sæpè putabit Concionator, Confessarius, quique ad moribundos juvandos vocatur, se expetitum ibi fructum facere, quem forsan facit, is qui ejus est socius, per fervidas preces ægrum Deo commendans; vel coquus, qui pridiana concionis vespera disciplinam & flagella subijt, Deum precatus, ut aliqua per concionem anima converteretur. Ah, Quàm multos Concionatoribus spirituales filios Coadjutores & Laici

Laici in die judicii auferent,& sibi vindicabunt! Hos quidem illi putant suos
Luc.3.25. esse; sed tunc apparebit, non esse ipsorum, sed Coadjutorum & Laicorum: & Iosephum verum pueri patrem non esse,sed tantùm putatitium(*& putabatur filius Ioseph*) Videntur quidem esse filii spirituales Concionatorum vel Confessariorum; putantque homines conversi, illos suos patres spirituales esse: at pòst apparebit,eos nonnisi à lacrymis atque oratione fratris alicu-
1.Reg.2.5. ius Coadjutoris prognatos esse. *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios,infirmata est.* Qui prorsus videbatur sterilis & infrugifer,plurimos post se trahet filios:& contrà, qui patris dicebatur nomine, multosque habere filios videbatur, fortè ne unum
Isa.54.1. quidem proprium habere invenietur.
Gal.4.27. *Lætare sterilis,quæ non paris; erumpe, & clama quæ non parturis: quia multi filii desertæ magis quàm eius quæ habet virum:* si enim feceris ó sterilis quod debes:forsan pluribus spiritualibus filiis circumcingêris,quàm celebres Concionatores & Confessarii; teque postea miraberis tantis filiorum manipulis vallari, *& dices in corde tuo. Quis genuit mihi istos?*
Isa.49.21. *Ego sterilis, & non pariens:*ego non sum Prædicator,non Confessor, non doctus:*& istos quis enutrivit?*quis mihi dedit? Dicam:Oratio,suspiria, lacrymæ
Psal.9.38. & gemitus tui. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Oratio humiliantis se
Ps.144.19. penetrat cælos: *Deus voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* Hoc est, quod tam multos filios dat ei qui videbatur sterilis, & patris nomine non appellabatur.

Ideo Coadiutores nemo vili pendat. 13. Hoc Concionatores & Confessarios, sæpè ut recogitarent, monebat S.P. Franciscus Xaverius: primò, ne se fratribus suis præponerent, sibi persuadendo plus quàm illos se præstare & operari: dein, ut hoc pacto, majore inter se omnes unione & caritate connecterentur. Habent & aliud hac in re commodum Laici,videlicet, quòd, cùm ipsi fructum & lucrum aliquod in animabus, eo quo diximus modo, faciunt, securiores sint,quàm aut Prædicatores, aut Confessarii & Lectores Scholastici: propterea quòd Concionator & Lector sæpè in magno evanescendi superbiendique agant periculo; Confessarius verò dubius semper sit,maléne an benè procedat. Lib.6.c. 18.Vitæ.

14. Huc accedit,quòd tantas ministeria hæc & munia solicitudines impedimentaque involvant,ut non raró homo,quo iis ritè perfungatur, suiipsius obliviscatur,ac seipsum propriumque profectum negligat. At Coadjutores securè rem agunt, meritùmque suum & quæstum in tuto habent:quia ab hac vanitate, & his curis anxiis & scrupulis, planè liberi sunt. Adeò ut semper aliquam in lucro nostro partem habeant, non raró etiam potissimam & maximam; dispendii verò minimè participent;sed id totum nobis obveniat. Vtinam verò interdum non contingat, ut Concionator, nonnisi vanam gloriam metat, Coadjutor verò omnem fructum & profectum qui fit,ad se trahat(quæ non bona,sed iniqua esset partitio:)sed ut omnes laboris nostri fructu gaudeamus, omnia semper ad majorem Dei gloriam faciendo.

Coadiutores à vanitate & sollicitudine liberiores sunt, & solius lucri, non autem dispendii participes.

CA-

adiutores nemo vili pendat. Lib.6.c. 18. Vitæ:

Caput IV.

Quàm ad hunc finem necessarium sit, antè solidum virtutum fundamentum ponere.

Societatis exercitia ordinata & tempe-rata sunt ad salutem proximi.

1. DVo illa, quæ jam ante exposuimus, sibi videlicet, prodesse & proximo, unum & eundem in Societate finem constituunt. Ita enim hæc invicem conjuncta & connexa sunt, ut unum ad aliud referatur, primumque adjuvet secundum, & illud ad hoc necessarium sit. Hinc videmus à Societate, ad suorum in spiritu profectum directionemque media adhiberi, diversa ab iis quæ aliis in Religionibus usurpantur, quarum scilicet institutum & finis non est proximo succurrere. Atque ideo S.P.N. Ignatius dicere solebat, se, si Dei duntaxat cultum, & privatum commodum nostrum respexisset, quædam in Societate ordinaturum fuisse, quæ tamen ex ejusdem Dei amore instituere nollet, quòd salus proximi sibi curæ esset, neque negligenda videretur. Et, si sui solius tantùm, ac non etiam proximi, ratio sibi habenda fuisset, dicebat, quòd corpore nudo, ac plumis pendentibus deformi, lutoque commaculatus, in publicum prodire non dubitaret, ut ipse hoc schemate mundum exploderet, & ipsum mundus.

Lib.5. c. 10. Vitæ.

Coadiutores à vanitate & sollicitudine liberiores sunt, & solius lucri, non autem dispendii participes.

Lib.5.c.3.

S. Ignatii Zelus animarum externas humiliationes temperavit item usum chori dissuasit.

2. Verùm ardens proximos juvandi, quo æstuabat, amor hunc humilitatis affectum in eo suffocabat, & in causa erat, ut ea se auctoritate & decentia tractari haberique sineret, quam & officium, & personæ, qua fungebatur dignitas requirebat; neque extraordinarias illas mortificationes usurparet. Adhæc, si naturalem suam inclinationem & propensionem secutus esset, ac ad spiritualem, quem è cantu chorali capiebat, profectum tantùm respexisset; chorum se ajebat in Societatem inducturum fuisse; sed idcirco eum prætermisisse, quòd didicisse se Domino revelante diceret, eum in longè aliis ac cæteri Religiosi solent, ministeriis exercitiisque opera nostrorum uti velle. *Lib.5.c.5.*

Zelus animarum, & profectus noster, se invicem iuvant.

3. Et quoniam Societati propositum est, non modò in sui ipsius, verùm etiam alienum profectum, incumbere; ideò nobis ejusmodi media, ad profectum & salutem privatam necessaria, proponit, ut hæc ipsa nos etiam ad proximum juvandum disponant, & habiliores reddant; itaque nos proximo juvando curandoque intendere cupit, ut hæc ipsa ministeria quoddam sint ad nostri ipsorum profectum adaugendum, medium: & ipsi nobis persuadeamus, per ea nos, si benè iis fungamur, privatim in virtute & perfectione etiam proficere posse. Adeò ut quæ proximis impendimus ministeria, nobis velut quædam ad profectum nostrum conducentia media, accipienda sint; & vicissim gratia, & auxilium, quod ad proficiendum & crescendum nobis dat Deus, non sint aliena ab ordine, proximum juvandi & ei succurrendi.

Dona hominum Societatis dantur in ordine ad zelum animarum.

4. Vnde nisi seriò isti rei totos nos impéderemus, mereremur profectò, ut donorum divinorum in nos influentium fons tandem exaresceret: quia non nisi propter hoc ille fluit, tam copiose, quàm ut tincti ad satietatem de

copia nostrâ aliis refundamus, & hæc est gratia vocationis nostræ. Sicut Iosephum Deus ideo non extulit, ad locum Regi proximum in Ægypto evexit, & tot bonis donisque cumulavit, ut ipse sibi auctoritatem consequeretur, nec tam in propriam ejus unius, quàm fratrum & populi sui salutem & bonum. *Pro salute vestra misit me Deus ante vos.* Sic & nos in gratiam utilitatemque proximi & fratrum ad hunc statum Deus evocavit, tantisque in eo nos afficit beneficiis, ut non nobis solis viveremus. quod etiam perspicuè indicavit, comparatione illa qua nos & *Luci* & *sali* & *civitati* &c. quorum omne bonum & commodum in aliorum usum cedit, comparavit.

Gen. 45.5.

5. At jam de utraque parte Finis Societati præfixi aliquid separatim dicamus, etsi semper in ordine ad compartem. Quod ad primam attinet, certissimum est, ut quis proximum seriò juvare queat, ante omnia requiri, ut seipsum seriò juvet & promoveat. Hac de causa Apostolus istud primo loco, veluti cæterorum fundamentum, ponit, dicens, *Attende tibi.* Primò itaque necesse est quemque sibi attendere, deque proprio profectu seriò sollicitum esse. Nam Deus opt. max. tali modo spiritualia gratiæ opera ordinare ac dirigere solet, sicut opera naturæ ordinare consuevit, in quibus est *attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.* Vtque se tam illorum, quàm horum, auctorem esse ostendat; eundem in gratiæ operibus ordinem servari vult, qui in naturalibus servatur, in quibus, ut ajunt Philosophi, *omne simile generat sibi simile.*

Qui sibi nequam, cui bonus?

1. Tim. 4. 16.

Sap. 8.1.

6. Nam præter causas generales (quales sunt Sol & cæli) videmus ad naturalium rerum productionem, etiam aliam immediatam ejusdem speciei causam agentem requiri, ut hac ratione introduci queat forma, quæ ad alia subjecta trãsfundatur. Ita ignis unus alium producit, una lux aliam. Pari modo fit in rebus spiritualibus: nam ut humilitatis, patientiæ, caritatis, aliarumque virtutum forma aliis imprimatur, vult Deus, ut causa immediata, quâ ipse ceu instrumento utitur, putà Concionator vel Confessarius, sit humilis, patiens, & caritate æstuans.

Cur homo debeat se perficere ut aliis prosit.

7. Adhæc, sicut in rebus naturalibus, planta, verbi gratia, lactuca, semen non producit, tum cùm in parva est, sed postea cùm jam perfecta est, & plenè excrevit; tunc quippe semen, incipit emittere, ut sic ex ea alia germina producantur ac multiplicentur; ita in rebus spiritualibus & gratiæ, vult Deus hominem antè valdè provectum esse, magnum in virtutibus progressum fecisse, & in virum perfectum excrevisse, ut spirituales Deo filios deinde progignat, & cum Apostolo dicere queat, *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.*

Nec solum virtute præditus esse debet zelator animarum, sed etiam perfectus.

1 Cor. 4. 15.

8. Idcirco Societas ante omnia enititur, ut filii sui primò, super seipsos attendant, deque proprio profectu maximè solliciti sint, atque in hoc eos primò solidè firmiterque fundatos cupit. Hanc ob causam tantæ, & tam continuæ, in ea adhibentur probationes, biennium, videlicet probationis sub ipsum ingressus principium; ante studia: iis deinde absolutis, rursus suos ad in-

Ideo tot sunt probationes Societatis, ut fere tota vita sit probatio.

ad incudem revocat, ac quasi ludum subire cogit, adhuc integrum tertiæ probationis annum dans: ut, si fortè studia litterarum, & speculationes scholasticæ, spiritum devotionis nonnihil extinxerint & imminuerint, ipsum reaccendant tunc, cùm jam cum proximo illis erit conversandum, ut hi scil. de spiritualibus agere sine spiritu non præsumant. Quin etiam postea semper adhuc novitii esse & manere videmus; per tot annos quippe professio nostra differtur, ut quasi vita tota in novitiatu & probationibus consumi videatur, priusquam Societas aliquem ut dignum se operarium auctoret atque admittat.

Magna molimina, magna paramenta.

9. Atque hæc ideò fiunt, quòd magna nobis postea committenda sunt negotia: multis proindè experimentis eum antè probari, atque exactè explorari necesse est, quanti sit ponderis & valoris: ac quoniam rebus altis atque eminentibus applicandus est, ut nimirum alios non solum bonos, sed & perfectos faciat, hinc ipsum antè oportet perfectum esse.

Vanitas eorum qui prӕmature erumpere gestiunt.

10. Vt apparet, quàm graviter errent & fallantur ii, quibus hæ probationes ac periclitationes nimis longæ videntur, quique sibi nonnunquam persuadent omne, quod hisce probationibus impendunt tempus, inutiliter admodum consumi, jam tum concionari, & cum proximo conversari gestientes: qui cùm in oratione pauxillum devotionis ardentioris, aut piam aliquam cogitationem sentiunt, statim se concionari posse aliis arbitrantur.

Serm de vita & ex- ercit. monast.

Deplorat præsumptionem hanc S. Ephrem Abbas, & hunc non tam spiritum Dei, quàm superbiæ & vanitatis esse asserit. *Venisti, inquit, ut in Religione docereris & instruereris: at vix dũ discere incepisti, & jam tum alios docere gestis: antequam docearis, docere appetis, priusquam discas, jura legesq; ferre ambis, antequam syllabas jungere noveris, philosopharis; priusquam corripi sustineas, corporis; priusquam consilium ab aliis tibi datum admittas; jam aliis consulere & monere præsumis.*

3. p. pastor. admonit. 26 Sua sponte proximum docturus exspectet donec sit ipse perfectus.

11. Egregiè rem hanc pertractat in Pastorali suo S. Gregor. ipsamque obviis quibusdam comparationibus declarat. *Admonendi sunt isti, ut considerent quòd pulli avium, si ante pennarum perfectionem volare appetant, unde ire in alta cupiunt, inde in ima merguntur. Admonendi quoque sunt ut considerent, quòd structuris recentibus necdum solidatis, si lignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur.* Sinendæ namque sunt structuræ siccari, & parietes primò solidari, ut quod superimponetur illis onus, ferre queant.

Conversatio proximorum imperfectis periculosa.

12. *Admonendi* denique *sunt, ut considerent quòd conceptas soboles fœminæ, si priùs quàm plenè formentur, proferant, nequaquam domos, sed tumulos repleant.* Necesse proinde, solidum amplumq; virtutis ac mortificationis antè fundamentum poni, quam cum proximo agatur, quod si desit, majus longè erit defectum periculum, quàm spes profectus: citius quippe suum illi nobis affricabunt malum, quàm nostrum illis bonum communicemus.

Exempl. Christi mora & præparatio ante doctrinam.

13. Inde est, inquit S. Gregor. quòd ipse Christus, ipsissima & increata Patris æterni sapientia quique creatam in primo conceptionis suæ instanti tam perfectam habuit, ac postea in

ætate virili; ante trigesimum tamen annum non prædicârit, & primò in desertum concesserit, jejunaturus, aliasque corporis asperitates exerciturus, & diaboli tentationem experturus: ut suo nos exemplo edoceret, quanta ad hoc sublime ministerium præparatio & perfectio requiratur: ipse enim hisce præmunitionibus & præparationibus neutiquam opus habebat. Diligenter autem eo loco ponderat id, quod de illo, ætatis annum duodecimum agente & Ierosolymis manente, Evangelista scribit: *Invenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.* Adverte, inquit, & attentè considera, quòd Iesum duodennem in templo inter Doctores parentes invenerint, non docentem, sed audientem & interrogantem. Docere, scilicet, volebat, ne qui in virtute adhuc puer, tener & imperfectus est, alios docere, & ante tempus in tam arduum & eminens ministerium se ingerere præsumat: cùm ipse id ætatis non alios docere, sed tantùm audire & interrogare voluerit, etsi alioqui esset is, qui omnem hisce Doctoribus scientiam & sapientiam, utpote verus Deus, communicabat.

Luc. 2. v. 46. *Christus duodennis audit & interrogat non docet.*

14. Inde etiam factum est, ait idem Gregorius quòd, cùm Apostolos & discipulos suos per totum terrarum orbem Evangelium prædicare jussisset, ipsisque omnem ad hoc necessariam virtutem perfectionemque dare potuisset; hanc tamen ipsis tunc non contulerit, nec eos ita rudes & imperfectos prædicare permiserit, sed dixerit eis: *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Vt hoc pacto ostenderet, quàm nos necesse sit, solidum antè in virtutibus, humilitate maxime & mortificatione, fundamentum ponere, ut postea in arenam ad conversandum cum proximo egressi, opus impositum & magno ipsius bono ac compendio & nullo nostro dispendio exercere valeamus.

Apostoli non cito, sed ad Spiritum sanctum præparati missi sunt.

Luc. 24. 49.

15. Huic item proposito adaptat S. Bernardus id quod in Canticis Sponsus ait: *Soror nostra parva, & ubera non habet,* nondum lacte ea turgent, ut eo filios aliquos lactet. Hæc enim ille verba de Ecclesia, qualis ante Spiritus sancti adventum erat, exponit, aitque eam tunc parvulam fuisse, nulla ubera aut lac ad ullos filios spirituales alendos, habuisse, quo adusque veniret Spiritus sanctus, qui Apostolos & discipulos donis ac gratiis suis quàm abundantissimè adimplevit, magnamque illis lactis copiam instillavit. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei*; multaque hominum millia ad Christum converterunt.

Simile à lactantibus sumptum. Cant. 8. 8.

Act. 2. 4. & 11.

16. Si ergo notabilem in animabus fructum facere, si Deo filios spirituales enutrire velis; ubera te tua oportet lacte bono plenissima & turgentissima habere; unum quidem multiplici virtute, alterum sana salutarique doctrina.

Vbera duo virtutis & doctrinæ.

17. S. Hieronymus illum Ecclesiastæ locum, *Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent*, exponens, prædicatores nubibus assimilat: nam, ut nubes aquam in se continent, eaque terram irrigant: ita prædicatores aquam doctrinæ Evangelicæ in se continent, eaque

Aliud simile. Eccl. 11. 3. *Idem dicit Hieron. Isa. 1. & Psal. 35. in illud.*

eaque aridos hominum animos irrigant. Quin & comminatorium illud flagellum, quod vineæ suæ Deus ob prævaricationem intentat apud Isaiam, dicens, *Et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem*; hoc in sensu exponit, aitque unum è maximis & gravissimis, quibus populum suum castigare solet Deus, flagellis esse, cùm verbi sui imbrem inhibet, nullos, inquam, mundo prædicatores submittit; aut, si quos mittit, ii sint hujusmodi, ut nullum prædicatione sua fructum faciat. Cùm ergo hæ nubes aqua cœlesti repletæ fuerint, tunc poterunt, ait Hieronymus, pluere, atque aquam suam per terram effundere, ac dicere, *Audiat terra verba oris mei. concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina*: tunc & terram feracem reddere, id est hominum corda mollire & movere poterunt, ut humectata bonorum operum fructum ferant. At, si nubes inanes & evanidæ sint, nec aquam contineant; quid fiet? illud ipsum, quod in Canonica sua sanctus Iudas Apostolus ait, *Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur*. Vt enim nubes aqua vacuæ, quòd leves sint, nulloque pondere aut substantia degraventur, facili negotio à vento huc illucque raptantur: pari modo, nisi virtutibus, humilitate maxime & mortificatione plenissimus, & instructissimus sis, vanitatis, æstimationis propriæ, reliquarumque passionum & affectuum mundanorum turbo, te velut nubem inanem & pondere destitutam, aliorsum quam oporteat abripiet. Itaque, quòd nubes sis, altaque ministeria & officia obeas, ad aliud tibi non deserviet, quàm ut ob ea magis evanescas, & à quovis vanitatis vento abripiaris.

Is. 5. 6.

Simile à lactantibus sumptum. Cant. 8. 8.

Act. 1. 4. & 11.

Verba duo virtutis & doctrinæ.

Iud. 12.

Aliud simile. Eccl. 11. 3. idem dicit Hieron. Isa. 1. & Psal. 35. in Iud.

18. S. Augustinus de divitibus loquens, *Difficile est*, inquit, *ut non sit superbus qui dives est: nihil est enim quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam*. Omne creatum, suum progenerat vermem, à quo corrodatur & destruatur: vestes tineam ac blattas, lignum teredinem, triticum curculionem: *Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum: & alius est vermis mali, alius piri, alius fabæ, alius tritici*, at *divitiarum vermis*, isque ab aliis vermibus prorsus differens, iisque multo pestilentior, est *superbia*.

Aegrè dives humilis.

Lib. 50. homil. hom. 1. & lib. de verbis Domini super Matth. ser. 6.

19. Si ergo divites hujus sæculi, quòd opibus se circumfluere, auri multum possidere, ac magni propterea ab hominibus fieri colique vident, in tanto superbiendi discrimine versantur; quanto majus erit eorum periculum, qui & nubium officio fungi, & supra terram evecti esse debent, eam & irrigando, & bonis complendo; quique, quòd tam sublimia obeunt ministeria, ab omnibus, magnis æque ac parvis coluntur, honorantur, & magni fiunt, & eo quidem honore ac reverentia, quo nullus dari major fingive potest? Nam, Chrysostomo teste, *maior sacerdotibus debetur reverentia, quàm aut Regibus, aut Principibus. imo & patribus, qui nos secundum carnem genuerunt* (hi enim nonnisi vitæ quæ secundùm carnem est, auctores sunt) sacerdotes verò, ac patres spirituales, Deo nos vivere faciunt. Nullus quippe major excogitari honor aut existimatio potest, quàm

Et magis ægrè donis abundans humiliatur.

Sacerdotii suprema dignitas.

Lib. 3. de Sacerd.

quàm opinio sanctitatis. Reliquis illis reverentia quidem exhibetur exterior, interiùs verò sæpe numero contemptui sunt: hi verò honorantur ut sancti.

20. Solido igitur humilitatis fundamento opus est, ad hujus honoris & æstimationis pondus desuper incumbens ferendum. Etenim superbia & vana gloria vermis est, qui opera bona deterit, ac prorsus destruit: in iis autem quæ honoratiora ac sublimiora sunt, majus est, ne hic vermiculus generetur enascaturque, periculum. Atque idcirco primum & maximum, quod in statu sacerdotali contineri, Chrysostomus docet, periculum est, pestilens illa vana gloria, quæ inter omnes scopulos, & Acroceraunia, quæ Poëtæ comminiscuntur, maximè minax & terribilis apparet.

Vana gloria in magnis magis timenda.

Vbi supra.

Caput V.

II. Medium Soc. Iesu solidarum virtutum superstructio, ut proximo prosimus, nobis ipsis non obsimus, idcirco impensius in proprium nobis est profectum incumbendum.

Eccli. 29. 27.

Dupliciter contra finem nostrum peccamus, in progressu ad zelum animarum.

1. IActo jam, uti dictum est solidarum virtutum fundamento, *recupera proximum*, ait Sapiens, *secundùm virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Hic Societatis finis & institutum ulterius exigit, uti regiam, qua in eâdem procedendum est, viam. Duobus autem modis quis à via hac regia deflectere potest; vel *declinando ad dextram*, dum totaliter se ab omni cum proximis commercio & conversatione, ut proprio studeat profectui, dimovet: *vel ad sinistram*, dum ita proximis se impendit, ut ex adverso suiipsius obliviscatur. Ambo hæc extrema, vitiosa sunt & periculosa: quocirca nonnihil de iis singillatim loquemur, ut medium in quo virtus consistit & perfectio, deligamus, neque ad dextram, neque ad primum in praxi curandi proximum extremum, nocentius est nimis multum, sinistram deflectamus.

2. Atque ut ab extremo quod magis periculosum est, incipiamus, quando scilicet *ita impensè nos proximo juvando impendimus, ut nostri ipsorum obliviscamur*: ab illo ut caveamus, sollicitè nos in Evangelio Salvator Iesus commonet, dicens. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur? aut, quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nulla quippe compensatione ejus jactura reparari compensarique potest. Unde & rationi consentaneum est, & caritas ipsa exigit, *ut ob nullas demum occupationes & negotia animam quis suam curare negligat, inque ejus perfectione ornatuque flaccescat*: nam benè ordinata caritas à seipsa debet incipere: &, prior nobis debet esse cura nostri. Hinc etiam illud primò omnium Propheta regius à Deo postulabat. *Bonitatem, tum disciplinam, & scientiam doceri se.* ubi bonitatem primo loco nominat. Nemo enim per speciem juvandi amandique proximi, suiipsius oblivisci, aut curam rei propriæ seponere debet; qui insignis error foret.

Mat. 16. 26.

Psal. 118. 66.

3. Vnde etiam Seneca Gentilis, eos qui aliorum causa semetipsos negligunt,

Seneca de ... *tib. 15.*

gunt, *aßimilat puteis* limpidam aquam dantibus alteri fœces & cœnum in se retinentibus. Nicolaus autem Pontifex in quodam decreto, alia evidentiori similitudine id declarat. Ostendens enim Sacramenta divina à malis posse Sacerdotibus administrari (quòd hi solis sibi noceant) eos qui hujusmodi sunt, *similes esse* ait *faci accensæ*, quæ dum aliis prodest illuminando, sibi uni nocet, seipsam paulatim consumendo.

4. Egregiè rem hanc pertractat S. Bernardus, explicans illud è Canticis, *oleum effusum nomen tuum*. Quo loco duo adfert opera, quæ Spiritus sanctus in nobis operatur: Vnum, quo nos primò in virtutibus ad proprium nostrum bonum, fundat; & hoc vocat *Infusionem*: alterum, quo nobis dona & gratias, ad lucrum & profectum proximi, communicat, quod *Effusionem* appellat, quòd non aliter ea nobis det, quàm ut deinde illa in alios effundamus & communicemus. Aitque primò debere fieri infusionem, ac postea effusionem: Primò, inquam, hominem multa cœlitus in se debere recipere, virtutibus plenum ac locupletem esse, deinde easdem in alios effundere ac distribuere.

Ser. 78. in Cant.
Cant. 1. 2.
Aliud simile ab o- ho reti- num.

5. Et scitam ad id demonstrandum adducit similitudinem: *Quamobrem*, inquit, *si sapis, concham te exhibebis, & non canalem.* Illud porro inter canalem & concham sive craterem discrimen est; quòd ille simul ac aquam recipit, eandem transmittat, nihil ut ejus sibi retineat: at concha circumsecus elata in medio depressa primò seipsam replet, ac posteaquam plena est, quod superabundat, foras sine ulla sui jactura ac damno diffundit ac communicat. Itaque non canalis, sed concha esse stude. Ne autem, inquit Bernardus, à me id quod dico, proficisci credas atque ideò minoris apud te sit ponderis; noris id totum à Spiritu sancto provenire, qui alibi per Sapientem sic loquitur, *Totum spiritum suum profert stultus*, instar canalis: *sapiens differt & reservat in posterum*, ac primò se adimplet instar conchæ.

Aliud simile sumptum à Conchis.

Prov. 29. 11.

6. Sed, prò dolor planè secùs hodie fit: nam *canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò perpaucas*; pleriq; *enim hodie dicunt, & non faciunt*; per plerosque enim, ut canales, verbi Dei aqua pertransit, audientium cordium arva irrigat, eaque vernantia, viridia ac fertilia reddit; ipsis interim doctoribus aridis & sine omni prorsus fructu manentibus. *Tantæ charitatis sunt*, (ironicè sic loquitur) *per quos nobis cœlestia fluenta emanant, ut antè effundere, quàm infundi velint, loqui quàm audire, paratiores, & prompti docere quod non didicerunt, & aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. Ego nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteponendum existimo, quem sapiens posuit dicens: Miserere animæ tuæ placens Deo.* Id est; Ante omnia quis propriæ animæ misericordiâ debet moveri, si Deo placere & servire omnimodis intendit; postea vero de juvandis curandisque aliis laborare. *Quod si non habeo nisi parumper olei, quo ungar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Servo illud mihi*, uti respondit illa vidua, *& omnino nisi*

Multi canales spirituales, pauciores conchæ sunt, male hoc.

Eccl. 30. 24.

3. Reg. 17. 12.

nisi ad Prophetæ jussionem non profero. Si institerint rogitantes aliqui ex his, qui fortè existimant de me, supra id quod vident in me, aut audiunt aliqui ex me, putantque habere me quod effundam in alios, *respondebitur illis. Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis*: nefas enim est, me inopem & vacuum manere, quò tibi conferam: aliis tribuere ut ipse egeam. Non hoc consulit Apostolus, *Non cauta charitas, ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate. sufficit ut diligas proximum tuum sicut teipsum*, hoc est enim mandatum Christi, dicentis, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Atque hoc sibi vult illud Apostoli, *Ex æqualitate.* Ergo ne ames illum plus quàm teipsum: de proprio perfectu, nihil deperdas quo proximo profectui ac commodis attendas; nec tui curam negligas, quo cures alios; quia inordinata ea caritas erit.

Matt. 25. 9.

1.Cor.8. 13.

Matt. 22. 39.

Proximũ dilige ut te, non supra te.

7. Dicebat Psaltes, *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.* Primò te abundare oportet, ut dein ex abundantia cordis os loquatur. *Propterea*, ait Apostolus, *abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne fortè pereffluamus*, sed ut ea nobis ipsis ante omnia servemus. Ad summum usque repleri ipsi debemus, sed non accepta omnia aliò transmittere. Abundemus antequam dividamus.

Aliud simile.

Psal. 62. 6

Heb. 2. 1.

8. Adeò nobis proprius profectus proximi juvandi gratia, negligendus non est, ut etiam propterea nos diligentiores, inque bono nostro curando naviores esse oporteat. Magnis quippe virtutibus instructos nos esse decet, & benè mortificatos, ut cum mundanis hominibus agamus innoxiè, ne suos illi nobis nævos & contagia affricent, & priùs ipsi nos ad pravos suos mores & consuetudines pertrahant, quam nos illos ad nostros flectamus. nam teste Sapiente, *qui tetigerit picem, inquinabuntur ab ea*, nisi pinguedine eas antè persperserit: pari modo necesse est nos, ut cum mundanis conversemur, semper Deo plenos, & orationi immersos incedere, quod ni faciamus, meritò timere debemus, ne nostris pix terra manibus adhærescat, dum ipsi nos ad se attrahunt, suaque nobis mala & consuetudines vitiosas affricabunt; *& fiat sicut populus, sic sacerdos.*

Imo verò plus sibi attendat qui cum aliis agendum est.

Eccli.13.1

Cave ne seducaris ab his quos reducere vis.

Osee 4.9

9. S.P.N. Ignatius, inter alia, quorum commonebat eos qui cum proximis agebant, hoc inprimis (ut in ejus vita legere est) persuasum illis esse volebat, non agere se cum hominibus perfectis, sed inter parum sanctos, ac sæpè etiam iniquos & dolosos, & *in medio nationis pravæ & perversæ*, ut loquitur Apostolus aut in medio luporum uti Christus, ambulare. Magni autem momenti hoc documentum est, ut hoc pacto cautè, circumspectè & præmuniti incedamus, ne, quæ videbimus vel audiemus mala & scandala, nobis adhæreant sua viscositate noxiamque animabus pestem afflent.

Lib. 5. c. 11. Vitæ.

Cautè ambula quia in medio luporum agis.

Phil. 2. 15.

10. Solent medici, & ii qui morbidos, ac præsertim lue contagiosa laborantes, adeunt, multa odoramenta, & vim mali coercentia antidota gestare, ne qua morbi ad ipsos occultè proserpat contagio, & quæ ex ægro corpore promanat exhalatio & fætor, ipsos inficiat. Cùm ergo nobis cum lue con-

Antidoto virtutum præmuniantur qui cum pestiferis agent.

contagiosa (quæ, nisi multis magnarum virtutum, orationis & mortificationis, præservativis instructi simus, facili negotio nos inficere & afflare possit) laborantibus conversandum sit; facilè apparet, quàm bono sanoque stomacho confessarius & operarius quilibet esse debeat, cui assiduè putiscentia & fœtentia conscientiarum vulnera ulceraque manibus quodammodo & cominus pertractanda sunt: ne, dum peccatorum purulentiam & vomicam in confessione coràm inspicere cogitur, menti ea postmodum obversetur, &, pravarum cogitationum ac motuum ideis memoriæ recurrentibus nauseam cieat, atque camarinam commovendo ipsum medicum animarum evertat. cum vulnera ipsa animarum inspecta (quæ est naturæ lapsæ infirmitas) ad sese amanda etiam amplectenda alliciant.

Confessariorum periculum à pœnitentibus.

11. Quare benè nonnulli esse nos debere ajunt, ceu fluvios quosdam, qui tanto in mare impetu ferri dicuntur, ut ipsum transeuntes per medium, quasi, nativum aquarum suarum dulcorem non perdant, nisi impetum suum remittant. S. Chrysostomus ostendens quales esse debeant Sacerdotes, quibus in mundo cum proximo conversandum est, illorum animos non minùs intactos & integros esse debere asserit, quam erant trium illorum puerorum Babylonicorum corpora, ut scilicet in medio ignis constituti, non ardeant. Ambulamus enim inter flammas, non stramineas, aut stupeas; sed valentiores quàm fuere fornacis Babyloniæ. Hinc quippe flamma quædam prorumpit invidiæ; inde alia ambitionis; illinc tertia carnalis; alia denique sinistrorum de te judiciorum & murmurationum. Talem porro te esse oportet, ut in harum flammarum medio non comburaris. Et quoniam ignis, ubicunque locum reperit, eò se ingerit & proserpit, atque ipsum quod corripit, tametsi pulchrum, fœdat & fuligine inficit: hinc Sacerdos Dei ita communitus & armatus esse debet, ait sanctus ille scriptor, ut ne fumus quidem ad ipsum pertingat. Vt ergo non solùm tot tamque immensæ flammæ nos non adurant, verùm ne odor quidem earum in nobis sentiatur, neve fumus illarum aspersa fuligine nos denigret aut infuscet, necesse est valdè circumspectos & præmunitos incedere.

Simile. Impetus fluvios à salsedine marina conservat.

Lib. 3. de Sacerd,

Aliud simile, Miraculosos illis in medio ignis.

12. Monet hoc ipsum nos in Evangelio Redemptor ipse, dùm nos luci similes esse jubet: *Vos estis lux mundi.* Quod egregiè declarat S. Augustinus, dicens, *Lux etsi per immunda transeat loca* & sterquilinia *non inquinatur*, nec inficitur: quin potiùs eadem exsiccat, perpurgat, tetrumque ab iis fœtorem pellit, nullam interea malam impressionem in se recipiat: sic nos, per maleolentia hæc peccatorum & peccantium fœditorum immundorumque fimeta & cloacas ita transire decet, nihil ut nobis sordium adhærescat; at potius eos purificemus, & exsiccemus, & olidam ab iis mephitim tollamus, quemadmodum lux solis facere solet. Hanc ob causam magna nobis est semper in spiritualibus exercitiis diligentia & cura præferenda: in oratione, inquam, examinabis, lectione spirituali, pœnitentia, & mortificatione.

Aliud simile à luce petitum.

Matth. 5. 14. Tract. 4 in Ioannem.

Oratio ordinaria nunquam omittenda.

13. Ordinariam proinde orationem, quæ in Societate ad hoc propositum, nempe ad majorem nostri in spiritu profectũ præscripta est, nunquam fas est omittere. quod ipsum oppido & valde est notandum. Videns enim Diabolus, neutiquam se nos à proximis juvandis avocare posse (quòd noster ille sit finis & institutum) omnimodis allaborat, ut illis ita nos totos impendamus & immergamus, ut propter eos nostri ipsorum obliviscamur, &, quæ ad nostrum profectum conservationemque necessaria sunt media, prorsus negligamus. Nam sicuti flumen, alveo egrediens, quoscunque pertransit agros, eos quidem fœcundat, at omnes eorum sordes quasi convertens, eas in se attrahit: sic & diabolus nos vellet contrahere omnes pænitentium vel consulentium sordes, dum immoderatè & sine discretione nos proximorum curationi suadet insistere.

Diabolus vult nos proximis servire, nobis neglectis, ut tandem cum proximis pereamus.

14. Cum igitur ista, quam modo recensui, tentatio, non sit aliqua raro contingens, sed pró dolor, valde frequens, maxime nos præmuniri, adversus eam & præparatione instructos esse oportet, ut nos in ruinam non trahat. Cùm prælertim præcipuum, quod ad hunc proximos juvandi, magnique inter eos fructus faciendi finem, adferre possumus medium, sit, ut de nostro ipsorum profectu aliis propinemus, sicut inferiùs dicemus.

Cap. 8.

Auctis negotiis multiplicetur oratio, exemplo S. Dominici.

15. Cùm igitur plura nobis negotia tractanda occurrent, tunc est frequentius ad orationem recurrendum, Deique auxilium, per preces impensius requirendum, quò illa rectè peragantur. Sicut fecisse legimus Sanctos omnes, atque inprimis S. Dominicum, qui ita tempus suum distribuebat, ut die toto proximis curandis incumberet, noctem verò Deo & precibus dedicaret. Hac de causa adeò excellens doctrinæ ejus fructus existebat: noctu quippe disponebat & præoccupabat, quæ ipsi interdiu agenda erant, & antè negotia sua cum Deo concludebat, quàm cum hominibus pertractaret. Ipse quoque Salvator Iesus præclarum nobis hujusce rei exemplum dedit, utpote quem toties integras noctes in montibus locisque desertis orando traduxisse Evangelistæ prodiderunt. De die namque varia obibat loca, Evangelium prædicaturus, docturus, ægros & à dæmonibus possessos curaturus; noctu verò vigilabat, *& erat pernoctans in oratione Dei.* Non quòd ipse (uti notat S. Ambrosius) isthoc adminiculo & subsidio opus haberet, sed duntaxat ut suo nobis exemplo præluceret.

Imo ipsiusmet Christi D.N.

Luc. 6. 12.

In eum locum.

Maximè si domo absit homo Societatis.

16. Tunc verò magis hoc nobis est observandum, cùm foras missi domo absumus, ut videre est in Regulis eorum qui Missiones obeunt, in quibus id speciatim præscribitur. *Caveant, ut consueta in Collegiis ac domibus orandum examinanda conscientia exercitia imminuant.* Non sine ratione autem dicitur; *caveant*: quia revera, singulari quadam nobis cautione & cura excubandum est, ne in hoc, dum peregrinamur, deficiamus, cum enim domi sum, tum quod occupationes ibi sint moderatiores, tum quod campanulæ signo ad orationem & examen vocer; tum etjam quòd alios in eo mihi præeuntes videam, non possum idipsum non facere,

Reg. 16.

cere. at quando quis domo abest, & ex una parte ipsum extraordinariæ & graves occupationes obruunt ac defatigant: ex altera verò campanulam, à qua vocetur, non audit: nec eorum, à quibus adjuvetur, sed potiùs eorum qui impediant & distrahant, exemplum præ oculis versatur; nisi sedula super se advigilet sollicitudine & diligentia, sæpenumerò spiritualia sua exercitia seponet.

Imo ipsiusmet Christi D.N.

Missiones nonnisi probatis committendæ. Exemplum. Lib. 4. c. 8 Vitæ.

17. Hanc ob causam nullis suas Societas Missiones committere debet, quam quos longo usu experientiaque probarit. Hinc B. P. Franciscus de Borgia dicere solebat, nunquam sibi, quam adornabat, Missionem magis placere, quàm cùm magnum ea sibi dolorem afferret; eo quod non mitteret viros, nisi valde insignes. hos autem ab se foras ablegare eorumque contubernio carere erat rectas amanti, dolor, & quasi dismembratio molesta. quanta vero præsidia requirantur ad hoc ut homo tuto egrediatur ex Ierusalem in Hiericho satis docet nos despoliatus ille & semivivus relictus, à latronibus, etiam à Sacerdote & Levita præteritus.

Luc. 16. 12. In eum locum,

Maxime si domo absit homo Societatis.

Reg. 26.

Missiones sivè Professis committendæ & ad tempus certum.

18. Quocirca Missiones iis maximè committendæ, qui quatuor votorum Professi sunt, quippè qui jam benè probati esse, & in virtutis studio satis provecti existimantur. Quanquam ne hos quidem continenter diu, que in iisdem agere convenit; sed suis temporibus domum redire, ad mentem colligendam ac restaurandam, ne per tot tamque intensas occupationes spiritus suffocetur, & paulatim exarescat.

Si spiritualia ministrantes moderandi sunt, quanto magis temporalia administrantes!

19. Atque hinc colligere possumus, quòd si ita de ministeriis spiritualibus ad animarum juvamen institutis sentiendum sit, scilicet illorum causa orationem, examina, reliquaque ordinaria exercitia (proprium & privatum nostrum profectum concernentia) minimè omittenda videri neque enim bona & ordinata caritas est, seipsum negligere, suumque profectum seponere, quò alterius commodis ac saluti intendatur, quid jam de corporalibus & exterioribus occupationibus, de officiis negotiisque temporalibus dicendum erit? quo hic non opus erit stimulo, quam acri monitore, tam quoad sæculares, quâm Religiosos! quia ad omnes omnino homines hæc doctrina pertinet, & eam sibi quisque pro statu suo applicare potest. Numquam enim quis ita in occupationes externas, etiamsi eæ & bonæ sint, & ad officium suum referantur, effundi immergive debet, ut suæ propterea salutis obliviscatur. Itaque sæcularis observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ nunquam; & Religiosus orationem, examen conscientiæ, & quidquid demum aliquo modo ad profectum suum, ac passionum mortificationem spectat nunquam earum causa omittet.

Superiores nolunt, ut te negligas inordinato amore proximi.

20. Nefas enim est omittere quod majus est, ob id quod minus semperque præponere debemus id, quod nostri ipsorum privatum commodum utilitatemque concernit. atque ea demum cum Dei, tum Superiorum nostrorum voluntas est. Nec studiosus, nec Scholasticus spiritualia exercitia, studiorũ & lectionis causa, debet aut

Doctrina virtuti cedat, imò ab ea juvetur.

penitus omittere, aut parvi ducere: parum quippe illi proderit, in virum doctum evadere, si boni Religiosi mores non addiscat, vel conserunt. Atque eò magis, quòd exacta ordinariorum exercitiorum spiritualium observantia, non tam impeditura, quàm mirificè collatura sit, ut naturalis ingenii lumen Deus adaugeat & illustret, ad majores in studiis progressus faciendos.

Exempla. 1. p. Lib. 5. c. 45. historiæ Ord. S. Dominici.

Oratio plus iuvat doctrinam, quàm studia.

Sap. 7. 7. 1. p. Li. 3. c. 37 histor. Ord. prædicator.

p. 2. lib. 2. c. 2. Chron. Minor.

21. Albertus Magnus apud discipulos suos frequenter affirmabat (quod & initio Summæ suæ, scriptum reliquit) longè plus in divinis scientiis ferventi oratione & devotione, quàm contentiore studio profici: atque ad hoc propositum adferre solebat verba illa Salomonis, *Optavi & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ.* Hac etiam S. Thomas de Aquino illius discipulus, tantopere in omni scientia eminuit, tantamque ingenii est subtilitatem adeptus: qui quidquid sciret, magis se oratione, quàm humanâ industriâ & studio profitebatur assecutum. S. Bonaventura cùm Parisiis Theologiam magna omnium cum satisfactione & applausu, doctrinæ quoque opinione ac celebritate nominis profiteretur; atque eo ipso tempore simul libros aliquot eruditos conscriberet, quos omnes obstupescerent: eum die quadam S. Thomas Aquinas, qui eadem tempestate vivebat, eique perfamiliaris erat, adiens petiit sibi libros quos volueret, ostendi. Ducens illum in musæum suum Bonaventura, ostendit ei pauculos libros communes, in mensa positos, quos se dicebat legere. At cùm Thomas illos sibi potissimè libros, è quibus adeò profundam & admirabilem doctrinam hauriret, petiisset exhiberi: Bonaventura illum in oratorium conduxit, in quo crucifixi Iesu effigiem, quæ in aspicientibus pietatis sensum insigniter excitaret, habebat. En, inquit, *libri mei, Pater; & tibi persuadeas velim, hunc primarium meum librum esse, è quo, quidquid aut doceo, aut scribo, copiosißimè haurio: & ad hujus magistri pedes multo me majorem veræ scientiæ lucem esse assecutum* (ad hos in dubiis, hauriendæ lucis causa confugiendo) *nec non Missas audiendo, & iis inserviendo, quàm ex omnibus libris & exercitiis litterariis.* Quibus auditis, Thomas erga sanctum hunc virum magis affici, magisque eum suspicere incipit, utpote eadem sentientem, quæ jam ipse divinitus inspiratus sentiebat.

S. Bonaventura ex imagine crucifixi plus hausit quàm libris.

CAPUT VI.

Cavendum nobis & aliud extremum: nimirum, ne per speciem nobis ipsis attendendi, omnem proximi curam abjiciamus.

Objectio contra antedictam doctrinam.

1. DIcet fortasse nonnemo, *si tantum sit in proximo curando periculi situm, hujusmodi me periculis ultrò exponere nolo, sed ab iis quàm possum longißimè, me subducere, deque mei unius profectu ac salute sollicitus esse cupio: magis quippe mei curam teneor gerere, quàm aliorum; nec æquum est, me propter alios salutem propriam in discrimen vocare.*

2. Huic objectioni ut solide occurram dico virtutem omnem in mediocritate quadam seu medio versari. paulo ante unum extremum, nempe NIMIUM docui vitare. Nunc alterum extre-

extremum se offert, ad quod quis à regia instituti nostri via potest deflectere, nisi bene attendat, nimirum nimis parum, quisquis vero ita objicit attendat ad Evangelium clarè illi respondens, in parabola de talentorum distributione. Pater quidam familias (ut ibidem traditur) omnem inter servos suos substantiam dispertitus, uni quidem quinque talenta, alii duo, tertio denique unum tantùm dedit. Primi accepta talenta ritè impendentes, totidem alia superlucrati sunt, atque idcirco ab hero laudem & præmium retulerunt. At qui unum duntaxat acceperat, illud in terram defodit, ac venienti domino, & accepti rationem deposcenti, respondit, *Domine scio, quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti: & ideo timens abii, & abscondi talentum tuum in terra*, ne ipsum amitteretur: *ecce habes quod tuum est*, en talentum integrum, ut à te illud accepi. Cui deinde Dominus: *De ore tuo te judico serve nequam: sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminavi. & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum usura utique exegissem illam?* Et adstantibus dixit. *Tollite itaque ab illo talentum, & date ei qui habet decem talenta*, qui scil. ad quinque accepta, alia quinque superlucratus est; hi enim majore mercede & ampliore gloria donabuntur: *& inutilem servum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium*. Audisne jam quid tibi respondeatur à Domino, qui nimio metu perdendi tuam animam per *nimis multum* agendo cum proximo tuo, à medio deflectis ad extremum aliud, *nimis parum*.

Mat. 24. 15. Luc. 19. 13. 15.

Luc. 19. 22.

Mat. 25. 28.

Lib. de fide & operibus c. 17.

3. Parabolam autem hanc accommodatè nostro proposito exponens S. Augustinus, eam à Christo ad instructionem & documentum eorum prolatam censet, qui, quòd inertes & socordes sint, nec dispensatoris partes in Ecclesia Dei agere, nec proximum juvare volunt, dicentes; *se de alienis peccatis Deo rationem reddere nolle. Hi*, inquit, *pigri huius servi exemplo sapiant: non enim aliam eius condemnationis causam legimus, quàm quòd talentum acceptum, elocare omiserit*, & sic aliquid Domino suo, cui servire tenebatur ex justitia, cupienti lucrum aliquid superlucrari supersederit, superlucratus. Neque enim id ipse perdidit, vel malè impendit: quin imò diligenter & cautè asservavit, sub terram defodiendo, ne furto surriperetur. Etiam S. Ambrosius cum S. Augustino consonans ait, *Videamus, ne rationem reddamus pro otioso silentio: est enim & negotiosum silentium*, (quale fuit castæ Susannæ, quæ plura præstitit silenter ingemiscendo, quàm si locuta fuisset: nam tacendo quoad homines, loquebatur cum Deo) *& est silentium otiosum?* & illud damnabile est. Proinde, sicuti à Deo verborum otiosorum, ita etiam silentii hujus otiosi poscemur rationem. Tunc autē id otiosum est, quando, cùm proximum verbis nostris juvare possumus & debemus, ipsum negligimus.

Parabola Evangelica explicatio ex SS. PP.

Lib. 1. Offic. c. 3.

Dan. 13. 35.

4. Si igitur in universis credentibus adeo damnabile potest esse silentium, vel otium in tractanda causa alienæ salutis; & si tam severe Dominus cui obnoxii sumus (non enim liberi sumus Iustitiæ, sed peccato per Christum) exigit talentum suum, à cæteris

Specialiter parabola Evangelica tangit homines Soc. Iesu.

 homi-

hominibus, quam non à nobis potissimum, & præ cæteris, hujus silentii rationem Deus deposcet! utpote quibus multa talenta concredidit, & hoc alios juvandi officium & ministerium singulariter injunxit! Ideo non tantùm proprii profectus à nobis rationem exiget cum modica cura de profectu proximi: qualem exacturus est ab iis, quibus dumtaxat seipsos curare positum est; uti sunt Monasticæ vitæ deditі: aut sæculares homines; verum etjam quæret, quomodo in proximis juvandis lucrandisque operam vehementem impenderimus. Quos si comperiat talentum acceptum abscondisse, & terræ infodisse, tam ipsum à nobis auferet, quàm nos, uti servum illum nequam & pigrum, castigabit.

Hi iuxta nomen suū Christi attendant exemplum.

5. Quocirca utrumque nos cordi habere, nec unum propter aliud omittere par est: sed exemplum imitari Redemptoris Christi, quem in ipsa passionis nocte, ab oratione surgentem discipulos adiisse, ac rursum ab iis ad orationis locum rediisse, Evangelistæ commemorant. Vt, nimirum, ab oratione surgentes, ad agendum cum proximo, eumque juvandum egrediamur, ac rursus stato tempore ad solitudinem, orationemque repetendam revertamus.

Matth. 26. 39.

6. Præclarè punctum hoc pertractat S. Bernardus, exponens illa sponsi ad sponsum verba: *Surge, propera, amica mea columba mea, formosa mea, & veni: haud dubium,* inquit, *quin ad animarum lucra. Et nonne ipse est, qui paulo antè suscitari dilectam tantoperè prohibebat, adjurans filias Ierusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitent, neque evigilare faciant dilectam, quoad ipsa velit? Quo pacto ergo nunc non solùm ut surgat, sed ut acceleret, jubet? Vno penè momento & prohibet suscitari sponsam, & suscitat. Quid sibi vult tam subita hæc mutatio voluntatis sive consilii? Putamusne levitate usum sponsum, & aliquid voluisse priùs, quod mox noluerit? Minimè. Sed agnoscere nos vult eas vicissitudines, utique sanctæ quietis ac nostræ actionis, & quia non sit in hac vita copia contemplandi, nec diuturnitas otii, ubi officii & operis cogentior urget instantiorque utilitas.* Nescit enim vehemens amor Dei esse otiosus; nam ignis est, *tanto interdum replens zelo & desiderio acquirendi* Deo, *qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat, adeoque properet vehementi proximi juvandi desiderio exæstuans. Mere igitur suo sponsus ubi dilectam paululùm in sinu proprio quievisse persensit. (Lævam enim ejus sub capite suo sponsa ipsa dixerat, & dexteram illius amplexaturam se) ad ea denuò, quæ utiliora visa sunt, trahere non cunctatur.* Vtiliora dico, quia meliùs, utilius & coram Deo dignius est, simul multum aliis curandis intendere, quàm nostri ipsorum profectum & utilitatem, proximi autem parum curare.

Ser. 57 & 58. in Cāt.
Cant. 2. 10.
Hi audiant vocem Christi ad Sponsam.
Cant. 2. 7.
Sponsa quiescere & surgere iubetur. nimirum ab orationis otio ad actionis laborē transeundum est.
Cant. 2. 6.

7. Neque verò tum primùm sponsæ hoc accidit: nam & alia vice idem ipsi contigit. Gestiebat nimirum sponsa contemplationis quiete & deliciis identidem frui ac suavissimis sponsi sui amplexibus & osculis continenter innatare; unde etiam enixè ea petit, dicens, *Osculetur me osculo oris sui.* At respondet ei sponsus *Meliora sunt ubera tua vino*; signans illi, quod contemplari Dominum sit quasi vinum bibere, quo homines valde solent delectari à

Zelus animarum utilior contemplatione.
Bernard. serm. 41. in Cant.

parvo

parvo usque ad magnum: at vino, utpote substantia acri plerumque in fæminis arrodi fœcunditatem uberum, quam debeat ipsa præstare filiis sponsi tā multis, & avide sitientibus. *Recordare,* inquit, *te esse matrem, & filios habere, illos tibi esse lactandos & educandos; atque ad eos sustentandos & juvandos sæpè tibi optatos sponsi amplexus, quietem & delectationem esse seponenda.*

8. Hoc mysterium Spiritus S. alio symbolo & figura olim depinxit in Patriarcha Iacob; cui formosæ Rachelis & valde desideratæ sed sterilis, amplexibus & osculis frui speranti, pro ea Liam lippam, sed fæcundam, præsuppositam fuisse Scriprura narrat. quid autem sibi vult hoc factum? Idem omnino quod jam dixi, nempe quod dum sponsa ad optata deliciosaque sponsi sui oscula & amplexus aspirat, matris ei officium, & filiorum educatio commendatur, diciturque, *Quia meliora sunt ubera tua vino:* fructus quippe prædicationis & conversationis cum proximo ad finem bonum, nec non ardens studium animas Deo lucrandi, melius nunc est, sive in præsenti vita, magisque Deo placet, quàm assidua vini contemplativis suavitas, quæ erit in futuro. Ideo introducitur Lia non æquè formosa ac Rachel, at fœcundior, & sua fœcunditate Rachelis venustatem affatim compensans viro, qui posteritatem amabat.

Gen. 29. 13.

9. Esto igitur vita contemplativa futuri sæculi, qua activa hujus temporis sit perfectior; quando tamen contemplativæ quæ in hac vita haberi potest, hæc activa jungitur, uti fit, docendo & juvando proximum, & animas ad Deum convertendo tunc sane ea multò perfectior est, quàm contemplativa sola quæ in hàc vita exercetur. Hoc in sensu explicat Chrysostomus illud S. Pauli, ad Romanos scribentes, *Optabā enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem.*

Vita mista contemplativam superat.

Lib. 1. de Compunct.
Rom. 9. 3.

10. Quòd, videlicet, Apostolus aliquantisper à suavissima Iesu Christi conversatione quæ habetur in cōtemplatione, meditatione bonitatis divinæ & vitæ Christi, &c. mysteriis, sequestrari, refectionemque suam amorosam ad tempus seponere vellet, ut proximorum saluti comparandæ insisteret proficiscendo per Asiam atque Europam in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex Gentibus, ex falsis fratribus &c. Atque hoc erat, quodam modo propter salvandos *anathema fieri à Christo.* Hinc & communiter Doctores fatentur, hunc supremum quendam caritatis actum fuisse. Adeò ut, quod videtur esse jactura & dispendium, nonnisi insigne sit lucrum & compendium. Vnde nobis persuadeamus necesse est, nullam nos, etsi proximorum curationi & commodis impensè attendamus, in proprio profectu, aut re nostra, jacturam passuros nisi volentes, (nimirum cum nos negligentes assumimus eorum vitia, & morbos & vulnera, quos curare nos velle simulamus) quin potiùs idcircò permultum lucraturos, majusq; in virtute & perfectione incrementum ac progressū facturos: si nosipsos curādo, proximum quoq; curare pergamus.

Exemplum.

Zelus animarum perfectionem promovet.

11. Elegantes & familiares aliquot ad hoc illustrandum similitudines

adfert

Lib. 1. strom. adfert Clemens Alexandrinus. *Quo plus, inquit, aqua è puteis hauritur, eo illam* Similitudines quatuor apta ad propositam doctrinam, *meliorem dant & limpidiorem; contrà eadem, cùm non educitur, limosa putiscens & insipida fit. Culter usu ipso nitescit ac splendet: in vagina verò reconditus, & sine usu, sordes & rubiginem contrahit. Ignis, quòd multa adurat & accendat, adeò nihil de vi sua deperdit, ut potiùs maior fiat & increscat. In scientiis humanis etiam videmus, eum qui alios docet, docendo multa addiscere, seque perficere; atque hoc modo homines magnam sibi Doctrinam ac varias scientias comparare.* Eodem modo se res habet in scientia hac spirituali ac divina, qua proximum erudimus vel exhortamur: eoque magis quòd *verbum Dei gladius sit anceps, ex utraque parte acutus*, tum a- Concionatores. liis, tum sibi secans, quòd enim alios doceo & prædico, eo & ipse opus habeo: quin & docentem me conscientia statim remordet ac vellicat, suggerens; *Cur tu te non facis, quod aliis prædicas?* Væ Confessarii. illis qui dicunt, & non faciunt. Adhæc cùm in confessionibus aliorum lapsus audimus, & iisdem discimus cautè circumspecteque ambulare, ac Deum ex animo rogare, ne potentem manum suam à nobis amoveat: vel immensas ei gratias agere, quòd in pares nos culpas incidere minimè passus sit, vel erubescere quod iste pænitens tam accu- Moribundis vacantes. ratus sit in parvis, ego non. Dum hunc illum ne ad benè moriendum disponimus; idem est nobis efficax occasio & stimulus, ad horam mortis semper præsentem in memoria habendam, & ad taliter vitam instituendam, ut semper & ubivis ad illam parati simus, videntesque animam jam esse egressam, cogitamus, Prô ubi nunc est illa, quid cogitat? sed & quid tibi futurum est? Dum carceres & nosocomia adimus, dum inimicos invicem conciliamus, Opera misericordiæ exercentes. hæc nos opera ad vitæ hujus miserias meliùs cognoscendas, velut manu ducunt, nec non ad beneficium vocationis, quo ad statum Religiosum nos benignissimus Deus è mundi turbinibus vocavit, pluris faciendum, uti ille Religiosus, qui domum rediens, se dicebat semper confirmatum in sua vocatione, videndo quid in sæculo fiat & toleretur. Denique omnia nostra exercitia & functiones ad proximum, adeo occasio non sunt in pejus proruendi, ut potius velut stimuli & excitatores sint, nos, ad studiosiùs & majore cum conatu in virtutem & perfectionem incumbendum, adhortantes.

12. Huc accedunt multæ illæ mise- Opera misericordiæ spiritualia maiorem misericordiam promerentur his qui illa exercent. ricordiæ, quas copiosissimè Dominus præstat iis, qui naviter & impigrè proximo operam suam dedicant. Si enim opera misericordiæ corporalia exercentibus, tanta in Sacris litteris promissa merces legitur, quæ non manebit eos, qui spiritualia misericordiæ opera proximo impendunt? utpote quæ tanto prioribus digniora sunt, quanto corpori anima antestat & potior est. Quare jure meritò de his intelligi posse. Chrysostomus ait id, quod in E- Chrysost. vangelio legimus: *Date, & dabitur vobis.* Nec non illud quod apud Sapientem: Luc. 6. 38. *Anima quæ benedicit* (id est proximo benefacit) *impinguatur; & qui* spiritualiter Prov. 11. 25. alios *inebriat* amore ac desiderio rerum cœlestium, *ipse quoque* à Deo divinarum consolationum vino *inebriabitur.* Nonnulli hos assimilant eleemosynariis Principum, quibus magna argenti

genti vis in egenos distribuenda datur: iis enim, si multa largiuntur, etiam multa vicissim conferuntur.

Qui proximos iuvăt, melius nutricibus regiis, quam eleemosynariis comparantur.

13. Hæc tamen comparatio (ut verum fatear) nequaquam quod volumus adæquat, nec usquequaque per omnia respōdet: quia eleemosynarius, si modò fidelis sit dispensator, prorsus nihil sibi reservat, nec inde quòd aliis multa dat, ipse fit locupletior. Verum qui spiritualibus ministeriis proximo opitulantur, alios locupletando, ipsi pariter ditantur, substantiamque suam adaugent. Quocirca alii meliùs & adæquatiùs eos puerorum regiorum nutricibus comparant, quibus de sua mensæ Rex cibos & alimenta jugiter subministrat, quæ deinde ex eo, quod sibi superest, parvulos Principes enutriunt. Pari modo, quibus Regis cœlestis filios educare propositum est, iis ipse de mensa sua regali ac divina alimenta tam copiosè suppeditat, ut, cum ipsis plus quàm satis sit, ac datis redundent; de hac abundantia in filios suos spirituales non pauca queant effundere. Quam similitudinem D. Petrus Chrysologus his verbis eleganter complectitur: *Vt enim infantis regii nutrices delicatis cibis pascuntur, ut purissimum lactis fontem alumnis suis propinent: sic supremus ille Rex verbi sui ministros, licèt immeritos, propter filiorum suorum alimoniam, cœlestis suæ mensæ cibis pascit & nutrit, quo delicatius illos lactare & pascere valeant.*

Zelus animarum est medium nostræ perfectionis.

14. Porro nostrum, præ aliis Religiosis, est semper hoc ipsum præ oculis habere: nam proximi curationem & opem Deus, velut efficacissimũ quoddam ad privatim proficiendum in spiritu, medium nobis est elargitus; quod istud propriè nostrum, sit institutum ac finis. Vti expresśè declarat Bulla Iulii III. in qua cum instituti nostri finem, & erga proximum exercenda ministeria ipse proposuisset, subjungit. *Curetque primò Deum, deinde hujus sui instituti rationem, quæ via quadam est ad illum, quo ad vixerit, ante oculos habere.* Quia sicut proprius nonnullarum Religionum monachalium profectus situs est, in choro exactè frequentando, in clausura benè servanda, in statutorum jejuniorum & asperitatum observantia: ita noster profectus & perfectio in eo consistit, ut ministeria nostra ad proximo subveniendum instituta, legitimè debitoque modo obeamus: quia sic ad hoc nos vocati sumus, sicut illi ad sua.

Phil. 4. 1. 2. Thes. 2. 20. Perfectio proximi gloria nostra est.

15. Vnde ipsi non immeritò de proximo dicere possumus, quod olim de Philippensibus Neophytis Apostolus, *Gaudium meum, & corona mea.* Et de Thessalonicensibus, *Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* In quem locum sic commentatur Ambrosius. *Manifestum est, quòd perfectio discipulorum, gaudium & perfectio magistri est*, & gloria. Noverimus ergo, omne nostrum meritum, profectum & perfectionem in hac una re situm esse. Adeò ut, quamvis solitudo & recollectio cellaris, necnon mirificus erga orationem affectus, in Societate nostra permagni fiant; si quæ tamen oratio & solitudo à ministeriis proximo debitis nos avocat, insignis quædam est (in Societate quidem) dæmonis tentatio. Si vel in sæculo ageremus, vel aliam Religionem, cui hoc propositum non esset, profiteremur; à bono certè spiritu profectum, & per-

Quidquid à zelo animarum nos avocat, tentatio est, quia à fine abstrahit.

fectio quædam credi poſſet, diutiùs ac frequentiùs orationi inſiſtere, ac noſtri tantummodò ipſorum curam gerere; at in Societate, bonus id ſpiritus non eſt, ſed mera tentatio, & dæmonis in Angelum lucis ſe transfigurantis, ac per propriæ ſalutis curandæ, præſentiſque periculi declinandi ſpeciem, ab inſtituto te tuo ac fine avocare machinantis, illuſio.

16. Oratio Societatis, noſtræ debet eſſe vocationi conformis, ut, nimirum, ab ea ad proximum juvandum promptiores ſurgamus, & cum S. Iob elegantiſſime hoc ſtudium præfigurante dicamus: *Si dormiero, dicam: Quando conſurgam? & rurſum exſpectabo veſperam.* In oratione ſiquidem comparare nos debemus, ad inſtituti noſtri miniſteria meliùs & accuratiùs obeunda; atque eo melior futura eſt oratio, quò ad hæc magis diſpoſitus ſurges ab ea: quanto etiam magis in amore Dei proficis, tanto incenſius eſſe debet tuum animas Deo lucrifaciendi, utque & alii pariter tecum eum ament, procurandi deſiderium.

Iob. 7. 4.

Oratio & charitas, animarũ zelo ſubſerviat.

17. Religioſus quidam, fervens & zeloſus Dei ſervus, cùm multos per annos indefeſſo labore in Indorum converſione laboraſſet, jam ſtudio per quietem ſui colligendi, & ad felicem è vita exitum diſponendi, in Hiſpaniam rediit, ibique ſe ab omni cum proximo converſatione aliquantulum ſequeſtravit. Hic quoties orationi inſiſteret, videri ſibi videbatur Chriſtum Ieſum in cruce fixum, ſuavi ac blanda quadam expoſtulatione in hæc verba reprehendentem. Cur me in hac cruce relicto, tuam ipſe quietem & conſolationem ſectaris? Qua viſione Chriſti admonitus, & mirè permotus, ad intermiſſam animarum culturam revertit, in qua permultis deinceps annis navuum & infractum ſe operarium præſtitit.

Exemplũ. F. Alfonſus de Roza Ordinis S. Franciſci,

Caput VII.

Aliquot remedia contra puſillanimitatem illorum, qui, quòd ſuiipſorum perditionem timeant, à proximo juvando ſubterfugiunt.

1. **V**T puſillanimitatis tentationem, qua timidos & ſcrupuloſos dæmon divexare ſolet, ratos ſuam ſe animam præſens in diſcrimen vocare, dum aliorum curare proponunt, radicitus è cordibus noſtris evellamus; ante omnia veritatem inprimis neceſſariam, maximiq; momenti, quæque ad hoc inprimis nos adjuvabit, noverimus, nobiſque perſuadeamus oportet: nimirum: *Quo loco nos Deus collocabit, eo ſecuriores ac tutiores nos fore, quàm quo loco nos ipſi tutos fore putabamus.* Dum enim, Superiore injungente, in publicum prodimus, dum fœda & ſpurca pœnitentium in eo confeſſionibus ſcelera audimus; tutiores ac ſecuriores erimus, quàm ſi proprio nutu & decreto, intra cubiculum nos abdentes, hiſce nos miniſteriis, prolabendi periculum veriti, ſubduceremus.

Obiectio præced. capite poſita amplius diluitur.

Tutiores in periculo cum Deo, quàm ſecum extra illud.

2. Fieri enim poteſt ut in cubiculo tuo à pravis & obſcænis cogitationibus impugneris, & inardeſcas; in miniſteriis autem illis fieri poteſt, ut ſecurior ſis & quietior: quoniam enim te Deus in illis conſtituit, hinc etiam te cuſtodiet & proteget. *Domine ut ſcuto* Pſal. 5. 13.

Non locus facit immunem à peccatis, ſed gratia Dei.

bona

bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Bona, inquam, voluntate Dei, ea nobis mandantis, iisq; nos applicantis, velut umbone & clypeo circumdamur ac protegimur. Vnde præclarè S. Basilius: *Noli to putare,* inquit, *ideo te castum, & à carnalibus tentationibus immunem fore, quòd te intra solitudinem recludas, & ab hominum consuetudine sequestres.* Falleris: hæc enim non est castitatis assequendæ ratio.

Const. monast. 6.

3. *S. Hieronymus* in solitudine interiori, procul ab hominibus agebat, oleribus & herbis victitans, & mira asperitate corpus suum atterens; de se ipse tamen queribundus scribit, sæpè se visum sibi Romanis choreis & plausibus interesse; cumque frequentibus ora pallerent jejuniis, cùm corpus rigidum & exhaustum vix spiritum traheret, cùm caro exsuccida & propè mortua esset; voluntas nihilominus malis concupiscentiis æstuans, ad illicitos appetitus impotenter rapiebatur. Contrà *Abbatem Eliam* tam raro dante Deo, castimonia fuisse, refert Palladius, ut quadraginta per annos trecentis monialibus tanta animi pace & quiete præfuerit, quanta, si viris præfuisset; nimirum, sine ulla ad libidinem tentatione, & castitatis violandæ periculo. Tam integris vestibus & saraballis, *tres illi pueri* in fornace Babylonica ambulabant, ut nullum illis flamma nocumentum inferret, nec capillus capitis eorum adureretur: regios verò ministros, qui à fornace procul dictabant, sibique, ne ab igne violarentur, cavebant, flamma non ustulavit modò, sed & devoravit. Potens est enim Deus, in mediis flammis illæsos & intactos servare eos, qui ejus amore in easdem se dedêre. Flammæ potiùs ipsis fuere ceu flores vernantes, & paradisus deliciarum, in his quibus Deum laudabunt & benedicebant. Ita contingit iis, qui ex ejusdem Dei amore divinique honoris zelo, in medio fornacis Babyloniæ mundi hujus igne ambulant: quia ubi alii miserrimè comburuntur, & penitus consumuntur; hi Deum laudant, benedicunt, magnasque ei gratias agunt pro vocationis beneficio: & unde alii animabus suis perditionem & condemnationem arcessunt, inde hi evidentiorem vanitatis mundanæ cognitionem, æquè ac detestationem, majoremque boni, quod in Religiosa vita habent, æstimationem hauriunt. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Iis inquam, qui ex amore Dei, & Superiorum voluntati parendi desiderio, his ministeriis vacant, omnia in bonum convertuntur, itaque sugunt mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Vbi enim animus fidelis, Deoque placendi avidus concurrit, ubi homo non intrudit neque se ingerit, sed legitimè ad hæc ministeria vocatur, ac debitè eis applicatur; nulla ibi est animo cadendi, sed magna potiùs fiduciæ in Deum collocandæ occasio, sperandique, quod, quandoquidem his ipsemet nos applicarit, gratiam quoque dabit eadem sine læsione & periculo obeundi.

Exempla. Epist. ad Eustoch.

In histor. Lausiac. c. 3.

Dan. 3.94

Rom. 8. 28.

4. Vt autem huic veritati magis credamus, ac proinde ad munia nostra peragenda majorem fiduciam & animos concipiamus, quoddam hic medium, idque efficacissimum, quod in So-

Gratia peculiaris Societatis Iesu, quo ad castitatem.

in Societate ad hunc finem habemus, omissis modò aliis plurimis, producam; particularem, inquam, in hoc Religionis nostræ gratiam. Est hoc primarium quoddam ac maximæ consolationis punctum, tum quoad argumentum quod jam tractamus, tum quoad alia plurima deserviens.

Omnes religiones peculiarem gratiam habent; ad suum finem assequendum.

5. Vnaquæque Religio particularem quandam à Deo gratiam & auxilium, ad eum perfectionis gradum, ad quem ejus sectatores vocati sunt, assequendum accepit. Neque enim Deus hominem ad aliquem statum aut finem vocat, quin simul convenientia media, vires & gratiam, quæ ad finem illum & perfectionem, ad quem est vocatus, obtinendum necessaria sunt, ei concedat. Hanc D. Thomas assertionem egregiè tum sacræ Scripturæ auctoritate, tum naturali ratione comprobat: quia *Dei perfecta sunt opera.* Quocirca, si Deus quam piam Religionem ad certum aliquem finem, instituit; ei quoque media auxiliaque ad eum finem obtinendum necessaria, dare debet: imperfectum alioquin Dei opus foret, utpote qui daret essentiam & non concederet ei proprietates suas. Sicut divinam ejus majestatem in omnibus rebus naturalibus facere videmus; hinc quando potentiam ad aliquid concedit, simul etiam convenientia confert media, ut illa potentia ad actum suum reducatur; nam, juxta Philosophorum axioma, *Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum,* Eodem prorsus modo fit in rebus supernaturalibus, & iis quæ sunt gratiæ; neque enim minùs eæ esse perfectæ debent, imò potius perfectiores, quàm naturales.

4. d. 24. q. 1. art. 2. ad 3. Deut. 32. 4.

Cui dat Deus potentiam, dat media ut illa in actum exeat.

Vnde cū aliquam Deus opt. max. Religionem ad finem quempiam instituit, omnia simul media & auxilia necessaria, ut qui ejusdem Religionis sunt eum consequantur, ei elargitur. Atque hoc vocamus gratiam Religionis. Ac sicuti singulæ Religiones ab invicem diversæ sunt, & suum unaquæque procedendi modum, & particularem finem atq; institutum sanctum habet: ita etiam singulis Deus particularem gratiam & auxilium ad finem illum, ad quem eas instituit & ordinavit, obtinendum contulit. In hoc ergo Religiones omnes conveniunt, quòd gratiam Religionis unaquæque habeat, particulare, inquam, quoddam Domini auxilium & opem, ad perfectionis statum, ad quem institutæ sunt, consequendum oportunum.

Gratia Religionis.

6. Hæc porro gratia ea proportione cuique earum distribuitur, quam finis quem habet, necnon media, quæ ad eum consequendum ei concessa sunt, requirunt. Ita Deus Monachis Carthusiensibus particularem gratiam dat intuitu novissimorum hominis ad clausuram, solitudinem & abstinentiam suam ab hoc mundo servandam: Hieronymianis, ad attentam in choro divinorum officiorum recitationem: atque ita de cæteris Religiosis Ordinibus. Cum ergo nostra Societas particularis quædam sit Religio, auctoritate Sedis Apostolicæ in Ecclesia Dei ad animarum juvamen & curationem potissimùm instituta: hinc Deus nobis, ad finem hūc consequendum, particularia & propria quædam media suggessit; quorum etiam in confirmationis ejus Diplomate ipsemet

Quæ qualisve sit illa gratia peculiaris.

met Summus Pontifex meminit; qualia sunt, *verbum Dei prædicare, confessiones audire, docere Sapientiam, Christianæ fidei capita rudibus per catechesin tradere, spiritualia exercitia præscribere, dissidentes invicem conciliare, carceres & nosodochia adire*, aliaque id genus proximi juvandi officia ex caritate exercere. Adeò ut, sicuti Societas Religio est ad hunc finem, *animarum*, inquam, *conversionem sive salvationem*, à Deo vocata: ita etiam ad hæc ipsa ministeria & munia, quæ istuc serviunt, vocata sit, ut illorum adminiculo finem hunc assequatur. Et hoc inprimis notandum est quia maximæ consolationis est fundamentum. Neque enim solùm finis, verùm etiam quæ in proximorum curationem impendimus media & ministeria, instituto nostro propria sunt, nobisque convenientia, idque vi Regulæ à Vicario Christi approbatæ & confirmatæ, quemadmodum è Bulla, qua Institutum nostrum approbavit Pontifex Iulius Tertius, liquidò patet. Itaque Societatem Iesu professi, ex vi regulæ suæ, sunt Concionatores, Confessarii & professores scholares; nec tantùm ministeria spiritualia, verùm etiam opera misericordiæ corporalia, quę proximo Societas impendit (qualia sunt carceres visitare & nosocomia) ex Regulæ & Instituti præscripto exercere tenetur, uti ex eadem Bulla patet.

Societatis media.

Quæ qualisve sit illa gratia peculiaris.

7. Vt ergo jam ad rem veniamus; sequitur hinc Societatem particulare quoddam à Deo auxilium & gratiam, ad finem hunc, animarum, inquam, conversionem, (ad quem potissimè eam instituit) assequendum accepisse, & quidem per media vocationi & instituto nostro propria, quæ ad hoc ipse nobis dedit. Atque hæc est particularis Religionis hujus gratia. Quocirca particulari quadam ratione nobiscum Deus est concursurus, & particulare quoddam robur & efficaciam hisce mediis, ad finem hunc assequendum, additurus: quia hæc est gratia particularis, hujus Societatis. Ita autem se rem habere, singulis diebus (quæ Dei bonitas & misericordia est) reipsa experimur. Quid enim in causa esse putas, quòd cùm quis de Societate côcionator in Missionem aliquam; & quidem interdum ætate juvenis, & nonnisi nuperrimè studiorum cursu confecto, destinatur; talem is tota aliqua gente animorum motum concitet, ut universi, ad peccatorum homologesin faciendam, magno fervore tam frequentes accurrant, ut jam sacrosancta Paschatis solennitas instare videatur? tales illic tamque inveteratos inimicos conciliet, quos antè alii permulti, tentatis omnibus, in gratiam reducere, nequaquam potuerunt! idem quoque publica flagitia, & scandala de populo tollat, quæ antè nec brachium sæculare, nec auctoritas Prælatorum coercere persæpe valuit? An tuæ id virtuti & doctrinæ, an talento & gratiæ concionandi putas acceptum referendum? Nequaquam. Non est hoc aliud, quàm particularis Religionis gratia, quoniam enim salutem hominum procurare Societatis Institutum est, & illa media ad hoc ipsũ proportionata sunt, hinc particulari quodam modo ad illa Deus concurrit, ac singularem quandam energiam & efficaciam iisdem mediis & personis indit.

Fundamentum assertionis de hac gratia peculiari Soc. Iesu, est:

ratio & experientia.

indit, ut sint quasi quidam digitus Dei, juxta effatum Papæ Pauli III. quo suum finem consequantur secum operando, qui vult omnes Homines fieri salvos.

Apostatæ Soc. deseruntur à gratia ejusdem.

8. Idipsum è contrario experimur, quo hactenus dicta mire confirmantur, siquidem videmus in nonnullis, qui Societatem jam deseruere, quòd cùm in ea agerent, alas habere & volare videbantur, gratis auribus & animis passim ab omnibus audiebantur, & insignem in populo fructum faciebant: opinatos postea de se, quod eadem felicitate eadem agere possent, in sæculo, & pari modo volare, & eundem facere fructum, frustratos sua spe fuisse. nam quòd hæ alæ essent ex gratia Religionis, ipsis additæ, idcirco cùm eandem reliquere, etiam alas exuerunt, planeque se implumes in sæculo esse compererunt.

1.Machab. 5.57. *Figura.*

9. Illustrem rei hujus figuram nobis suggerit liber primus Machabæorum. Cùm enim quidam è populo Israel viderent quod Machabæi generosa multa in bello facinora ederent, & sæpius cum Gentibus collàta manu, semper superiores evaderent, & vix ullis suorum desideratis luculentas victorias reportarent, ac propterea nomen illustre eorum orbe toto celebrari notarent, imprudentes illi & fortè certè parem sibi ambientes, dixerunt adinvicem, *Faciamus & ipsi nobis nomen* inclytum, ut celebremur in Gentibus. Quo dicto, colligunt copias, & adversus hostes Israel expeditionem movent. At non pro eo ac putarant, res successit: sed cum confusione fugati à Gentibus & cæsi ad propria reverti sunt coacti. Hostes quippe eos adorti, turbatis ordinibus, & bis mille cæsis reliquos in fugam compulerunt. Cujus rei rationem Scriptura statim etiam subnectit: Ideo, inquit, hi cæsi & fugati sunt, & vincere sperantes, victi sunt, quia *non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.* 1.Machab. 5.62.

Conclusio I. omnia Dei & religionis cujus spiritus operatur in singulis prout vult

10. Nullam ergo superbiendi, aut quidquam nobisipsis arrogandi occasionem habemus, sed omnia hæc tum Deo, tum Religioni attribuenda sunt. Domin' quippe *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti*, non littera, non talentis naturæ quæ attulimus, *sed spiritu*, quem ipse nobis communicavit vocando & acceptādo ad suam Societatem. Quod enim hoc Societatis sit institutum, tuque Religionis hujus membrum; tecum Deus in ea concurrit, tibique particularem dat gratiam & auxilium, ad magnum in proximis fructu faciendum, utque illis subveniendo, non solùm tibiipsi minime noceas, verùm etjam hac via magis in virtutis studio perfectioneque crescas, & progressum majorem facias. Atque hæc est particularis illa Religionis hujus gratia, & particularis ejusdem effectus. Deus. 2. Cor. 3.6.

Conclusio 2. Nullam in Soc. habere causam pusillanimitatis.

11. Hæc qui considerat, nullam prorsus animo cadendi, aut pusillanimitatis occasionem habet. Pro hac re solerter advertit S. Bernardus, quod, cùm sponsus sponsam à somno contemplationis ad actionem surgere juberet, non dixerit, *Vade*, sed, *Veni, surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Quod non parum nos animat & corroborat. Per hoc namque significat, quòd nos Deus nolit ire, prout ipsi volumus, sed ducat ipse quò Ser. 18. in Cant. Cant. 2. 10.

vult,

vult; & per hæc ministeria non dimittat à se, sed nos ad se trahat. Ad Societatis ergo ministeria nos mittit, non ut à se separet, sed sibi magis conjungat. ad ipsum imus, ipse nos ducit, nobiscum incedit, noster est comes. Vnde minime timendum est, ut propterea simus aliquam in spiritu jacturam facturi aut damnum passuri; sed potius concipienda spes & fiducia, majus inde lucrum & proventum meliorem secuturum.

Simili confirmatur propositum. 12. Regis cujusdam filius servos ad audax aliquod facinus aggrediendum excitaturus, dixit eis, *Nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis, roboramini, & estote viri fortes.* *2.Reg.13.18.* Si ergo Domine ipse mihi præcipis, ut his me ministeriis & obsequiis impendam, utque seriò proximos curem, quomodo timere potero? *Obedientia ubique secura.* Securior longè & tutior in medio mulierculaurm lascivarum ero, earum confessiones excipiendo, & eis prædicando, dummodo tu me hisce officiis applices; quàm si meo ex arbitrio ac lubitu, intra domesticos parietes conclusus existam; tu enim Domine, id mihi injungis, tu eis ut vacem imperas. *Psalm.22.4.* *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Quies in eo quod Deus mandat, non quod quis elegerit reperitur. 13. Hinc etiam apparet, quàm graviter in Religione errent nonnulli, qui, proprium secuti arbitrium ac velle, dicunt, Si tali in loco essem, si tali officio aut ministerio applicarer, quietus forem, & Deo majus in eo obsequium præstiturus mihi videor; hac verò in domo, hoc in ministerio planè inquietus sum, & nullam consolationem invenio: imò videor, si diutiùs in eo maneam, nullum omnino profectum facturus. O intolerabilem errorem & illusionem! Quid? eo ne in loco benè tibi putas fore, in quem tute te cupis ingerere? ibi verò malè tibi erit, & pessime. bene autem ubi te Deus constituere vult. Vtinam verò, quæ hinc secuta sunt mala, non reipsa jam sæpè essemus experti.

14. Novimus siquidem quosdam, quibus, cùm non essent contenti iis officiis & habitationis locis, in quibus Deus & Superioris voluntas ipsos constituerat, temereque alia ambirent, procurando ut Superiorum voluntas & judicium suiipsorum judicio condescenderet. *Exempla Electionis propria periculum.* Isti stolidè sibi persuadebant, majus ibi se Deo obsequium, & in proximo fructum facturos majorem, si uti sibi imaginabantur permitterentur agere, sed tam malè hæc, quàm desiderârant & ambierant, mutatio cessit, ut ad oculum viderint & confessi sint, meritò se ob eandem à Deo castigatos. Timeamus ergo nobis, neque pro arbitrio nostro, habitationis locum, officium, aut gradum desideremus: sed in omnibus simpliciter nos à Deo, per directionem obedientiæ, dirigi & conduci sinamus: *Obedientiæ fructus.* ubicunque enim locorum nos ipse constituet, in eo & meliùs vivemus, & tutiores securioresque erimus.

* * *

CA-

CAPUT VIII.

De I. medio ad fructum in proximo faciendum: bona & sancta vita.

Zelus animarum, & perfectio propria se invicem juvant.

1. IAm generalia aliquot media, proximo juvando conducentia, de quibus in septima Constitutionum, parte c.4. S.P.N. loquitur, prosequemur, omissis aliis particularibus, quæque Sacerdotibus propria sunt: de quibus in quarta earum parte c.8 agit. Et quamquam quæ in præsens dicturi sumus, ad proximi promotionem utilitatemque potissimè referuntur; talia nihilominus ea erunt, ut simul etiam ad proprium bonum & perfectionem spectent. Nam (ut initio dicebamus) duo hæc in Societate ita invicem conjuncta sunt & sororiant, ut, quòd proximo juvando conveniens medium est, simul etiam nobis perficiendis sit opportunum: &, quod ad nostram est utilitatem inventum, non minus in proximi commodum cedat. Quamobrem quod hîc dicturi sumus, erit hujusmodi, ut in genere & ex æquo omnibus prodesse queat.

Bona vita optimè ædificat proximum.

2. Primum quod eo loco proximis juvandis perficiendisque medium S. P.N. assignat, est bonæ vitæ exemplum. *Et primò quidem confert bonum exemplum totius honestatis ac virtutis Christianæ, ut non minùs bonis operibus: imò magis, quàm verbis, eis ædificationi esse, quibuscum agitur, curent.* Bona enim & sancta vita, quodque homo primò sibiipsi profecerit, & rem propriam promoverit; primarium & efficacissimum est medium ad plurimum inter proximos fructus faciendum. Quemadmodum arbores, quæ magis excreverint, plus Dominis suis fructuum ferunt; pari modo prædicator & confessarius, qui magis sibi antè profecerit, magis etiam aliis, quos tractabit, proderit. *Simile.* Ioan. 5. 35.

Ratio hujus est, quod exemplum sit efficacius verbis ut patet in dictione.

3. Medii hujus momentum & necessitas inde primò colligitur, quòd certissimum sit, bonæ vitæ exemplum longè esse ad animos permovendos efficaciùs ac potentiùs, quàm quæcunque haberi queant verba aut conciones. Vnde etiam Christus Redemptor orbis, viam in cœlum docere primò cœpit operibus, deinde ad verba descendit. Ait quippe Lucas, *Cœpit Iesus facere & docere.* Primò, triginta voluit annis laborare & facere, ut triennio doceret. Hanc etiam ob causam Ioannem Baptistam prius ad severam pœnitentiæ vitam in desertum concessisse, ait D. Hieronymus, ut postea efficaciùs pœnitentiam suaderet, & Christum prædicaret *vox clamantis in deserto.* Quærit hîc sanctus Doctor, quomodo Ioannes desertum elegerit ad prædicandum; cùm illud magis, ne quis ab ullo mortalium videatur, vel audiatur, quàm ad prædicandum, convenire videatur. Ac respondet: Idcirco huic muniri Christi præconem desertum locum delegisse, ut homines, novum vitæ genus in prædicatore hoc cernentes, eum inciperent admirari & ad agendam pœnitentiam, vitia deserenda, prædicatorisque ipsius imitandi studium excitarentur. Probè scilicet notat Ioannes, exemplum esse ad auditores commovendos, fructusque in ipsis edendos, longè quàm verba &

Li 1. Ep. 16. Quare exempla sin[...] efficaciora [...]iam verba. Serm. de S. Benedicto.

Act. 1. 1.

Lib. 3. contra Cresconium Grammat. c. 6.

Epist. de vera Circumcis. Ioan. 1. 23.

1. Cor. 4. 16.

ba & voces, potentius atque efficacius. Vnde etiam de eo in Euangelio legimus: *Erat lucerna ardens & lucens*, quia ardebat sibi amore Dei, simul etiam ingentem ad proximum, vitæ suæ adeò mirabilis exemplo, lucem ac splendorem emittebat.

Ioan. 5. 35.

4. Tritum est illud Senecæ dictum: *Longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla: quia homines amplius oculis quàm auribus credunt.* Aliam rei huius rationem dat S. Bernardus: *Sermo*, inquit, *vivus & efficax, exemplum operis est: plurimum faciens suadibile, quod monstratur factibile*; Nam videntes auditores ipsum opere præstari ab eo qui faciendum monet, hoc viso, etiam ipsi ad illud exequendum animantur. Tanta quippe est, teste Sancto Augustino, hominis infirmitas & imbecillitas, ut difficillimè ad bonũ aliquod faciẽdum se applicet, nisi antè ejus in alio exempla videat. Hanc ob causam permagni refert, inquit, ut Euangelicus doctor & prædicator bonus sit, ut auditores habeant quod imitentur. Vnde etiam Apostolus sic suos auditores compellat. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, Huc accedit, quod homines visa prædicatoris & magistri sui vita & moribus, animadversaque horum cum doctrina, quam docet conformitate, statim sibi persuadeant, præcepta ejus ex intimis animi visceribus seu corde sincero serioque proficisci, cum igitur talis sermo sit cordialis, eum optime cor capit tanquam qui sui sit generis & speciei. quomodo anser anserinum sonum melius capit quam alterius bruti. Magna itaque ad movendum & persuadendum vim habent exempla: at quando vita à doctrina discrepat, parum efficitur quidquid dicatur.

Li. 1. Ep. 16.
Quare exempla sint efficaciora quam verba.
Serm. de S. Benedicto.
Lib. 3. contra Cresconium Grammat. c. 6.
1. Cor. 4. 16.

5. Vnde S. Basilius & Chrysostomus ajunt, eum, qui aliter vivit ac docet, non verum, sed fictitium doctorem esse, ac histrioni persimilem. Sicut enim histriones modò Regis, modò Dynastæ, modò opulenti alicujus personam agunt, Rex tamen, Dynasta, aut opulentus non sunt: ita etiam is, qui nonnisi verbis docet & prædicat, scitè quidem repræsentat humilitatem, non tamen est humilis; scitè mundi & honoris omnis contemptum prædicat, nondum tamen plane mundum & honorem hujus sæculi sprevit. quare si talis sis, scenicus histrio es, non prædicator Evangelicus. Hos ipsos eodem loco Basilius comparat pictoribus: quia sicut hi, etsi sint deformes, egregiè tamen hominis alicujus pulchritudinem in tela vel tabula delineant: ita prædicatores nonnulli, etsi ipsi sint superbi; scitè tamen humilitatem norunt depingere, & præclara multa de eadem documenta adferre, Et quamvis cholerici sint & impatientes, patientiam nihilominus suis delineare coloribus noverunt: etsi garruli & vagi, multa de silentio ac recollectione solitaria elogia depromere &c. S. Augustinus non absimiles hos esse ait terminis illis saxeis, qui in agris defixi, digito quà eundum sit viatoribus demonstrant, ipsi nihilominùs fixi loco manent. Tales, inquit, fuerunt Scribæ illi & Pharisæi, qui Magis viam in Bethleem ostendentes, ipsi eodem proficisci noluere, imò ne pedem quidem movere runt. S. Hieronymus explicans hæc verba Salomonis, *Abscondit piger manum*

Hom. 24
Homil. 1. in Act. Apost. in illud.
Capit lapsus.
Concionatores vani, 1. histrionibus comparantur.
Ibidem.
2. Pictorib.
Serm. 34. de tempore.
3. Terminis agrorum.
Matth. 2.
Prov. 26. 15.

4. Pigro Salomonico. *num sub ascilla sua, & laborat si ad os suum eam converterit*, per pigrum hunc optimè intelligi posse ait prædicatorem, qui quæ docet, facere detrectat, & ori manus, verbis opera non adaptat: Gregorius Nazianzenus denique, eum, qui non simul verbis prædicat, ait, vna manu animas quodammodo avocare, aliâ repellere; unâ manu exstruere, aliâ destruere. Hi sanè sunt Pharisæi illi & Scribæ, quos Christus in Evangelio reprehendit, dicens, *Væ qui dicunt, & non faciunt.* hi enim nec verbis suis movent, nec fructum aliquem faciunt.

5. Ei qui una manu destruit quod altera extruxerat.

6. Pharisæis.

Matth. 5. 19. 6. *Qui autem fecerit & docuerit, hic Magnus vocabitur in regno cælorum*: hi germani sunt prædicatores Evangelici & Apostolici, quique vitæ suæ honestæ exemplo egregiè in animabus fructificant. Nam, quoniam sanctitas supernaturale quid est & diuinum, hinc omnes naturaliter iis venerationem ac reverentiam plusquam humanam deferunt, eosque non ceu homines, sed velut Angelos, intueri, audire ac suspicere videntur. Hinc eorum verba velut cœlitus missa accipiunt: per eadem quoque mirè moventur, alteque ea in animo suo demittunt. Hac de causa Apostolus vineæ Dominicæ operarios rogat, ut se *irreprehensibiles & inconfusibiles* præstent, & exemplum sint fidelibus in castitate, charitate, ac reliquis virtutibus, ut sic doctrina eorum efficax sit, ad eos qui foris sunt confutandos, & convertendos.

Boni Concionatores. 1. Similes sunt illis qui Magni sunt dicti. 2. Apostolis. 3. Sanctis. 4. Angelis.

1. Tim. 2. 15. Tit. 2. 7.

Bona vita Deus plura tribuit media iuuandi proximos.

7. Bona itaque & sancta vita, præcipuum est ad proximos juvandos medium. *Primò* quidem propter exemplum, ut jam ostendimus. *Secundò*, quia, ut Deus nobis, ceu instrumentis, utatur, ad multum in proximo fructum colligendum, magis sane refert nos in virtute & mortificatione insignes progressus fecisse, quam in literis & artibus, & dexteritate motuum corporeorum. Hoc secretū nos docuit vel aperuit S. P. N. in decima Constitutionum parte loquens de Societatis conservatione & incremento, necnon de mediis, quæ nobis ad spiritualem finem, propter quem instituta est (animarum videlicet conversionem) consequendum mirificè conducunt, ubi asserit media, quæ instrumentum arctè Deo conjungunt, ipsumque disponunt, ut meliùs à divina manu dirigatur (qualia sunt, media probitas & virtus) esse ad hoc efficaciora, quàm, quæ nos erga homines disponunt (cuiusmodi sunt literæ, aliaque dona naturalia & humana) ac proinde iis præcipue nos niti & comparandis insistere debere. *Omnes*, inquit, *in virtutum solidarum, ac perfectarum & spiritualium rerum studium incumbant, ac in huiusmodi maius momentum, quàm in doctrina vel aliis donis naturalibus & humanis constitutum esse ducant. Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanere ad finem nobis propositum oportet.* 10. p. Const. §. 1.

Plus gratia quam natura tribuendū. Reg. 6. Summa. r. 1.

8. Cujus rei ratio manifesta est. Si enim humanum quid esset, cordis humani conversio & incitatio ad Deum supernaturali modo diligendum, & ei per omnia obsequendū, sane humana media & prudentia satis essent ad ipsam extorquendam & læto exitu concludendam. At finis, quem spectamus, quando anima Deo conciliare & æterne desponsare intendimus, pro potiore parte supernaturalis est, & divinus,

Ratio superioribus dogmatis.

vinus, idcirco etiam media magis debent accedere ad divinitatem & supernaturali vi pollere, tunc hominum corda vere concitabimus, animas Deo creatori lucrifaciemus, easque è peccatis educemus. Neque enim nostrum est, sanctitatem in animabus creare & ingerere, sed ejus, qui in ipso mundi primordio dixit, *Fiat lux, & facta est lux.* (Gen.1.3.) Si ergo huic Domino, qui dicit & fit valde fuerimus conjuncti, tunc Dominica opere cum eodem operari erimus digniores. Alias omnis doctrina, omnis prudentia, omnis diligentia nostra & industria, atque adeò quæcumque naturalia & humana quæ adhibere possumus media, nullam prorsus habent cum fine illo excelso proportionem. Solus Deus est, qui in judicio supernaturalem lucem creat, & in cordibus calorem, & ad utrumque verba vitæ dat. posset hoc mirifice illustrari instrumenti vi atque efficacia, ad effectum aliquem producendum, uti docent Philosophi, sed quisque ex se quod à Deo duntaxat provenit, scire potest quod in arbitrij humani libertate supra naturam Adami mutatur. Illa proinde media, quæ Deo nos arctiùs conjungent & vnient, aptiora & efficaciora nos instrumenta facient, ad animas convertendas: quo enim Deo magis uniti erimus, eo gratiarum ejus ac donorum cœlestium influxus meliùs intra nos recipere, eosque in alios transfundere poterimus.

SS.PP. de ead. re testimonia. Sacerdotes

9. S. Dionysius Areopagita, loquens de sanctitate & perfectione, quàm Sacerdotes & ministri Evangelici (per quos suam Deus substantiam & sanguinem cupit dispensari) præferre debent, eos ait *esse debere sanctos in se, ut sic sanctificent alios; perfectos, ut perficiant proximum; tantam quoque Dei habere lucem & cogitationem, ut & alios illuminare, lucemque suam vicinis communicare possint; ita denique amoris divini æstuare incendio, ut etiam aliis æstum suum afflare, & eundem amorem in corde proximi accendere queant.* Nam, ut benè ait Gregorius, *Qui non ardet in se, non incendit alios.* Vnde etiam sanctus ille vir, F. Thomas de Villanova, Archiepiscopus Valentinus, dicere solebat, *Quo modo de corde frigido ardentia scintillare poterunt verba?* Tum verò verba tua in proximo amorem Dei accendent, quando è corde æstuante, & amoris divini flammis accenso prosilient. Tunc *ignem* illum in mundo sparges ac defundes, quem Dei filius *venit mittere in terram, & quid voluit nisi, ut accendatur?* Tunc deniq; plus unum proderit verbum, quàm alia centum, nimirum si erit ignitum.

Sancti, perfecti, illuminati & ferventes sint.

Cap. 8. Vita eius.

Luc. 12. 49.

10. Scripsit olim Plato veritatem quandam, in qua plus dixit, quam scivit. *Quemadmodum*, inquit, *magneti ea inest virtus, ut ferro quod tangit, virtutem attractativam, quam habet, imprimat; hinc ferrum, cui magneti affrictum est, non minùs alterum ad se ferrum trahit, quàm ipse magnes.* (quam lapidis hujus virtutem summopere est S. Augustinus admiratus, dum eius rei experimentum coram videret: vidit enim ab annulo ferreo, cui magnes affrictus erat, alium annulum attrahi, & ab hoc rursus alium, & à tertiò quartum, ut omnes hi catenam quandã in aere

In Ione seu de Poesi. Gentilium Philos. de ead. re testimoniũ. Concionatores sint attracti vi instar magnetis.

Lib. 21. de civit. c. 4.

efficerent, è mirabili hac cohæsione connexam.) *ita homines*, inquit Plato, *à Deo tacti, virtute hac pollent, ut etiam alios ad Deum attrahant.* Mirabile est hoc à Gentili esse dictum vel cognitum, veruntamen verissimum. Si ergo verba nostra non sint tamquam hominum à Deo tactorum, quomodo ad Deum alios attrahere poterunt! Si amoris divini ignis in corde tuo non ardeat, quo quæso modo poteris alios accendere!

Affectum Orator in se primo excitet, docent Rhetores.

11. Etiam profanæ Rhetorices magistri tradunt, nihil esse, ad movendum potentius & efficacius, quàm si orator antea in animo verè motus & concitatus sit. qui enim alium ad lachrymas movebo, si oculos siccos habeam! quomodo dolentem auditorem faciam; si nullum vultu dolorem, nullum tristitiæ sensum præferam? quomodo ad indignandum excitabo, si me indignari non ostendam? Pari modo, quomodo ad mundi contemptum alios concitabit, qui verè & ex animo mundum non contempsit? quomodo affectum mortificationis alijs ingenerabit, quem ipse non habet? quomodo denique alios faciet humiles, qui humilis non est? Nihil enim adurit nisi urens nihil humectat, nihil colorat nisi humiditatem vel colorem formaliter vel eminenter in se habeat. *nemo quippe dat quod non habet.* itaque quod ipse non habes, quomodo id aliis imprimere velis? Eris enim ceu inanes bombardæ, quibus pila ferrea ingesta non est, hæ siquidem aerem duntaxat horrendis fragoribus ac tonitribus complent, muros autem nec deijciunt, nec hostem feriunt. Ecce talibus assimilantur concionatores verborum pleni, affectu vacui: qui nonnisi inanes verborum bombos & strepitus cient, &, ut loquitur Apostolus, *quasi aerem verberant*; neminem verò prosternunt, nullius cor sauciant: quia nulla ijs inest pila, nulla inquam substantia, nulla vis, nulla virtus, aut spiritus. 1.Cor. 9. 26.

12. Iisdem applicare possumus illa quæ Iudas de falsis Christianis in epistola sua Catholica perscripsit, nimirum *nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales infructuosæ.* Concionandi talentum non in verbis, phaleratis, non in artificio & succo rhetorico, non in sublimibus aut subtilibus conceptibus consistit: neque hoc casso prædicandi ritu utebatur ipse Gentium Apostolus, & vas illud à Deo ad mundi conversionem electum. Id de se ipso Corinthijs scribens, profitetur. *Et ego cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi: non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Et deinde: *Sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute* Dei: ne, inquam, mundi conversio humanæ aut eloquentiæ, aut sapientiæ, sed uni Dei virtuti ascriberetur; *non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi.* Neque sic prædicabant prisci illi sanctique Patres (uti historia Ecclesiastica & Tripartita, magna sanè ipsorum cum laude scribit) sanctè concionando, benè consulendo, solebant, sine omni verborum affectatione, & argumentorum

Exempla quod Concione fructum non dona naturalia, sed virtus tribuat.

1.Cor.2. & 4.

1.Cor.17.

Hist. Eccl.p.1. l.2.c.6.

Sanctorum concionandi ratio Deũ prædicare, non se.

rum rhetoricorum artificio, salutarem doctrinam proponere; atque non aliter verborum medicamenta applicare, quàm prout, (ceu prudentes quidam medici) conscientiarum auditorum infirmitates id exigere videbant. Tales ergo nostræ conciones & spirituales discursus sint oportet, non imus prædicatum, ut prædicemus nos ipsos, sed Deum. *Non enim*, inquit Apostolus, *nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum.* 1.Cor.45.

Concionatores vanam laudem aucupantes, fructum non faciunt.

13. Certissimum sanè est, concionatores, qui nonnisi suam eruditionem, eloquentiam, & elegantioris idiomatis cognitionem, in concione ostentare procurant, perexiguum concionando fructum facturos. *Primò* quidem propter causam quam diximus: auditores namque, quibus vel mica salis aut judicii est, haud difficulter intelligunt eum qui hoc modo prædicat, iis quæ dicit, populo adulari, & applausum gloriolam ac voluptatem sibi captare, magis, se disertum & eloquentem ostendendi, quàm fructus apud auditores suos faciendi cupidum. *Secundò*, quia hæc ipsa elegantiæ consectatio omnem fructum intercipit, & quo quis dicturus est elegantius, eo minus est utilitatis allaturus. Verissima namque est illa Rhetorum sententia, *Iacet in oratione sensus, in qua verba laudantur.* Id est, homines, tum negligunt attendere rebus, dum verba audiunt florida & comptula (hæc namque debitam sententiis attentionem suffurantur) neque ea, quæ sibi dicuntur, spectant, propterea quòd quomodo ea dicantur, attendant.

Res negligitur dum verbis attenditur.

Quint.l.8

Auditorum utilitas est finis concionatoris & quæ illa.

14. Quare si etiam rhetores in profano oratore id carpunt, & vitio vertunt, quantò potiùs in Evangelico præcone reprehendendum, cui animorum salus & utilitas duntaxat respicienda est. *Vnicuique* ait Apostolus, *datur manifestatio spiritus ad utilitatem*: sic & donum concionandi à Deo nonnisi ad utilitatem proximi datur. Unde semper in hanc suos prædicator oculos coniicere debet. Bene S. Hieronymus, Nepotianum monet: *Docente te in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur: lacrymæ auditorum laudes tuæ sint.* Bonæ, inquam, concionis indicium est, non audientium applausus, neque ut dicant, *Nunquam sic locutus est homo*; *vel* hem! quàm præclarè; quàm rara protulit! quam benè ea dixit! sed plebis compunctio & lacrymæ, necnon morum correctio vitæque mutatio. In hoc uno prædicandi munus ac talentum situm est; quòd, nempe hominem, ut instrumentum, Deus deligat, ad corda auditorum commovenda, utque verborum ejus adminiculo & vi meliora persuadeantur, malum vitæ præteritæ statum ad animum revocent, de commissis doleant, & ex corde toto ad Deum convertantur. Hinc R.P.M. Avila dicebat, *Prædicare non est, horæ spatio de loco superiore de Deo loqui; sed ut hinc inde de auditoribus aliquis, qui dæmon ingressus est, angelus egrediatur. In eo concionandi talentum consistit.* Et alius quidam Dei servus illam demum bonam & fructuosam concionem dici posse dicebat, ex qua auditores capite demisso cogitabundi ac subtristes recedunt, nec invicem loquuntur, ac ne quidem intuentur. Hoc quippe sig-

1.Cor.12. 7.

Epist.2. ad Nepotianum.

Ioan.7. 46.

num eſt, quemque ex ea fructum oportunum domum referre.

Lib. 2. c. 1. vitæ. *Exempla*

15. B.P.N. Franciſcus Borgia cùm in Cantabria concionaretur, potiſſima auditorum pars non capiebat ea quæ diceret, cùm quòd frequens eſſet auditorium, & omnes cathedrę dicentis propinquare non poſſent, tum quòd linguam Caſtellanam Cantabri non intelligerent. Nihilominus miram omnes attentionem ſummo ſilentio præferebant, quam etiam lacrymis teſtabantur. Rogati verò nonnulli, cur in concione quam non intelligerent, lacrymarentur, ideò ſe flere reſponderunt, quod ſanctum Ducem viderent; tum verò magis, quòd in intimis animarũ penetralibus Dei voces & inſpirationes non dubias ſenſibiliter perciperent, quæ, quidquid è ſuggeſtu concionator diſſitus proloqueretur, ad ſe deferrent, & ſingula ſenſa illius ſibi exponerent.

Ibid. Lib. 2. c. 21. Vitæ.

Alias cùm Cardinalis Henricus, Luſitaniæ Infans (qui deinde ad Luſitanorum regnum evectus fuit) hunc ipſum Borgiam rogaret, ut ad populum exhortationem faceret, & ille ſe ob corporis ex itinere defatigationem excuſaret; reſpondit Cardinalis, Nolo R. V. prædicet, ſatis mihi eſt ut ſuggeſtum aſcendat, itaque à populo univerſo videatur is, qui quidquid habuit propter Dei amorem deſeruit. Hoc igitur eſt quod prædicat ac loquitur, majoremque haud dubiè in animabus fructum, cauſatur, quàm plurima verba, ipſum, inquam, exemplum, & vitæ ſanctimonia. Hoc proinde nobis curandum eſt, huic præcipuo ſtudio intendendum, ut Deus Opt. Max. ad animarum converſionem nobis, tam concionatoribus, quàm confeſſariis, & omnibus omnino, quibus proximos curare propoſitum eſt, utatur.

Caput IX.

De ſecundo proximi iuvandi medio quod eſt oratio.

7 p. Cõſt. c. 4. *Oratio præcellit verba & arma.*

1. Altera proximo ſubveniendi ratio, quàm S.P.N. adfert, eſt oratio: *Iuvatur etiam*, inquit, *proximus ſanctis deſideriis & orationibus.* Quod enim hoc animarum lucrandarum & convertendarum negotium ſupernaturale eſt; hinc orationibus, lacrymis, gemitibus magis id conſequimur & peragimus, quàm verbis & vocibus.

Exemplum. Exod. 17. 12.

Sic magis ad victoriam de Amalecitis relatam contulit, majoremque in ea partem habuit Moyſis oratio, quàm univerſæ bellatorum haſtæ & gladii. Quippe quamdiu Moſes manus in altum ſuſtollebat, vincebat acies Iſraelitica; cùm dimittebat, vincebatur: unde neceſſe fuit manus ejus à duobus viris utrimque ſuſtentari ac ſuffulciri, ut ſemper ſublimè elatæ exſtarent: atque demum penes Iſraelem victoria ſtetit. Hac ratione populus Dei ſuos hoſtes debellabat. Idem Madianitæ, viſis illuſtribus Hebræorum victoriis, veriti, ad invicem dixerunt, *Ita delebit hic populus omnes qui in noſtris vinibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas uſq; ad radices carpere*: ore, ſcilicet, id eſt orationibus ore fuſis: ſicuti hunc locum exponunt S. Auguſtinus & Origenes.

Ser. 93. de temp. Hom. 13. ſuper Numer.

Maxime

2. Si ergo victoria de hoſtibus corporali-

in causis spiritualibus. poralibus (ad quam tamen vires nostræ, & potentia humana aliquatenus proportionatæ videntur) nonnisi orationum adminiculo à Deo concedatur; quid erit de victoria de inimicis spiritualibus, deque animarum errantium conversione dicendum, in qua humana media, vires & industriæ tam parum possunt, & adeò exiguæ sunt, ut nullam prorsus cum tam sublimi fine proportionem habeant? Istud negotium solis est orationibus & gemitibus apud Deum conficiendum: hæ Deum placare, & veniam delictorum, nec non vitæ emendationem, ab eo consequi debent.

Quæst. 149. super Exod. Exod. 32. 10. Potentia orationis piæ. 3. Medii autem hujus vim & efficaciam exactè ponderat S. Augustinus super illa Dei ad Moysen verba: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos.* Cùm filii Israel vitulum conflatilem adorassent, & Deus eos exstirpare vellet; Moyses, populi apud Deum patronum & sequestrum agens, sic eum compellavit: *Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Aegypti in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne, quæso, dicant Aegypti, callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens. Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli, & universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro & possidebitis eam semper.* Respondit autem Deus, Dimitte me, quia eos delere & exterminare de mundo constitui.

Ser. 93. de temp. Hom. 15. super Numer. Maximi 4. Quid hoc est, Domine? cur dicis, *Dimitte me*? quis te aut tenet, aut detinere potest? quis manus tuas vincire? (*Voluntati enim eius quis resistit:*) *Rom 9. 19* Quomodo ergo dicis, *Dimitte me*? *Moyses oratione tenuit iram Dei.* Hic, ait Augustinus, orationis robur & efficaciam videbis, & quantum apud ea valeat. Hoc nimirum significare voluit per illud, *Dimitte me.* Quod nec verbum est imperandis (si enim præceptum & imperium foret, servus non obediendo, malè ageret;) nec petentis, vel orantis (neque enim hoc à servo suo Deum petere dicebat.) sed indicare voluit, orationes justorum iræ Dei posse reluctari, eumque iratum placare.

5. Idem censet S. Hieronymus, *Ierem. 7. 16.* scribens super illud Ieremiæ Prophetæ. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi,* ait ergo, *Ostendit, quod Sanctorum preces Dei iræ possint resistere.* *Sanctorum orationes obsistunt iræ Dei.* Apertè idipsum declarat Psalmographus, *Psal. 105. 23.* dicens: *Et dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, ut averteret iram eius, ne disperderet eos,* & brachium ejus in ictum libratum, oratione fusa inhibuisset. *Placatusq; est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* *Exod. 32. 14.* Idem contigit in seditione & murmuratione illa populi contra Moysen & Aaron, quæ occasione mortis Core, Dathan, Abironis, eorumque sequacium? invaluit: cùm enim hanc ipsis imputandam diceret, iratus est Dominus populo suo, eumq; delere voluit, jam tum quatuordecim millibus, eoq; amplius interfectis. statim ergo ut Aaron Pontifex pro populo orare, & Deo incensum adolere cœpit, *plaga cessavit.*

6. Hac

Num. 16. 48.
Sap. 18. 20.
Oratio est scutum & propugnaculum.
In orat. fun. de obitu Valentiniani Imp. n. 5.

6. Hac de causa Sapiens orationem vocavit scutum, sic loquens: *Sed non diu permansit ira tua. Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imponit necessitati.* Pro eo autem quod hic legitur *deprecari pro populis*, alia lectio præfert, *propugnare pro populis*: etenim orare est velut pugnare. Quàm *bonum scutum*, ait etiam Ambrosius, est oratio, quo *omnia adversarii ignita spicula repelluntur!*

Deus cupit oratione placari.

7. Quin & Deus ipse intentatum flagellum suis è manibus gaudet excuti, & reperiri aliquem, qui se ponat intermedium ad vindictam ejus avertendam. Sicut benignus aliquis pater, filio suo licet comminetur, tamen in eum animadvertere non vult, sed intervenire quempiam qui se nefaria retineat; quin imò interdum amicos aut notos quosdam subornat, & datâ operâ paratos habet, qui sibi baculum aut flagellum de manu extorqueant: ita Deus opt. maximus, qui nobis plus quàm pater aut mater est, quique summo nos amore prosequitur, utpote filios suos, & qui tam caro illi stamus (sanguinem quippe & vitam nobis redimendis impendit.) nollet in nos animadvertere; sed gratum illi foret, si quis amicorum se mediatorem interponeret.

Quærit eos qui eum placent, ne puniat.
Ezech. 22. 30.

8. Quin imò tales interdum studiosè conquirit, ac summopere dolet, & conqueritur, cùm desunt qui iræ suæ per orationem obsistant. Per Ezechielem namque sic expostulat: *Et quæsivi de iis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne disperderem eam, & non inveni.* Et alio loco, *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Quo loco S. Hieronymus ait, Quemadmodum murus inimicorum incursionem sistit & impedit, & sicut iisdem occurri ex adverso contraque venientibus solet: *ita Dei sententia Sanctorum precibus frangitur:* quia Dei majestas libenter illis obsecundat & condescendit. Idipsum conqueritur Isaias: *Non est*, uti solebat, Domine, *qui invocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te.* Nullus est jam Iacob, qui cum Deo luctetur, cumque eo velut in duello decertans, dicat, *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Deo siquidem id est gratissimum.

Ezech. 13. 5.
Isa. 64. 7.
Gen. 32. 26.

Orationis robur.

9. Hinc liquidò patet, quantum sit orationis justorum & amicorum Dei robur & efficacia, quia ipsa ad brachium ejus retinendum, illiusque iræ resistendum, nimis quam potens est. Hinc meliùs intelligetur, magisq; confirmabitur id quod superiori capite dictum est; referre scilicet, ad fructum in proximo faciendum, sanctos, & amicos Dei nos esse; ac merito dixisse nos, bonam & sanctam vitam primarium ad hoc medium esse. Qui enim inimicos diffidentes invicem conciliare volet, gratus & acceptus sit oportet illi, cujus mediatorem agere, & quem alteri reconciliare studet: si enim displiceat, ad iram & indignationem eum provocabit potiùs, quàm ad ignoscendum inimico.

Deo gratus sit, qui Deo gratos reddere vult.

Sanctitas proximo mirè prodest.

10. Tantum porrò ad bonum proximi promovendum; valet bona & sancta vita, ut, quamvis aliam pro eo orationem non faceremus, aut nullum aliud ei obsequiū præstaremus, quàm

quòd

quòd insigniter sancti & boni esse studeamus; hoc unum illi juvando maximè prodesset & conferret. Declarat hoc inprimis historia illa quam in Genesi legimus. Cùm civitates illas impias, Sodomam & Gomortham, ob nefanda scelera Deus vellet subvertere; ecce Abraham iræ ejus se murum obiicit & ait. *Nunquid perdes justum cum impio? non est hoc tuum, nequaquam facies judicium hoc. Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos. Respondensq; Abraham ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. Quid si minus quinquaginta justis, quinque fuerunt? delebis propter quadraginta quinque universam urbem? Et ait, Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque. Rursumque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? ait, Nō percutiam propter quadraginta. Ne quæso, inquit, indigneris Domine, si loquar, Quid si inventi fuerint triginta?* Notandum autem eum initio nonnisi sensim numerum præfixum imminuisse, per quinarios tantùm descendendo: jam verò Dei benignitatem & beneficentiam advertendo, audaciam sumpsisse per denarium descendendi, à quadragenario usque ad tricenarium. Respondit ergo Dominus, *Non faciam, si invenero ibi triginta; propter hos parcam universis. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inventi fuerint viginti? ait, Non interficiam propter viginti. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine si loquar adhuc semel: Quid si inventi fuerint ibi decem? Non delebo propter decem.* Sed cùm ne decem quidem invenirentur, quinque illas civitates Deus igne [illegible] sulphureo delevit.

Gen. 18. 20.

Abrahami zelus pro proximo.

Abrahami fit audacior ex conversatione Dei.

11. Unde sole meridiano clariùs patet, quanti ad alios juvandos & sanctificandos momenti sit, probitas & sancta vita justorum. Quàm enim Sodomitis profuisset, si decem saltem justi inter eos reperti fuissent. Alias cùm vellet Dominus Ierusalem castigare, & regnum Iudæ in manus Chaldæorum tradere, qui ipsum everterent, vastarent, atque omnes incolas ejus in ore gladii absumerent, idque ob enormia quæ in divinam ejus majestatem scelera admiserant; ante per Ieremiam ait, *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem*, qui nimirum in Deum æquè ac proximum fidelis sit; *& propitius ero ei*, id est, illius unius ob causam parcam civitati ac regno, & flagellum & exterminium, quod ei intentavi, auferam. Unde non sine ratione exclamat S. Hieronymus, in eum locum scribens: Vide, quanti Deus faciat unum virum justum: cùm non solum pro decem justis, qui in civitate reperirentur (sicut olim ad Abraham dixit) sed si vel unum inter innumeros impios invenerit, misertturum se dicat eorum, & flagellum quod promerentur, aversurum.

Iustorum præsentia servat impios.

Ierem. 5.1.

S. Hieron.

12. Enimvero ingens affectus est, quo viri justi virtutem Deus prosequitur, cum illius intuitu tot nefarios peccatores toleret, iisque veniam commissorum indulgeat. Magni ergo faciendi sunt, quotquot in communitate & Republica sunt justi; utpote qui mag-

Iusti multum faciunt, et si nil ultrà faciant.

magnis eam bonis cumulant, etsi aliud non fecerint, quàm quòd pietatem colant, & virtutibus assiduè incumbant.

Religiosis à populo debentur alimenta, quia iustitia sua placant Deum.

13. Atque hæc una de rationibus est, quibus Theologi & sancti Patres probant, à populo Religiosis alimenta & necessaria deberi, etsi nullum hi proximo ministerium impendant, sed reclusi sunt, claustroque & cella non egrediantur: nam etiam usque inde ab illo angello maximopere populo & Reipublicæ prosunt, cum ob paucu-los illos bonos tot per orbem malos toleret Deus. Quod egregiè confirmat parabola illa Evangelica, in qua ad conservandum triticum, zizania abundantia Dominus eradicari vetat, *Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum: sinite utraque crescere usque ad messem.*

Deus propter Abraham etsi non rogatus liberavit Lot. Gen 9, 29

14. In primis verò hic venit notandum & considerandum, quod in historia illa superiùs indicata, Scriptura mox addit: *Cum enim subverteret Deus civitates regionis ejus, recordatus Abrahæ, liberavit Lot* cognatum ejus *de subversione urbium, in quibus habitaverat.* Adverte porro, non dici, Abrahamum pro Loto rogasse; sed, quia Abraham Deo ita carus erat, hinc tam ipse, quàm omnia quæ ejus erant, quæque aliquo modo ad eum attinebant, maximè ei curæ fuerunt: & adeò de Loto ejus cognato liberando, & Sodomis eripiendo sollicitus fuit, ut eum festinanter egredi, & se in parvo oppido, haud procul inde, dissito, in tuto tolerare juberet: *Festina, & salvare ibi, quia non potero facere quidquam, donec egrediaris illuc.* Gen. 19. 22.

Deus non potest punire quando iusti adsunt.

15. O plena pietatis viscera, ô bonitatem & misericordiam infinitam, *Quia non potero*, ait, *facere quidquam, donec egrediaris illuc.* Vide obsecro, quanti virum justum faciat Deus, quidque ejus in gratiam & dicat & faciat. Tu ergo fac justus sis ac Dei intimus, & perfectioni comparandæ seriò incumbe; & certus esto, Deum omnia quæ tua sunt, curaturum, parentum quoque, consanguineorum, amicorum tuorum, & omnium quæ aliquatenus te spectant, recordaturum. Idque eo magis, quo tu magis, ad animæ tuæ negotium curandum, teque Deo arctiùs conjungendum, eadem curare negliges, & obliviscêris, etsi alioquin id ab eo in particulari non postules. Magis quippe rogant, & ad Deum clamant opera, quàm verba. Si enim iniquitas impii, teste S. Scriptura, ad Deum clamet, ultionem ab eo deposcens (*vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra:*) altiùs haud dubiè clamabit virtus & bonitas vitæ, majoresque dabit voces, ad misericordiam impetrandam, & gratiam inveniendam apud eum, qui ad benefaciendum adeò promptus est, & cujus proprium est misereri semper & parcere. Hæc ergo optima cum Deo agendi, & consanguineis atque amicis suis benefaciendi, ratio est.

Oblivisce re tui, & recordabitur tui Deus.

Opera plus clamant, quam verba. Gen. 4. 10.

Si iniquitas ad Deum clamat, cur non & bonitas.

CAPUT X.

De tertio proximis succurrendi medio, quod est Zelus animarum.

1. Zelus *domus*, nec non honoris & gloriæ, *tua comedit me*, ac viscera mea Psal. 68. 10.

Zeli animarum præstantia. mea adussit, *& opprobria exprobrantium tibi*, id est injuriæ & mala, quæ tibi irrogantur, *ceciderunt super me*, easque, ut mihi factas, sum interpretatus. Est hoc aliud, & quidem de præcipuis, proximos juvandi medium: quod etiam inter alia, ad Societatis conservationem, incolumitatem, & incrementum, nec non ad finem spiritualem, ob quem instituta fuit (animarum, inquam, curationem & auxilium) consequendum facientia S. P. N. enumerat. Horum unum, inquit, est *zelus sincerus animarum, ad gloriam eius qui eas creavit ac redemit, quovis alio emolumento posthabito.* 10. p. const. § 2.

2. B. Augustinus in libro, seu exhortatione, quem ad Comitem quendam conscripsit, ait, *O mi frater, nunquid ferreæ sunt carnes nostræ, ut non contremiscant, vel etiam sensus noster adamantinus, ut non mollescat, vel etiam minime evigilet ad illa* Christi in judicio *verba, Ite maledicti in ignem æternum*, qui paratus est jam inde à mundi principio usque in sempiternum? *Quare non dicimus cum Ieremia Propheta, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Zelus animarum effectus vel descriptio. Matt. 25. 41. Ierem. 9. 1 2. Cor. 11. 29.

3. Quid potest plorari dolerique æquiùs, ac salutariùs, quàm, quem Apostolus plorabat, animarum interitus? *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Discamus ab Apostolo, inquit Augustinus, ardentem hunc zelum & desiderium salutis animarum habere, cùm etiam ipse Deus tantopere eas dilexerit, ut unigenitum filium suum pro iis impendere & offerre non dubitarit. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Notandum autem illud, *pro omnibus*, itaque nullius omnino nobis salus negligenda est, cùm suum unicuique redimendo Deus sanguinem & vitam impenderit. Motiva ad zelum animarū. Rom. 8. 32.

4. Hic animarum, vel potiùs gloriæ & honoris divini, zelus, quidam amoris Dei ignis est, tamque æstuans & ardens desiderium, ut is ab omnibus ametur, honoretur, & colatur ut qui ipsum in se sentit, omnibus id communicare, ardoremque hunc in cunctis excitare vellet; ac reipsa (quantum in se est) ad hoc connititur. quin etiam, si quando Deum offendi, & per peccata hominum malè haberi videt, remedium tamen ipse adhibere nequit; ingemiscit, & in lacrymas compassionis prorumpit, hicque zeli ignis viscera ejus exedit, adurit & consumit. *Zelus animarum est ignitus Dei amor alios inflammans.*

Talis fuit zelus magnorum illorum Dei amicorum, & illustrium Sanctorum.

5. Audi, ut suum prodat Ieremias: *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuās, claususque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens: audivi enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu.* Suum verò sic describit Elias: *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel.* Suum deniq; Psalmographus nullo non loco patefacit: *Defectio*, inquit, *tenuit me pro peccatoribus, derelinquentibus legem tuā.* Et, *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Tam vehementē, scilicet, sancti hi suo in corde dolorem & amaritudinē sentiebāt, quòd effusis habenis peccatores legē Dei proculcarent, ut interno animi dolore etiā corpus macresceret ac tabesceret, sāguisq; *Exempla. Zelus est ignis aliorum vitia consumēs.* Ier. 20. 9. 3 Reg. 19. 14. Ps. 118. 53. 136. 139. & 138.

corruptus in visceribus computresceret; quin in toto homine exteriore se proderet. *Vidi*, inquit, *prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.*

6. Ita Davidem Prophetam ignis hic adurebat, ut lacrymas oculi ejus distillarent, imò in lacrymas propè totus resolveretur: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Vel, ut alia lectio præfert, *propter illos qui non custodiunt legem tuam.* Perinde ac, dum ignis fornaculo distillatorio subjicitur, supernè humor ex herbis calefactis exstillat: ita pariter in fletum Propheta liquescebat, dum divinam majestatem ab impiis ita ludibrio haberi atque offendi videret.

Zelus idem est: fons commiserationis & lacrymarũ.

7. Hunc ergo honoris divini zelum nos omnes præferre par est; unaque de maximis nostris curis ac sollicitudinibus esse debet, sedulò operam dare, ut Dei honor quotidie adaugeatur ac propagetur, *nomen ejus sanctificetur* & glorificetur, denique sanctissima illius *voluntas fiat sicut in cœlo & in terra.* Maximus contrà nobis dolor & amaritudo animi esse debet, videre quod non modò id non fiat, verùm etiam planè contrarium. Atque hoc demum S. Augustinus esse ait, verè honoris divini zelo æstuare. *Zelo domus Dei*, ait, *comeditur, qui omnia perversa quæ videt, cupit emendare; & si emendare non potest, tolerat & gemit.* Uti Samuelem Prophetam occasione Saulis fecisse constat; *Veruntamen lugebat Samuel Saulem; quoniam Dominum pœnitebat, quòd constituisset eum Regem super Israel.*

Zelus iste est excitandus & fovendus.

August. in Ioan.

1. Reg. 15. 35.

8. Hic certè gloriæ & honoris divini, nec non salutis animarum, zelus inter reliqua quæ in Dei obsequium præstare possumus bona, non postremum, & fortasse primum est, eique gratissimus. Unde S. Gregorius: *Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum.* Idem habet Chrysostomus, & alii multi sancti Patres: *Nihil sic*, inquiunt, *Deo placet, sicut zelus & lucrum animarum.* Ratio est, quia nihil ita gratum ac caritas; eò quòd ipsa omnium virtutum princeps sit ac maxima, uti testatur Apostolus, *Maior autem horum est caritas*, & in ipsa tota consistit perfectio; unde & idem eam nuncupat *vinculum perfectionis.*

Zelus animarum.

Deo gratissimus.

Hom. 12. super Ezech.

Chrysost. hom. 76. Richard. super cãt. cap. 1.

Radix zeli caritas.

1. Cor. 13. 13.

Coloss. 3. 14.

9. Hic autem zelus, intensus & excellens Dei amor est: ei quippe, qui hoc æstuat, nequaquam satis est, Deum quantum potest amare & servire; verùm insuper quàm ardentissimè cupit, ut omnes eum amare & servire intendant, ut sanctissimum ejus nomen ab universis cognoscatur, colatur, glorificetur & extollatur; denique ut Dei regnum se quaquaversùm extendat, ac propagetur, atque hoc unicum ejus gaudium, ac voluptas est. Unde si quæ peccata in Deum suum committi videt, ea adusque intima animæ ejus penetralia penetrant.

Sancti zeli effectus.

10. Quemadmodum filius probus, qui patrem ex corde amat, eum honorari & ad altiora promoveri summopere desiderat; omne verò ejus gaudium est, cùm illum jam de facto honores adeptum & exaltatum videt: si quæ verò illi irrogantur injuriæ, non minùs ob eas quàm si propriæ forent, quin etiam magis affligitur. Pari modo quisquis hunc honoris divini zelum possidet, tanto in Dominum suum

Zelus maiorem Dei gloriam spectat.

suum

suum amore fertur, tamque ardenter divinam ejus majestatem ab universis honorari, coli & laudari optat, ut hæ unicæ ejus sint deliciæ. E diverso nihil eum magis cruciat ac torquet, quàm videre, homines ita passim Dei sui obliuisci, tamq; graves & atroces in eum injurias peccando committi. Proinde, hic eximius & excellens quidam, Dei amor est.

Zeli effectus est amor proximi.

11. Est præterea, singularis quidam actus amoris erga proximum. Nam ut amor noster in Deum tum se prodit, cùm ob majorem ejus honorem & gloriam gaudemus, est ob injurias & iniquitates in ipsum admissas dolemus: ita verum erga proximum amorem tum testamur, cùm ejus bono lætamur, & ob vera ejus mala (peccata inquam) seriò contristamur, eaque quoad possumus, impedire procuramus.

Clim. c. 4. S. Bonav. processu S. Relig. c. 7. *Amoris erga proximum nota.*

12. Quare, ut benè docent sancti Doctores, quicunque nosse volet, verène proximum amet, videat num ob ejus culpas plangat, spiritualibus verò bonis & profectu illius gaudeat. Hæc est veri erga fratrem tuum amoris probatio, ut nimirum, non minùs ejus gaudeas bono quàm proprio, ejus autem adversis & malis æquè doleas, ac si tua forent. Hoc quoque est proximum amare, sicut temetipsum, uti se fecisse ait Apostolus, scribens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* quo loco glossa habet, *Quis infirmatur in fide, vel in aliqua virtute, & ego non infirmor? id est non doleo de eo, sicut de meipso? Quis scandalizatur in aliqua molestia, & ego non uror igne compassionis?*

1. Cor. 11. 29.

hom. 79. & hom. 2. super Gen. Zelus animarum melior est beneficentia quavis corporali.

13. Tam porro Deo id gratum est, ut licèt Chrysostomo teste, severas & graves suscipias austeritates, toto vitæ tempore jejunes, & humi cubes, denique totam substantiam tuam in pauperes effundas; nihil tamen hæc omnia sint, si cum animarum zelo conferantur. Quanto enim anima pretiosior est corpore, tanto plura præstant, qui confessiones audiendo, prædicando, consilium salutare dando, aliaque opera misericordiæ spiritualia obeundo, animabus subvenire & mederi satagunt, quàm ii qui largas de opibus suis erogando eleemosynas, corporibus opem adferunt. Quàm exultares, si multa aureorum millia in egenos effudisses? majus autem ac dignius est, saluti animarum te cooperari.

In cap. 32. Exodi. *Zelus animarum præferendus miraculis.*

14. Addit insuper Chrysostomus amplius esse, & pluris apud Deum fieri, animarum zelum habere, quàm miracula patrare. Nam etsi Moses mirabilia & prodigia multa fit operatus, populum Israel è servitute Ægyptia educendo; ea tamen omnia nihil in se habuere, quod cum zelo illo & ardente caritate, qua actus sic pro populo prævaricante apud Deum intercessit, *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*; valeat æquiparari. Hoc, ait Chrysostomus, omnium, quæ fecit unquam Moyses, operum, qui tamen tot tamque mirabilia edidit, fuit præstantissimum. Exo. 32. 32.

* * *

Caput XI.

Quàm zelus hic, potens sit ad proximum iuvandum rationes quinque proponuntur.

Verus animarum zelus efficax est, instar ignis.

1. ZElus hic eximium quoddam & efficacissimum est ad proximos juvandos, inque virtute promovendos medium. *Primò*, quia (uti dictum est) ignis est. Nam sicut ignis valdè activus est, & quælibet in se convertere conatur; & reipsa etiam convertit, si materia ad hoc disposita sit, aut si minùs disposita sit, eam ipse paulatim huc disponit. Pari ratione, si hic amoris divini ignis & zelus in nobis ardeat, statim eum ad alios transfundẽtes, amorem Dei in iis accendemus, atque eos in nos convertemus, efficiendo nimirum, ut tales sint, quales ipsi sumus: sicut dicebat Paulus, amore Dei ardens, *Opto omnes qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego sum.* (Act. 16. 29.) Cùm verò tales nondum sunt, eos huc sensim disponemus, ut tales evadant. Neque enim caritas otiosa est: est si quippe ignis nunquam quiescens, sed semper sursum tendens. Nam teste S. Gregorio, *Caritas semper magna operatur; si autem non operatur*, non est caritas, aut saltem *magna non est.*

Zelus omnes occasiones quærit iuvandi proximum.

2. *Secundò* zelus hic de primariis est proximos juvandi mediis, quia, facit, ut studiosè quis ministeria sua obeat, ac novas semper occasiones dari sibi optet, & ultro etiam conquirat, proximis subveniendi, ac necesse minimè sit violenter huc nos cogi aut compelli (quia id pudorem nobis deberet incutere:) sed semper ad hoc parati inveniamur, imò verò plura multo præstare optemus, quam præstandum occurrat. Plurimi sanè hoc refert: Nam certum est, nos, dum magno fervore & desiderio quid facimus, id duplicata quodammodo solertia facere. Vnde permagni interest, zelum hunc habere: nam per illum vivimus, sine illo mortui sumus.

Ingeniosus etiam omnia media invenit & adhibet.

3. *Tertiò*, zelo agente, media proximum juvandi ipsi conquirimus, quin & invenimus. Bona voluntas namque, & affectus optima est mediorum inventrix ad obtinendum ea quæ desiderat. Vnde S. Bonaventura: *Vbi talis inest affectus, illic necessariò non deerit subventionis effectus, quantum patitur opportunitas.* (Process. Religios. cap. 37.) Id est, non est timendum, ne unquam proximi utilitatis promovendæ occasio desit ei, qui talem habuerit zelum, uti nec conceptorum exequendorũ media. Si enim domi desit quod agat, foris investigabit: quòd si non inveniat vbi quærebat, nosodochia & carceres publicos adibit; illic sanè inveniet. Semper enim proximo auxiliandi occasionem invenient operarii hoc zelo ardentes. Hac de causa eos Scriptura modò vocat venatores: per Ieremiam quippe Deus loquitur, (Ier. 16. 16.) *Ecce ego mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni valle, & de cavernis petrarum*: Modò piscatores: neq; enim piscator exspectat quousque pisces ultrò manibus ejus innatent, sed eos ipse conquirit, diversisque artibus, & exquisitis certisque escis & illecebris inescat. Cùm ergo diabolus tam sit in animabus perdendis sagax & solers, nostrum est eandem in iis lucrifaciendis solertiam & diligentiam adhibere.

4. Quar-

Zelus nihil grave, aut difficile iudicat. — *c. 4. de divin. nominibus.*

4. *Quartò*, quando zelus hic adest, omnia evadunt facilia, universæ difficultates superantur, nihil nobis grave aut laboriosum videtur. Certè sanctus Dionysius zelo huic attribuere videtur, quòd tanta Christus Dominus constantia & fortitudine passionis suæ labores ac tormenta pertulerit: Censet enim, eum ab indignabundo illo zelo, quo peccatum persequebatur, in conflicto illo cruciatuum adjutum fuisse, & affert ad hoc illud Isaiæ testimonium, *Turcular calcavi solus & de gentibus non fuit vir mecum: calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in ira mea, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* *Isa. 63. 3. & 5.*

Zelus fervorem & constantiam Orationi dat.

5. *Quintò*, è zelo præterea nascitur fervens illa oratio, quæ Deum non dimittit, quoadusque rem suam confecerit. Sic multos sanctos, qui Deum inter & populum se ceu sequestros interponebant, nec ab orando cessasse, nec in oratione cæpta defecisse legimus, donec Deum propitium & placabilem redderent.

Lib. 5. c. 2. Vitæ. Exempla Zeli animarum illustre.

6. S.P.N. Ignatius, cùm Parisiis litteris operam dans, quendam impuris amoribus implicatum, & illic ito mulierculæ cuiusdam commercio irretitum, ad meliorem mentem revocare, frustra omnibus remediis tentatis, non posset, die quadam eum extra urbem exspectare statuit. Comperto verò, illi nefario ad flagitium abituro juxta lacum, vel stagnum transeundum esse; ecce tibi in aquam frigidissimam humero tenus Ignatius insilit, & inde transeuntem conspicatus, alta inclamare voce cœpit: *perge miser, perge, libidini, & impuris voluptatibus vacaturus imminens cervicibus tuis divina ira flagellum ac minas non vides? non te terret infernus, qui laxas fauces suas ad te devorandum iam aperuit? non Dei manus ac vindicta, quæ te mox exspectat, & pleno impetu iram in te suam exonerabit? Ito; ego tamdiu hic me pro te affligam, donec iustam castigationem, quam capiti tuo iustissimus vindex Deus iam paravit placatus avertat.* Inaudito hoc caritatis exemplo perculsus alter, substitit, & Dei manu tactus intrinsecus, in urbem rediit confusus & attonitus, fœdique ac periculosi contubernii, à quo antea vinctus tenebatur, jugum collo suo excussit.

Caput XII.

De tribus rebus, quæ nos ad zelum habendum incitabunt.

Pretium animarũ considerare, zelum efficit.

1. Præter ea quæ diximus, tria præcipuè nobis ad zelum hunc habendum, salutemque animarum desiderandam, ac magna cura diligentia procurandam, usui erunt. *Primum* & præcipuum erit, considerare, quàm ipse Dei filius animas hominum amarit, quantique eas fecerit, utpote qui sanguinem & vitam pro iis libentissimè impendit. Unde Apostolus, *Pro quibus Christus mortuus est.* *1. Cor. 8. 11.* Christi enim sanguis in terram effusus, evidens argumentum est valoris animæ; is simul apertè testatur, quanti eam faciat, & amet Deus. Hoc sanè nos ad hunc zelũ & sollicitudinẽ in omnibus ministeriis nostris præferendam excitare debet, & efficere, ut intimo ex corde animas sitiamus, illarum salutem ubilibet procurando. *Caritas enim Dei*, dicebat Paulus, *urget nos.* *1. Cor. 5. 14.*

Christi exemplo

2. Hæc, inquam, huc nos semper compellere & exstimulare debet. Quomodo

Misitimus animarũ pretium. modo enim nostrum non demus sanguinem pro eo, pro quo suum unigenitus Dei filius tam libenter prodegit? quidni vitam impendamus ei, qui pro nobis omnibus mortuus est, quo vitam daret? Neque enim fert charitas, ut cùm ipsum Deum pro anima mortem oppetere videam, me tamen ei pessum eunti, & in infernum prolabienti non succurrere, cùm possim. Hoc, inquam, ferre caritas nequit. Quocirca erga animarum salutem efflictim & toto corde ferri, eamque impensæ sitire nos oportet: eaque nihil nobis esse debet antiquius, uti nec olim Apostolo fuit, quem præter labores & afflictiones exteriores, quas patiebatur plurimas (*In laboribus plurimis in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*) una maximè affligebat excruciabatque Ecclesiarum nuper à se fundatarum, & animarum periclitantium sollicitudo; *Præter ea quæ extrinsecus sunt; instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* 2. Cor. 11. 23.

Tract. 15. in Ioan. 4. 6. *Christi zelus pro salute animorum eleganter expressus.* Matt. 23. 37.

3. S. Augustinus in illud Ioannis, *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*, scribens, Christum ait non sine ratione gallinæ se comparare, cùm dicit, *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti.* Quia cæteras aves, inquit, nunquam cognosces, an matres sint, & pullos alant, nisi cùm eas in nido pullis vides incubantes: at gallina dum pullos alit, tam fit macilenta & debilis, ut ad misericordiam nos moveat, alas habet ita pendulas, & flaccidas, plumas ita hispidas, vocem ita raucam; adeò denique emarcescit, ut, & si pulli ponè non sequantur, nihilominus eam matrem esse intellecturus sis. Pari modo, ait Augustinus, Salvator noster Christus, cùm animas pereuntes consectaretur, defatigabatur, debilitabatur, lassabatur.

Decet homines Soc. Iesu zelum Iesu amulari.

4. Unde & nos tanto erga animas errabundas zelo ferri, tantamque in filiis spiritualibus educandis oportet sollicitudinem, & anxietatem præferre, ut ea nos debiles & exhaustos reddat, omniumque commoditatum nostrarum faciat oblivisci, sicut suarum Christus Dominus est oblitus: nam quamvis ex itinere defatigatus esset, & esuriret, comedere tamen noluit, magis de salute animarum, quàm de necessaria corporis sustentatione laborans. Hinc discipulis, ut allatos cibos comederet, adhortationibus dicebat: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis: levate oculos vestros & videte regiones, quia albæ jam sunt ad messem:* mox Samaritanos ad Deum verum videbitis converti: Cibus meus est animarum conversio. Hic & noster esse debet. Ioan 4. 32. & 35.

c. 69. Audi filia. *Zelum animarum Deus à nobis cambit suis beneficiis.*

5. R. P. M. Avila aliam, qua ad zelum hunc moveamur efficacem considerationem habet. Ait igitur, quamvis ex una parte in confesso sit, Deum ob bona, quæ nobis elargitur, nullam omninò à nobis compensationem aut lucrum exigere (quidquid enim dat, ex puro amore dat:) ex alia tamen parte rem considerando, nihil omnino dat, quin lucrum ejus cum fænore requirat; non quidem in proprium suiipsius commodum (quia ditissimus est, & *universorum Dominus, qui nullius indiget:*) sed ad utilitatem proximorum, qui à nobis juvari & curari necesse habent. 2. Mach. 14. 35.

bent. Atque hoc ipsum egregia declarat similitudine. Sicut, inquit, si quis alteri magnam auri vim mutuo dedisset, multaque alia insuper obsequia præstitisset, ac diceret; Omnibus illis, quæ tibi præstiti, equidem non indigeo; sed quodcunque eo nomine in te jus habebam, totum id transfundo in hunc, vel illum, qui egenus est, vel meus consanguineus, aut famulus. illi da, quod mihi debes; & hoc si feceris, abunde mihi satis factum putabo. Pari modo nos proximum debemus intueri: Cum Deo, inquam, quisque debet rationes inire, & sic secum ratiocinari.

Debitores Dei sumus ob accepta beneficia: debitum hoc vult pendi proximo.

6. *Quàm multa à munifica eius manu beneficia recepi siquidem me creavit, ac suo sanguine redemit: quot etiam mihi uni in particulari beneficia contulit scilicet post tot peccata me non castigavit, sed ad pœnitentiam exspectavit, quin & innumera pro malis admissis mihi bona reddidit: ut alias infinitas gratias, quas supputare nequeo, omittam.* Hinc deinde nobiscum cogitare debemus, Deum omnia sua nomina, debita, & obligationes in proximos transportare, sibique abunde satisfactum credere, si quod illis servitium & obsequium conferamus. Sic fiet ut zelus hic & fervens in proximos affectus in cordibus nostris ardeat. Primò quidem, si eos ut filios Dei adoptivos, & Iesu Christi Redemptoris nostri fratres, pro quibus suum hic sanguinem & vitam dedit, consideremus. Secundò, ut creditores, in quos Deus magnas illas obligationes & nomina, quibus illi ob tanta, tamque innumera nobis collata beneficia, devincti sumus, transfudit, ac jus omne cessit.

Medium excitandi zeli est recordatio suorum peccatorũ.

7. Huc quoque non parum nos adjuvabit, considerare, nullum nos, ad offensis illis plurimis, quibus in Dei majestatem deliquimus, satisfaciendum, habere medium efficacius posse, quàm si cooperemur & instrumentum simus, ut cum alii offendere desinant, ac seriò & cordialiter illi posthac serviant, juxta illud Apostoli Iacobi: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Quod solerter advertit S. Augustinus occasione ejus, quòd Redemptor Iesus, cum hominem ab integra dæmonum legione divexatum sanitati restituisset, & hic se liberatum videns, in grati animi signum, pro accepto beneficio, apud Redemptorem manere vellet; ipse id minimè permiserit; sed eum jusserit acceptam à Domino gratiam apud alios divulgare: *Redi* dicens, *in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus.* Qui id etjam fecit, *& abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.* Hoc ipsum à te Dominus exigit, in compensationem ejus quòd te mundo eduxit, ac peccatis & periculis, quæ in eo plurima sunt, eripuit; ut, nimirum, collabores, & pro posse cooperis, ut alii peccatis educantur, & ex toto corde ad Dominum suum convertantur.

Iac. 5. 20.

Lib. [illegible] qq. Evang. q. 13.

Luc. 9. 34.

Caput XIII.

Quis bonus verusque sit zelus qui Deo placeat, quis non.

Pro omnibus fere rebus [illegible]

1. Sicut nonnulli sunt lapides, qui prætiosi quidem esse videntur, at verè tales non sunt, sed falsi & fictitii; ita

vis reperitur aliquid æmulum falsum.

ita quoque sunt virtutes apparentes, quemadmodum de humilitate ait Sapiens, *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo*: viles siquidem gerit vestes, vultu demisso, oculisq; in terram dejectis incedit, voce loquitur submissa & humili crebra inter suspiria & ad singula propè verba se miserum & peccatorem fatetur; at si vel verbulo eum lædas, statim patefacit quid introrsũ sit: quia omnia illa nonnisi ficta & ad speciẽ composita erant. Ita etiam, ex mente Apostoli, quidam est zelus, qui videtur bonus, & non est, sed indiscretus est. *Testimonium*, inquit, *perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.*

Eccl. 19. 25.

Rom. 10. 2.

Zelus indiscretus Deo displicet.

2. Talis fuit zelus Apostolorum Iacobi & Ioannis, cùm videntes se à Samaritanis in urbem non admitti, adversus illos commoti, & indignantes, dixerunt, *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* Quem etiam Christus Dominus coarguens ait *Nescitis cuius spiritus estis*; id est, non nostis spiritum legis gratiæ, quæ non rigores spirat, non castigationes, sed clementiam. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ne ergo in tanti momenti negotio erremus, paucis hic declarabimus, quis sit zelus non secundum scientiam, & quis bonus, Deoque acceptus; ut hunc acquirere studeamus, ab illo vero remis velisque fugiamus.

Luc. 8. 39.

3. S. Dionysius Areopagita egregiè rem hanc pertractat, dicitque, Quemadmodum cæcos, quò sit eundum nec divinantes, nec scientes, non propterea fuste cædimus, nec iis indignamur; sed potiùs manu arrepta, conducimus, illis compatientes: taliter cum peccatoribus (qui & ignorantes sunt & cæci, utpote de quibus Sophonias ait, *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt*) nos gerere debemus. Non, inquam, statim in eos sævire, non pœnas iis, & ut à Deo in momento destruantur, optare: sed iisdem compati, & viam veritatis ostendere, magnoque eos amore & caritate conducere & adjuvare: idque ad Christi Iesu imitationem, qui errabundam oviculam per montium avia indefesso studio conquirit, eam & voce & sibilo vocando: quam deinde inventam pedo pastorali non ferit, sed in humeros acceptam ad ovile defert. Vide id in filio prodigo; quomodo se nimirum erga illum gesserit, quàm paternis eum visceribus in gratiam receperit. Hic bonus est zelus, & secundùm Deum: aliæ verò zeli formæ, & rudiores adversus peccatores indignationes, bonæ nõ sunt, Deoque displicent: quia cùm benigna ejus conditione, indole & visceribus paternis nõ comparіãtur, nec symbolizant.

Epist. 8. ad Demophilum.

Soph. 1. 17.

Rom. 10. 2.

4. Refert, hujus occasione, Dionysius mirabilem quandam historiam, & quæ maximam legentibus adfert consolationem, quam S. Carpo ait contigisse, viro multis revelationibus claro, quique non antè ad divina celebranda mysteria accedebat, quam revelationem aliquam aut visionem habuisset. Refert ergo narrasse Carpum, se, cùm haud ita pridem ad fidei Christianæ cultum aliquem convertisset, & is denuo, Ethnico inducente, ad vomitum redisset, ita propterea afflictum & contristatum fuisse, ut inde morbum contraxerit. Vespera tum erat,

Vbi supra 1.

Exemplũ zeli indiscreti.

pro more autem habebat quotidie circa mediam noctem ad Divinos hymnos de lecto surgere; itaque se & illa nocte surrexisse, indignantem, & adversus duos illos motum: adversus ethnicum quidem, quòd neophytum pervertisset, adversus neophytum verò, quòd ad impium deorum cultum rediisset; Stantem autem ad divina colloquia, dolenter se conqueri, & cum Deo expostulare cœpisse, dicendo; *Non est æquum viros impios vivere, Domine; quousque eos patienter tolerabis? Mitte de cœlo ignem qui eos devoret.* Quæ cùm dixisset, commemorabat sibi visam esse repentè domum, in qua staret, agitari primùm, deinde à vertice in duas partes dimidias dividi, & ante se rogum quendam magni luminis, eumque è cœlo usque ad seipsum deferri: cœlum verò apertum, & in ejus cardine Iesum assistentibus innumerabilibus Angelis. Cùm autem ipse deorsum oculos convertisset, vidisse etiam terram ipsam ita discessisse, ut tenebricosus quidam & obscurus hiatus existere videretur; atque duos illos, quibus malè precatus esset, ante se ad os hiatus stare trementes & miseros, quique ferè præpedum instabilitate demergerentur: ab inferiore autem loco ex hiatu angues sursum serpere, atque interdum quidem eorum pedes spiris involutis circumplexos, interdum autem dentibus aut caudis incedentes, vel demulcentes, omnique ratione egisse, ut duos hos in illam voraginem immensam præcipites darent. Fuisse etiā viros quosdam in medio, qui unà cum serpentibus homines illos invaderent exagitatione, pulsu & percussione. Narrasse porro Carpum, adversus illos indignantem, & eorum interitū optantem, gavisum esse se, quòd in præsenti hoc discrimine versarentur: graviter autē tulisse, ac sibi displicuisse, quòd nondum deciderent, quare optasse, sibi ut potestas & copia fieret, illorum in abyssum illam deturbandorū. Cum vix tandem cœlum aspexisset, vidisse benignissimum Iesum, quem ad misericordiam id, quod gerebatur, commovebat, eumq; surrexisse de cælesti solio, &, cùm ad eos descendisset, manum benignam porrexisse, & Angelos, qui una auxiliū ferrent, viros illos duos, alium alia ex parte retinuisse: & Iesum Carpo, eos impellere ac deturbare in voraginem percupienti dixisse, manu jam porrecta: *Extenta jam manu percute me: paratus sum enim rursus hominū salutis causa mortem perpeti, mihiq; hoc pergratum est, dum homines non peccent. Sed vide, num tibi utile sit hanc in hiatu, & cum serpentibus mansionem, mansioni cum Deo, & benignis hominumq; amantibus Angelis anteponere?* Atq; his dictis disparuit visum: Carpus autem ob indiscretum suum zelum ita correptus, in posterum factus est cautior, uti & nos illius exemplo sapere oportet: novisse nimirū, id genus zeli summopere Deo displicere: neque enim peccatoris mortem ipse cupit. Peccatores quippe caro illi stetere, suntque velut Benoni, id est filii doloris: utpote quos magnis cū doloribus & torminibus in cruce genuit, sanguinis autē & vitæ impendio peperit; hinc eos nō perire, sed converti potiùs, & in perpetuum vivere cuperet. Gen. 35. 18.

5. Ionas Propheta affligebatur, & stomachatus indignabatur, quòd quā Ninivitis Deus castigationem per os suum 2. Exemplū. Ion. 4. 10.

ſuum interminatus erat, non immitteret Cui Deus: *Putaſne bene iraſceris tu ſuper hedera: bonuſne eſt zelus tuus? Tu doles ſuper hederam, in qua non laboraſti, neq; feciſti ut creſceret, quæ ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte periit. Et ego non parcam Ninivæ civitatis magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram & iumenta multa?*

3. Exemplũ. Ecclej. Hiſtoriæ p. 2. l. 2. c. 4.

6. Mirabilis quoque & numeranda eſt aurea illa Imperatoris Conſtantini, in Concilio Niceno, ad Epiſcopum Acacium, plus æquo in eis, qui lapſi erant, & in hoc Concilio ad mentem redibant, ad pœnitentiam recipiendis, difficilem ſeverumque ſententia. Hunc ergo religioſiſſimus & piiſſimus Imperator ſic compellavit: *Erige ſcalam*, inquit, *Acaci, & ſolus, ſi poteſt, in cælum conſcende*

4. Exemplũ.

7. Sic & alius vir ſanctus, pari in caſu alteri cuidam etiam rigidiori, dixit: Si ſanguine tuo ovem illam comparaſſes, uti eam comparavit Chriſtus haud dubiè illam in gratiam reciperes, & in ovile tuum admitteres, nec foris eam, à luporum rapidorum dentibus diſcerpendam relinqueres.

5. Zeli diſcreti exemplum. Exod. 32.

8. Boni autem & veri zeli, quem Dei ſervos præferre par eſt, egregium exemplum in Exodo legere eſt. Talem itaque nos zelum habere oportet, qualem habuit Moſes tum, cùm filii Iſrael vitulum aureum, quem conflarant, ſacrilego cultu adorarunt. Eum zelum etiam ponderat, & meritò magni facit Auguſtinus. Aſcenderat in Sinai montem Moyſes, legem populo dandam à Deo accepturus: qua in duabus tabulis, Dei ipſius manu concinnatis, & utrimque manu ejuſdem exaratis, accepta, jam de monte deſcendebat. Videns autem, populum vitulo, quem confecerat, divinos honores deferre, & adorare, adeò iratus eſt, ut, quas manu geſtabat tabulas, terræ illidens, confregerit. Vide inquit Auguſtinus, quantopere ob peccatum populi Moſes ſuccenſeat, cùm tabulas legis, quas jamjam à Deo ipſo acceperat, ab illius manu & aptatas, & conſcriptas, totque cum ritibus & ſolemnitate tanta datas, nec non longa præparatione prævia, ac nonniſi poſt quadraginta dierum, totidemque noctium in monte jejunium & cum Deo colloquium, confringat. Veruntamen etſi tanta ejus eſſet adverſus prævaricatores & peccatum indignatio, confeſtim tamen ad Deum ſe convertit, pro iiſdem rogaturus, idque tam ferventer ac cordialiter, ut dicat, *Dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*. Talis, inquit Auguſtinus, verorum Dei miniſtrorum zelus ſit oportet. Quare ejus honorem ita nos æmulari debemus, ut ex una parte aduſque interiora animæ penetralia, mirè nos conſaucient mala ac ſcelera, quæ in divinam ejus majeſtatem admittuntur, itaque in peccatum ipſum graviter concitemur & ſucceuſeamus: ex altera verò peccatoribus in tantum compatiamur & commiſereamur, ut ſtatim eorum nos ſequeſtros & patronos exhibeamus, ad eos Deo reconciliandos, veniamque illis impetrandam: ut Moſen feciſſe iam iam oſtendimus.

q. 94. ſuper Exodum.

Rom. 9. 2. Exemplũ.

9. Simile exemplum habemus in Apoſtolo Paulo, qui de ſe ipſo ita ſcribit, *Veritatem dico in Chriſto Ieſu non mentior, teſtimo-*

testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundum carnem. Ex una parte miro dolore & tristitia Apostolus ob populi sui peccata affligebatur, quòd peccatum cane pejus & angue detestaretur; ex alia ita ipsum ejus miserebat tamque ardenter omne ei bonum optabat, ut anathema se velle esse dicat, quò ipse salutem consequatur. Diversimodè hoc Mosis & Apostoli votum sancti Patres exponunt. S. Hieronymus quidem id de morte corporali putat intelligendum, dicitque sanctos illos voluisse suum profundere sanguinem, & corporali morte occumbere, ut sui vita viverent spirituali, & salutem æternam adipiscerentur. Inde autem id probat, quod *anathema* vox non raro in sacra Scriptura pro morte corporali sumatur. Verum, aliis expositionibus omissis, scitam & affectuosam admodum more suo dat S. Bernardus. Ait ergo Moysen eo loco, affectu & amore quodam patris, aut potiùs matris amantissimæ loqui; hanc quippe nullum omnino gaudium oblectare potest, si ab illo filii ejus excludantur, nec aliquam ejus partem habeant.

Epist. ad Algasiã. q. 9. & super Ionam cap. 1.

Serm. 12. super Cantic.

10. Quod etiam eleganti similitudine declarat: Si dives quispiam inquit, mulierem pauperculam, ad prandium invitaret, diceretque; Ingredere tu ædes meas, de mensa mea cibum sumptura; at ille, quem brachiis gestas, puer, foris maneat oportet, quia ploratum ciet, nobisque suo caput ejulatu franget. Putasne, mulierem hanc illa conditione ad prandium venturam? Minimè. Imò vero jejuna manere mallet, quàm tantarum pignus foris relinquere; diceretque, Vel filiolus mecum huc subeat necesse est, vel prandium ipse tuum tibi habeas. Eodem ergo modo hic loquitur Moses, inquit Bernardus. Solus quippe in gaudium Domini sui introduci non vult, populo Israel, quem ut filios charissimos diligebat, ab eo excluso, & foris manere jusso.

Zelus similis est affectui materno.

11. Hic igitur maternus affectus, hæc compassionis, & amoris viscera, Deo maximopere placent: & talis noster zelus sit oportet. Quin inter omnes virtutes, quæ inconfusibilem Dei operarium decent, inque eo requiruntur, primum locum tenet hæc animarum à dæmone diu divexatarum & detentarum compassio. Vnde & Apostolus neophytis scribit, *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ*: ut sic benignæ naturæ & indoli Dei conformemur, necnon magno illi Pontifici, quem nobis dedit Pater; de quo idem Apostolus sic loquitur: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Compatiamur proximis, sicut Christus compassus est nobis. Vnde S. Ambrosius aliud à Deo non petit, quàm paternum & tenerum hunc erga peccatores affectum, & compassionem de peccatis, quem etiam tam magnum à Deo accepit, ut qui vitam ejus conscripsit Paulinus, solitum eum collacrymari asserat iis, qui ad eum aut peccata confessuri, aut suas miserias declaraturi accedebant. Hac siquidem via magis convertuntur & alliciuntur pœnitentes, quàm

Zelus habet compassionem.

Coloss. 3. 12.

Heb. 4. 15.

Lib. 2. de pœnit.

quàm rigoribus & zelo indiscreto.

Amor & compassio animos conciliant.

12. Hic enim amor, quem erga pœnitentem confessarius ostendit, tum ei compatiendo, tum ob ejus miseriam & afflictionem dolendo, cor illi velut suffuratur, eumque non parum provocat, ut & ipse confessarium vicissim diligat, filialique in eum affectu feratur. Nihil quippe hominem magis ad amandum incitat, quàm quòd se ab aliò amari videat. Unde quidquid ei cũ hoc amore dicetur, cordi illo suo insculpit, & licèt hoc ex amore severè reprehendatur, minimè indignatur, quia id velut à sincero & amante patre profectum accipit. Unde reprehensiones nostras S. Basilius esse debere ait, *tanquam si nutrix foveat filios*: ut, scilicet, reprehensus, eas non nisi ex amoris visceribus, & ardenti quodam erga ejus bonum ac salutem affectu desiderioque enasci intelligat.

In regul. Brevior. interrog. 184. 1. Thes. 7

Zelus discretus elucet ex Samaritano. Luc. 10, 14.

13. Hoc est, nosse infundere oleum simul & vinum, ut in parabola de Samaritano: forte, inquam, & acre reprehensionis vinum, cum blando & leni compassionis ac misericordiæ: oleo temperare hoc namque animi vulnera optimè curat asperæ autem & austeræ illæ indignationes ac reprehensiones pœnitentibus non modò non prosunt, verùm etiam plurimum obsunt, eosque fugant non à te modò, sed & ab universa Societate: opinantur enim reliquos omnes socios tam immites & duros esse, quàm tu.

Et ex Ioseph Patriarcha. Ser. 11. in Cant.

14. Adfert ad hoc propositum S. Bernardus exemplum Ioseph Patriarchæ, qui, tametsi fratres suos severè reprehenderent, ex compassione tamen lacrymarum habenas inhibere non poterat. *Non se poterat ultrà cohibere Ioseph.* Ostendebat videlicet, verba, quibus eos reprehendebat, non ex indignatione vel ira, sed tenero & amoroso quodam affectu proficisci.

Gen. 45. 1

Utile excitandæ compassionis medium.

15. Ut autem cordialem & compassivum hunc affectum visceraq; paterna erga proximi peccata habeamus, nec ea propter illis irascamur aut indignemur, usui nobis esse poterit bona illa & salutaris R. P. M. Avilæ consideratio. Duobus modis, inquit hic, peccata proximi considerari possunt: *Primò* quidem, ut offensæ & injuriæ factæ Deo: atque hoc modo spectata, ad iram, indignationem & desiderium castigationis movent. *Secundò*, ut privatum fratris nostri malum: & tunc ea nos non ad iram, sed compassionem, commovent: quia nullum accidere malum hominibus potest magis noxium & detrimentosum, ac peccatum. Unde etiam nulla compassioni & misericordiæ provocandæ materia ita propria est, ac culpa hoc modo spectata. Quo verò quis magis peccavit; eo etiam amplius ad compassionem provocat, quia majus illi damnum accidit, noxa major illata, majorique laborat malo. Quemadmodum injuriæ & contumeliæ à phrenetico illatæ, non tam ad iram nos provocant, quàm ad misericordiam & commiserationem ipsius, quod eas ceu morbum & infirmitatem ejus, à quo inferuntur, non verò quasi nostri ipsorum injurias, accipiamus. Pari modo tunc peccata nostra Deũ ipsum ad compassionem potiùs quàm ad iram incitant, cùm is illa ex misericordia, non, sicut injuriam & offensam suam, sed ut malum

Cap. 21. audi filia.

lum & miseriam nostram, respicit. Taliter ergo nos oportet proximi peccata intueri, nimirum, ceu damnum ac malum illius, ut illi propterea compatiamur: perinde ac Deum vellemus nostra intueri, non ex ira, inquam, & justitia, ad eadem castiganda; sed è misericordia & compassione, ad eadem remittenda & condonanda. Atq; hic bonus erit zelus, & secundùm cor Dei, qui & misericors est, & misericordias faciens.

Caput XIV.

Aliud medium ad ritè ministeria nostra obeunda, solum interiora animæ, non exteriora, quæ de foris apparent, respicere.

Societatis homini Animarum decor, non corporum spectandus est.

De ordine vitæ & mor. instit.

1. Vnum de primariis monitis, quæ sancti Patres, & vitæ spiritualis magistri, cũ proximo conversari volentibus proponunt, est, ut non tã corpora & apparentiam exteriorem, quàm interiora & animas respiciant. Sunt enim nonnulli, inquit Bernardus, qui exteriora considerant, & ad homines habiles, elegantes, scitos, benè vestitos, bene compositos tantùm spectant; in hos propendent, cum iis tractare gaudent. At, quibus sani sunt oculi, non nisi interiorem animæ speciẽ respiciunt, quæ in corpore formoso formosior non est quàm in deformi, siquidem in corpore formoso sanctior non habitarit anima quàm in turpi: sed tam in deformi quàm pulchro ipsa pulcherrima est, cùm peccatis deturpata non fuerit: tantoque pulchrior quanto à peccatis est purior & defæcatior, virtutibusque ac donis cœlestibus ornatior. Nihil enim juvat spectabilis corporis pulchritudo, si invisibilis animæ pulchritudo deest: illa homini cũ rebus inanimatis & brutis communis est, hæc cum Angelis. Ergo ad interiora illa, ait Bernardus, penetrare, & animam, quæ ad sanctissimæ Trinitatis imaginem & similitudinem facta est, respicere nos oportet; eamq; considerare, ceu vivum Spiritus sancti templum, ceu membrum Christi, ac velut undequaque in ejus sanguine immersam, quam & ipse vitæ suæ impendio comparavit ac redemit, ei, si peccatis deformem ac deturpatam videamus, compatiendo, & magno compassionis sensu in dolendo, si incomparabile illud pretium, quod ei comparandæ unigenitus Dei impendit, in illa irritum atque effectu suo frustrari videamus. Corpore verò, & omni eo quod externum est, penitus nobis est, quoad possumus, abstinendum, nec pluris id faciendum, quàm saccus stercoreus, immunditiarum receptaculum, aut sterquilinium nive tectum, aut denique sepulcrum deforis dealbatum. tale quippe est corpus hoc nostrũ. Ita porro exactè hoc cauere, tamq; sollicitos & circumspectos in hac re nos esse volunt, ut dicat Gerson: *Non solùm non attendant discretionem formarum, sed neque discretionẽ sexuum*; id est, non modò non curent, an pœnitens, & is quicum agendum est, sit honesta vel incomposita forma, sed ne quidem mas ne sit, an mulier; sed ad animas tantùm, earumque remedium reflectant, ab omni re alia abstrahendo, nec ad eam vel parum attendendo: hujusmodi enim in animabus differentiæ nõ reperiuntur.

2. Do-

Praeclari effectus huius exercitii. 2. Documentum hoc maximi est momenti. *Primò*, quia amor noster hoc pacto futurus est spiritualis, & è vera caritate manans, in Deo, per Deum, & purè propter Deum: ille autem alius, merè carnalis, sensualis & satis periculosus. *Secundò*, documentum hoc etiam nostra ipsorum, qui cum proximo agimus, plurimum interest, ut per hoc ad ministeria nostra ritè obeunda animemur, æquè libenter & promptè pauperculo ac derelicto, quàm opulento ac potenti opitulando: cùm Deo tam caro stet anima mendici in nosocomio gementis, & pannosi alicujus ad confitendum venientis, quàm Equitis alicuius illustris, atque eius qui splendidè magnificeque vestitur.

Super Luc. lib. 5. *Exemplū dedit Christus.* 3. S. Ambrosius rei huic accommodat, quòd Redemptor Iesus, Reguli filium curaturus, eius domum accedere noluerit; cùm tamen id parens instanter, tum per nuntios, tum per semetipsum, utpote ad Iesum veniens, rogaret; *Ne in reguli*, inquit, *filio videretur magis divitiis detulisse.* Contrà videmus, *Ioan. 4. 47.* quòd, cùm rogaretur ut Centurionis famulum sanitati restitueret, ultrò se ad ædes eius adeundas obtulerit, cùm tamen id Centurio per se non rogaret, sed nonnisi per alios. *Iesus autem ibat cum illis, ne videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse servilem.* Quod utique ideò faciebat, ut formam daret nobis invitandæ humilitatis, & quomodo cum proximis nos agere conveniat, nimirum, ut non ad divites, nobiles, benè vestitos, sed duntaxat ad animas attendamus. Ad has & oculis & corde toti ferri debemus, tam libenter pauperculo, stabulario, & servo, quàm Equiti & magnati subvenire procurando: quia apud Deum, ut ait Apostolus, non est distinctio servi & liberi, non famuli & Domini; atque ipse Dei filius tam pro illo, quàm pro hoc, mortem oppetiit; fortasse etiam parvus carior illi est, ac pluris ab eo fit parvus quàm magnus. *Gal. 3. 28.* *Matt. 12.*

In curandis animarum cur abiectiorum potior habenda ratio, quam nobilium. 4. Siquidem amor noster summè parvus & spiritualis esset, potiùs ad egeni quam divitis, plebeii quàm honorati, confessionem audiendā, eumque juvandum propenderemus; idque multas ob causas. *Primò*, ut quod quoad hoc Christus Dominus nobis exemplum (uti diximus) dedit, imitemur. *Secundò*, quia in pauperculis & infimis his, Christi imago & similitudo magis respondet; ipse enim *cùm dives esset*, pauper nostri causâ effectus est, *ut eius inopia nos divites essemus*, uti loquitur Apostolus. *Tertiò*, quòd hoc pacto securiores & certiores sumus, in nostris nos ministeriis Deum solum spectare, & non nisi purè propter ipsum eadem obire. Dum enim cum magnatibus & illustribus tractamus, sæpè se humani respectus intermiscent, & nos ipsos, ac proprium commodum & æstimationem inde quærimus. Et sanè, hæc conversatio & tractatio non tam secura est, & sæpè non tam pura, nec à pulvere & paleis expurgata. Frequenter enim non nisi mera est vanitas, quod videtur esse zelus. *Quartò*, quia sic meliùs in humilitate conservabimur. *Quintò*, quia per experientiam patet, majorem ex his fructum colligi, quàm ex aliis: & hos ad confessionem & conciones frequentiùs venire, quàm opulen- *Ioan. 3. 2.* *2. Cor. 8. 9.*

opulentos. Tales fuisse constat, illos, qui Christum frequentiùs & ardentiùs sequebantur, quique ex eius doctrina magis proficiebant. In Evangelio quippe legimus, *Pauperes evangelizantur.* E divitibus verò & optimatibus non nisi hinc inde aliquis ad cælestem ejus doctrinam anhelabat, putà unus Nicodemus, qui inter Iudæos princeps erat; & hunc ipsum adhuc non nisi de nocte, & clanculo ad Christum accessisse, Evangelista scribit, *Hic venit ad Iesum nocte.* Huc accedit, quòd hominibus simplicibus ac rotundis simpliciùs etiam veritates aperiantur, ac vitia majore multo cum libertate in iis carpantur, ipsi verò in meliorem partem reprehensiones accipiant: confessarius denique, quæcumque voluerit de illis statuere, facilius executioni mandet, & quò libuerit eos conducat. At apud illustres & optimates subinde reprehensionis habenæ, ob nescio quos respectus, retrahuntur: nec eos confessarius tam liberè commonere & arguere audet, ut sæpè quæ illis necessariò dicenda sunt, non nisi media ex parte depromat, reliqua verecundans supprimat. Atque hinc postea non rarò ei scrupulus & remorsus manet, quòd aut liberiùs eos non coarguerit, apertiusque mentem declararit, aut quòd in eorum delictis conniuens, dissimularit. Adhæc, cum magnatibus multum consumitur temporis, & interim parum aut nihil fructus colligitur; at, cum plebeijs, trivialibus ac simplicibus parvo tempore permultum: quia cum ipsis tractando, statim ad rem, & hominem, (ut dicitur) veniri, & quidquid demum dicitur, substantiale & reale esse potest: quod cum aliis illis fieri nequit. Hac de causa viri spirituales & sinceri, ac proprii sui profectus, fructusque in proximo faciendi percupidi, quàm possunt maximè, magnatum & nobilium conversationem subterfugiunt, eamque ut maximè onerosam ducunt. Quod etiam sancti Patres passim consulunt, ac seriò commendant, juxta monitum illud Sapientis; *Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat.*

Gal. 3. 28.
Matt. 11. 5
In conversatione animarum cur abiectiorum potior habenda ratio, quam nobilium.
Ioan. 3. 2.
2. Cor. 8. 9
Eccli. 13. 2.

5. Vnde etiam laudari ab omnibus, & celebrari in Religione, videmus illos, qui egenorum, servorum, ac panniculosorum mendicorum confessionibus excipiendis studiosè vacant. Nec immeritò: quia certum est, non defuturum qui ditiorum confessiones excipiat. Si quis autem inter illos sit, cui subvenire, & aures dare, maius Dei obsequium fore credas; nihilominus tu (si verè sis humilis) cogitare debes, id alium illum Patrem, qui illo in loco confitentibus vacat, melius ac minori suo cum periculo facturum: tu interim pauperculo illi, qui fortasse jam alias adhuc confessum venit, sed, quia neminem, qui sibi aures accommodet, invenit, hactenus inauditus & non confessus, domum abiit, operam tuam & aures impende.

Pauperum confessionib. aures libenter dandæ.

Caput XV.

Aliud proximo subveniendi medium, omnimoda sui diffidentia, & plena in Deum fiducia.

1. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris pruden-* Prov. 3. 5.

tia tua. Aliud medium, ipſumque maximi momenti, quodque ad finem inſtituti noſtri conſequendum maximè adjuvabit, eſt quod ſuperioribus illis verbis Salomon complectitur. Idem quoque nobis S. N. Pater, & Inſtituti noſtri Bulla duobus illis verbis, paucis proponit, *Diffidens ſuis viribus, & divinis fretus.* Noſtin' inquit, quomodo ſingularem in animabus fructum & bonum facturus ſis? Tibi ipſi, ac propriis viribus, prudentiæ, induſtriæ, atque adeo omnibus mediis humanis, diffide; omnem verò fiduciam ac ſpem in ſolo Deo colloca.

Bulla Iulii III.

2. Hoc inter omnia, ad magnum animarum lucrum faciendum media & efficaciſſimum eſt, & facilè princeps. Hæc item eſt una ex optimis diſpoſitionibus, quas operarius Dei ad hoc afferre poteſt, ut norit, nimirum, ſe, quantum eſt ex parte ſua, ad aliquid, quod valeat, faciendum prorſus ineptum & incapacem eſſe, ſed omnem ſibi in Deo fiduciam eſſe ponendam. Qui enim id faciunt, his ſupremus, ille Dominus & architectus, ceu aptiſſimis inſtrumentis utitur, ad grandia opera, illuſtres converſiones, mirabilia, ac magnalia illorum adminiculo operanda. Ita ſentiebat Apoſtolus, cum de ſe ſic ſcribit: *Fiduciam autem habemus per Chriſtum ad Deum: nō quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi à nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos facit miniſtros novi teſtamenti*, & Evangelii præcones.

Suiipſius diffidētia, & in Deū fiducia magnum ad animarum lucra adiumentum.

2. Cor. 3. 4.

3. S. Auguſtinus agens de laudibus Nathanaelis, cui & Redemptor ipſe Chriſtus præclarum in Evangelio elogium dedit, dicens: *Ecce verè Iſraelita, in quo dolus* (& duplicitas) *non eſt*; Videtur, inquit, talis vir, qualis hic deſcribitur, ante alios omnes ad Apoſtolatus munus vocari debuiſſe, cùm tam illuſtre de eo teſtimonium ipſe Dei filius ferat. Videmus nihilominus eum non modò non vocari primum, ſed ne medium quidem, aut poſtremum. Noſti cauſam? petit Auguſtinus. Nathanael ait, erat doctus, & legis peritus; ac propterea eum Chriſtus inter Apoſtolos ſuos cooptare noluit: neque enim doctos & litteratos ad Evangelii prædicationem, orbemque ſibi ſubigendum deligere voluit, ſed pauperculos aliquot piſcatores, obſcuros, idiotas, *inſipientes*, uti loquitur Apoſtolus.

Tract. 7. in Ioan.
Illiteratos Chriſtus ad Evang. prædicatiōnem delegit.
Ioan. 1. 47.
Cur infirmiores instrumentis utatur Deo ... ſit.
1. Cor. 1. 27.

4. Hunc in ſenſum accommodatitiè trahit S. Gregorius id, quod in libro Regum legimus. Cùm enim Amalecitæ Siceleg oppidum incendiſſent, & Davidis ejuſque ſociorum uxores & proles captivas abduxiſſent; illorum unus in habitu puerum Aegyptium in via reliquit, quòd is male habere cœpiſſet, & herum properantem ſequi non poſſet. Incidit forte fortuna in ægrum hunc David, eumque animam agentem reperit, quia jam triduo cibo potuque omni carverat, quem cum cibo oblato refeciſſet, ſibique reſtituiſſet, in expeditionis ſuæ ductorem delegit. hunc ergo in Amalecitis perſequendis præeuntem ſecutus, eos lautè læteque epulantes & convivantes, ac proinde imparatos, opprimit, & pleriſque eorum cæſis, prædam quam abegerant, omnem recuperat. Eodem, inquit Gregorius, modo verus David, Ieſus

Lib. 5. Moral. c. 29.
1. Reg. 30.
Infirmus inſtrumētis uti Deo complacet.
Exod. 8. 19.

Iesus Christus, agere solet; dum, quos mundus abiicit, repudiat, & velut rejectamenta respuit; ipse sibi deligit, eosque verbi sui cibo restauratos, in suos ductores cooptat, Evangeliique sui prædicatores efficit, ad Amalecitas, id est mundanos, qui epulantur, plaudunt, & mundi hujus voluptatibus ac deliciis indulgent, expugnandos.

Christus ad Evang. prædicatio. nem delegit.
Ioan. 1. 47.

5. Dispiciendum jam, cur id Deus facere soleat, cur ad tam sublime & grave opus tam debilia infirmaque adhibeat instrumenta. *Vt* nimirum 1, (sicut docet Apostolus) *homo sibiipsi non confidat*, nullamque sibi quidquam attribuendi occasionem habeat, sed omnem fiduciam in Deo ponat, omnemque gestorum gloriam ei soli asscribat. 2. Tanti porro Deus id facit, ut, quo veritatem hanc plenè edoceamur, ipsaque cordibus nostris insculpta, & penitus infixa maneat, voluerit passim in Scriptura exempla occurrere, in quibus Deus, ad sublimia & mira quædam opera patranda, infirmis ineptisque instrumentis usus est; ut hoc pacto evidentius pateret, ipsum esse qui mirabilia magna solus operatur, non autem nos; *utque ostenderet divitias gloriæ suæ*. Hoc namque in majorem Dei gloriam redundat, & hinc magis ejusdem magnitudo & omnipotentia elucescit. Multa quidem Deus in populi Israelitici ex Aegypto eductione, mirabilia est operatus; in nullo tamen evidentiùs Ægyptii virtutem & potentiam ejus perspexerunt, quam, dum Moyses virga sua terræ pulverem concutiens, eum in muscas & sciniphes convertit, iisque universam longè lateque regionem complevit. Tunc quippe Magi Pharaonici, videntes, se, omnibus artibus & incantationibus suis nequidquam adhibitis, id insecti genus producere non potuisse, palàm dixerunt, *Digitus Dei hic est*, atq; evidens virtutis & magnæ ejus potentiæ argumentum.

Cur infirmi instrumentis utatur Deo ordi sit.
1. Cor. 1. 17.
Lib. 5. Moral. c. 29.
1. Reg. 10.
Infirmis instrumentis uti Deo complacet.
Exod. 8. 19.

6. Cùm Persarum Rex Sapor Romanos lacessens, magna bellatorum manu, civitatem Nisibin (quam nonnulli esse volunt Antiochiam Mygdoniam, cujusque Episcopus erat Iacobus, vir vitæ sanctitate clarus) obsideres, cives obsessi (ut Ecclesiastica historia proditum est) sanctum suum Præsulem rogarunt, ut muros urbis ascendens, inde eminus Persarum copiis malediceret. Quorum postulatis annuens Antistes, altam turrim ascendit, è qua universum hostilem exercitum despectabat. Sed non aliam hinc Persis maledictionem aut infortunium est à Deo precatus, quam ut pulicum & muscarum agmina in eos immitteret, ut à vilibus his insectis exagitati & fatigati, supremam ejus potentiam agnoscerēt. Vix suam orationem absolverat, cùm, ecce, in Persarum exercitum magna publicum & muscarum vis descendit, inq; elephantorum proboscides, equorum, aliorumque in castris animalium nares & aures involavit; quæ horū insectorum morsus & aculeos ferre non valentia, præ impatientia discursabant, sessores sternebant, ductores vero suos prostratos pedibus proculcabāt, & fractis cervicibus proterebant. Vnde promiscuè huc illucque discursantia, universam aciem, & ordinatum castrorū situm turbabant. Sapor ergo Dei agnoscens cùm potentiam, tum erga suos

Deus ingentem Saporis Regis exercitum per muscas, & publices profligat.
p. 2. l. 3. c. 6.

Providentiam, obsidionem solvere coactus est, & in Persidem revertit confusus. Per publices & muscas, quoscumque Imperatores & terræ Monarchas Deus exagi are & lacessere potest. Ideo autem id facere cupit, ut sic meliùs appareat, horum omnium se auctorem esse; unde id etiam in majorem ejusdem gloriam & honorem cedit.

Celebres hominum conversiones per idiotas sæpe factæ. Hist. Eccl & tripart. p.1.lib.10 c.2.& p.2 lib.2. c.3.

7. Hanc ergo ob causam, etiam ad illustria in animarum conversione magnalia facienda, debilia & infirma instrumenta & media seligit. Vnde in Ecclesiasticis historiis, multas illustres tum magnorum peccatorum, tum infidelium & hæreticorum, conversiones hoc modo peractas legimus: nam cùm nec multorum Episcoporum, & quidem doctrina magna instructorum opera converti, nec in Generalibus Conciliis, (ad quæ omnium totius Ecclesiæ ingeniorum flos confluebat) convinci potuissent; tandem viri alicujus simplicis & idiotæ opera, & per simplicissimas & obvias rationes, & conversi sunt, & victi manus dederunt. Vt hac ratione discamus, nobis planè diffidere, Deo confidere, & omnium factorum gloriam illi soli adscribere.

Imbecillitatis nostræ consideratio addit potius, quam adimit nobis animos.

8. Tria hinc nobis documenta colligenda sunt. *Primum*, non deficere animo, nec desperare, cùm videbimus quàm parum ipsi possimus, quanta nostra sit miseria, quàm vires exiguæ, & quàm ad tam sublimem finem & institutum, ad munia adeò eximia (qualia in Societate habemus) malè proportionatæ: quin potiùs nova id nobis fit oportet, ad animum maiorem concipiendum, Deoque ampliùs confidendum occasio. Ipsi namque solemne est: hujusmodi instrumenta, ad res magnas & mirabiles eorum adminiculo exequendas, adhibere. Vti egregiè S. Franciscus cuidam de socijs suis respondit, Cùm enim F. Maseus, ordinarius S. Francisci socius, ejus humilitatis periculum aliquando facere vellet, (utpote qui eum probè nosset, sciretque quàm illi gratum ac volupe esset despici) eum adijt ac rogavit; Qui fit, Francisce, ut omnes ad te accurrant, te videre, audire, tibique obedire velint? neque enim es litteratus, non illustri genere natus, non forma liberali aut eleganti, non denique eloquens: unde nam ergo est, ut totus mundus te sequatur, tibique obsequenter auscultet? Cui Franciscus, qui verè erat humilis, sic respondit: Nosse vis, frater, unde mihi hoc veniat, quòd homines ita me colant ac sequantur? Ex immensa illa Dei mei bonitate, qui me omnium peccatorum maximum, omnium creaturarum abjectissimam & utilissimam, respicere dignatus est: nam *infirma, stulta & abjecta mundi eligit Deus, ut per illa confundat fortia*, sapientia & magna; ut sic omnis gloria & honor cedat Deo, & qui gloriatur, in Domino glorietur, itaque ei soli omnis honor & gloria detur in sæcula sæculorum. Hoc & nostrum esse responsum debet, nostra consolatio, & omnis nostra fiducia.

1 p.l.1.c. 67.Chron. Minor.

S. Franciscus vilis in oculis suis, à Deo ubique in vulgus honoratur.

9. *Alterum*, quod hinc colligere documentum debemus, est; etsi tua Deus opera magnum in animabus fructum faciat, insignesque conversiones, atque etiam miracula & prodigia operetur, non te propterea debere superbire, aut magnum quid de te præsumere; sed tam

Cum ergo per te magna facit Dominus humilia, te, quia per infirmiora va-

...a magna ...eratur. tam submissè sentire, tuique vilitatem non minùs agnoscere, quàm si nihil penitus præstitisses: neque enim tuis id ipse viribus facis, sed suo Deus adminiculo, teque instrumento. Quàm bene rei hujus theoriam æquè ac praxim nos docet Psaltes? *...al. 43.1.* *Deus,* inquit, *auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis quod operatus es in diebus illorum, & in diebus antiquis*: tu enim, Domine, es mirabilia illa magna operatus, & tua fuerunt illustria illa & inclyta opera, non ipsorum. *Manus tua* potens *gentes disperdidit, &*, illis è loco suo ejectis, *plantasti eos* (patres nostros) *afflixisti populos, & expulisti eos.* Tu, Domine, fecisti universa hæc. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salutavit eos : sed dextera tua & brachium tuum* (id est, virtus & fortitudo tua) *& illuminatio vultus tui* in his, & per hos, magnalia illa patravit. Neque id ipsorum est meritis ascribendum, sed *quoniam complacuisti in eis*; quia id ita facere voluisti, itaque tibi complacuit.

Magna & ...ira opera ...a pauci[s] hominibus facta de...clarantur] S. Petri piscatu miraculo...so. 10. Quare non propterea quòd nostro adminiculo mirabilia Deus Optimus Maximus operetur, euanescere aut superbire debemus; sed quo majora erunt, eo magis confundi & demississimè humiliari, cùm videmus eum instrumentis adeò infirmis, ineptis & incommodis, ad res tam eminentes & sublimes peragendas, vti velle. In quo ita nos geramus oportet, uti se S. Petrus gessit tum, cùm ejus opera copiosum illum Redemptor IESVS piscatum fecit. Præcipiebat Petro Dominus, ut retia laxaret in capturam piscium; cui Petrus : *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus ; in verbo au-* *...uc. 5. 4.* *tem tuo laxabo rete.* Quo facto, tantam piscium multitudinem concluserunt, ut rete frangeretur, ac necesse fuerit socios in alio agentes navigio, ad opem in eo attrahendo ferendam advocare illo ergo adducto, ambas naviculas piscibus repleverunt, *ita ut penè mergerentur.* Quo miraculo conspecto Petrus, *Procidit ad genua IESV* dicens, *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine,* nec dignus qui prope te consistam. *stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant.* Vt autem Petrus, videns se, post integræ noctis vanum laborem in Christi nomine reti jam jacto tantam piscium copiam concludere, obstupuit, consternatus est, simul etiam humiliavit se, & in se confusus fuit : ita & nos obstupescere, mirari, magis humiliari, & propriam infirmitatem & miseriam ampliùs agnoscere par est tum, cùm quid magnum per nos Dominus operabitur.

11. Vti verò Petrus procul abfuit, ut ob felicem capturam hanc gloriaretur aut superbiret: ita & tu sedulò cavere debes, ne evanescas & insolescas, cùm, te mediante, aliquod Deus opus effecerit; agnoscens id Dei esse opus, & alienissimum à te. Hoc est, diffidere sibi, ac confidere in Deum: hoc est, attribuere sibi quod suum est ; Deo, quod Dei. Vide quìd egerit Petrus, quando in nomine suo rete laxavit ; & inde videbis, quid omnibus mediis, industriis ac diligentiis humanis ipse possis aut velles: & ex adverso vide, quid fecerit tum, cùm in Christi nomine rete jecit: itaque liquidò patebit, quàm multum cum ejus gratia & favore possis. Pri- *Itaque in magnis operibus animus minimè efferendus est.*

mum si consideres, tibiipsi diffides: si alterum, animum & fiduciam in Deum concipies. Hoc utrumque si fecerimus, ex una parte non erit cur evanescamus, quantumlibet magna & illustria per nos Deus operatur: ex altera verò, licet infirmitatem & utilitatem nostram respiciamus, non erit ut animo cadamus.

Epist ad Damas. Exod.3. *Humilitas cum magnanimitate contemperanda est.*

12. Quærit alibi S. Hieronymus: Vter fecerit meliùs, Moysesne (qui missus à Deo, ut populum ejus Aegypto educeret, se excusat, ad id muneris se aptum esse negans, rogansque ut mitteret alium, qui munus hoc melius exequeretur) an Isaias, qui etiam non vocatus, nec selectus, ultrò ad prædicatoris munus obeundum se obtulit, dicens, *Ecce ego, mitte me.* Respondet Hieronymus; Bona quidem & laudabilis inprimis est humilitas, necnon, ut homo se ad quidlibet ineptum esse agnoscat; valdè item bona & laudabilis est promptitudo, & ad proximo succurrendum animositas: at si, me judice, scire velis, inquit, utrum melius dico, à Moyse quidē mutuari debere nos humilitatem, nostram infirmitatem respicientes; ab Isaia verò animositatem & promptitudinem, in misericordia & bonitate Domini confidentes, qui labra ejus ignito calculo tetigit, & ad opus ad quod destinabat, vires ei & sufficientiam dedit. Humilitas quippe fiduciæ adeò non adversatur, aut impedit, ut etiam non parum adjuvet: adjuvat enim nos ad omnem fiduciam in Deo collocandam, & consequenter ad majorem vigorem, robur & constantiam induendam.

Isa 6.8.

Homines ut Dei adiutores ex parte sua debent omnem industriam adhibere.

13. Tertium, quod hinc hauriendum venit documentum, est, quamvis certum sit, neminem in se suisque viribus aut mediis confidere debere; à nostra autem parte omnes, quas possumus, esse nobis ad proximo subveniendum, diligentias adhibendas. Velle namque ut aliquem Deus fructum faciat, non positis antè à nobis mediis, idem est, ac miracula petere, ac velut tentare Deum. Vult quidem ipse operâ & mediis nostris ad animarum conversionem uti: atque idcirco nos Apostolus, Dei vocat Coadjutores, ministros & cooperatores. Hinc quoque Dominus Petro præcepit, ut ipsemet retia jaceret, ac nonnisi hoc modo copiosam hanc illi capturam dare voluit. Vt noverimus, non esse nobis otiandum, sed laborandum. Ac ne fortè ex alia parte bonum successum, & animarum conversionem, retibus nostris, inquam, industriis, conatibus ac diligentiis ascribamus, voluit primò Petrum retia sua jacere, & nocte tota in laborando consumpta, nihil cepisse. Quare una ex parte, ipsimet retia nostra jacere, quæcumque possibilia media applicare, & omnigenas adhibere diligentias debemus, perinde ac si hoc solùm ad felicem rei successum habendum sufficeret: ex alia verò planè his ipsis diffidere, tamquam si nihil omnino præstitissemus, & omnem nostram fiduciam in solo Deo ponere.

1.Cor.3.9
1.Cor.4.1.

Luc.17.10 *Omnibus ritè peractis adhuc sumus servi inutiles.*

14. Atq; hoc est, quod nos in Evangelio Redemptor docet: *Cùm feceritis omnia,* inquit, *quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus,* quod debuimus facere, fecimus. Notandum est au-

est autem, eum non dicere, *Cùm feceritis aliquid eorum quæ præcepta sunt vobis*, sed, *Cùm feceritis omnia*: ut sciamus nobis, quantumlibet magnas diligentias adhibeamus, & quæcumque media à parte nostra ponamus, in illis minimè esse confidendum, sed omnem fiduciam nostram in Deo collocandam, omnium gestorum gloriam illi ascribendo & attribuendo. Quem sancti Patres ultimum ac perfectissimum humilitatis gradum (uti suo loco diximus) esse censent. 19.tract.3. c.31. & 32.

Exempla. Omnia nobis in nomine Dei facienda. 15. Cùm Petrus & Ioannes Apostoli persanassent & ambulare fecissent claudum illum ex utero matris suæ, qui ad portam templi dictam vulgò *speciosa*, stipem ab intrantibus & exeuntibus petebat; populus miraculum hoc obstupescens, ad eos catervatim accurrit, quasi divinos viros, ipsos suscipiens. Quos propterea S. Petrus alloquens ait. Act.3.12. *Viri Israelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti*; In Iesu ergo nomine & virtute hoc miraculum, quod vidistis, patravimus. Idem contigit SS. Paulo & Barnabæ, occasione alterius prodigii apud Lycaonios patrati: cùm enim propterea eos Gentiles ut Deos haberent, & adorare, vellent, quin & victimas illis immolare, & jam de facto coronas ad eos coronandos afferrent, dicentes, Act.14.10 & 14. *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*; illi conscissis tunicis suis, exilierunt in turbas, clamantes, *Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines*: neque nos hoc facimus, sed solus Deus, cui honor hic & gloria ascribenda est. Ita, scilicet, viri hi se humiliarunt, quasi prorsus nihil fecissent: pari modo & nos humiliari oportet, cùm, quidquid facere debemus, in animarum auxilium & opem jam fecimus.

Caput XVI.

Est hoc Deo confidendi medium; efficax inprimis, ad beneficia & gratias ab eo recipiendas.

1. Beatus Martyr Cyprianus, exponens illa Dei ad filios Israel verba, *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit*; ait, *Pes vester utique spes vestra est: & quantumcunque illa processerit obtinebit.* Idem quoque habet S. Bernardus: Pes tuus, inquit, est fiducia tua, & pro modulo quo ille processerit, etiam à Deo beneficia recipies: quousque se pes fiduciæ extendet, eo usque se tua extendit ditio. Si multum Deo confideres, magnaque ab illo sperares: magna etiam tibi concederet, tuoque adminiculo efficeret: si verò parum, parum daret. Multa, è quibus hoc colligamus, in Evangelio habemus exempla. Princeps ille Synagogæ, qui domi filiam moribundam reliquerat, & quæ illo ad Christum perveniente, jam exspirarat, dixit: *Domine, filia mea modò defuncta est; sed veni, & impone manum tuam super eam, & vivet.* Aliquam quidem is fidem & fiduciam habebat, quòd Dominum filiæ suæ vitam

S. Cypriā. Deut. 11. 24. Ser.15. Super Psal. *Qui habitat.*

Spes est beneficiorū Dei mensura & modulus.

Matt. 9. 18.

reddere posse credebat: sed exiguam, propterea quòd, ut illa viveret, necessarium censebat, ut *Christus* domum suam adiret, ibique puellæ defunctæ manum imponeret: atque hæc si fierent, tum demum filiam confidebat resuscitari posse.

Christus pro modulo spei hominum in se, sua patravit miracula Exempla.

2. Hinc etiam Christus, juxta hanc ejus fiduciam, opus suum exequitur. Domum enim adiens, filiæ defunctæ manum apprehendit, vitæque eam restituit. Alia verò illa mulier, quæ duodecim ipsos annos sanguinis fluxum passa erat, omnemque substantiam in medicos, sed eventu casso, erogarat, cum paulò majore fiducia ac fide ad Christum accessit. Dicebat enim intra se, *Si tetigero tantùm vestimentum eius, salva ero.* Unde per conversam hominum turbam se insinuans, vestimenti ejus fimbriam tetigit. Cui etiam Dominus juxta mensuram fidei & spei, beneficium suum est admensus. Centurio autem ille, cujus servus cum paralysi conflictabatur, majorem longè fidem attulit, quàm omnes alii. Veniens quippe ad *Christum* ait, *Servus meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur*: sed te non est necesse ad eum venire, quò eum sanitati reddas; uti nec ipsum ad te, ut vestem tuam contingat. *Sed*, in loco tuo manens, *tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Vide, quanta viri hujus fuerit fides. *Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Et ad centurionem conversus ait: *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Quia nimirum fiduciam in Christo habuit, eum vel verbo, etiam absentem, puero sanitatem restituere posse; hinc, uti credidit, absens solo verbo eum sanavit; & sanatus est *puer in illa hora.* Vides quomodo Deus se pro confidentiæ nostræ in se mensura nobiscum gerat secundum illud Prophetæ, *Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te:* &, prout fiduciæ vas erit profundum & capax, ita eo aqua haurietur, ait laudatus supra S. Cyprianus.

Matt. 9. 21.

Matt. 8. 6. Centurionis servũ sanat absens verbo.

Ps. 32. 22.

Aliud exemplum. S. Petrus Deo fidens aquas calcavit, diffidens mergi cœpit.

3. Ita quoque accidit Petro Apostolo, cùm Christus eum ad se jussit venire super aquas, nam, quamdiu non timebat, non minùs intrepidè & securè mari, quàm terræ continenti & solidæ, inambulavit; at quãto, vento valido insurgente, timuit diffidens, statim cœpit mergi. Unde etiam exiguam ejus fidem *Christus* reprehendit, dicens, *Modicæ fidei quare dubitasti?* significans, ideo illum mergi incipere, quia intra se metuebat, ac Deo diffidebat. Hæc quoque est causa, cur nonnunquam tentationibus, ærumnis, ac negotiorum ingruentium mole obrui, mergi, ac tantùm non perire videamur, quia videlicet parvam habemus fiduciam. Si enim multum Deo fideremus, ipse nos hauddubiè juvaret, ex omnibus hisce angustiis magno nostro cum proventu eriperet, beneficiisque cumularet.

Matt. 4. 31.

Rex Iosaphat Deo fidens, hostilem vidit exercitũ fusum, sine ullo suorum sanguine. Par. 20. 15

4. Cùm Rex Iosaphat Moabitas & Ammonitas, adversus Israelem numeroso cum exercitu venientes formidaret, misit ad eum Dominus Prophetam, qui modicam ejus de Deo fiduciam carpens ei diceret; *Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem; non est enim vestra pugna, sed Dei. Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super nos.* Quod

Quod statim etiam reipsa experti sunt: nam Deus Sabaoth, ipsis nè telum quidem unum jacientibus, universas hostium copias mirabili quodam modo perfligavit, dum illius impulsu & permissu, ipsi armis conversis in semet concurrerunt, mutuisque invicem vulneribus confecerunt.

Fiducia in Deum protectionis divinæ conciliatrix.

4. Considerandum itaque hoc loco, quàm parum Deus à nobis exigat, ad nos adjuvandos, & adde inimicis nostris victoriam concedendam. Hinc in Psalmo: *Qui habitat*, non aliam alicujus in tribulationis tempore protegendi ac liberandi Deus causam assignat, quàm quòd in ipso speravit, ac fiduciam collocavit: *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Super quæ verba gratulabundus exclamat S. Bernardus: *O dulcissima, liberalitas in se sperantibus non deesse!* Et alio loco Psaltes: *In te, Domine speraverunt patres nostri speraverunt, & liberasti eos: ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi.* Quis unquam invocavit Deum, fiduciamque in eo collocavit, quem divina ejus benignitas non exaudierit, & adjuverit? *Respicite*, inquit Sapiens, *filii, nationes hominum*, & omnia mundi hujus sæcula percurrite, *& scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est: quis invocavit eum, & despexit illum?*

Psal. 90. 14. — Serm. 15. in Psalm. Qui habitat. — Psal. 21. 5. — Eccli. 2. 11.

5. Est præterea alia rei hujus ratio, de qua quia pluribus in parte secunda egimus, ideo eam nonnisi quàm brevissime hic tangemus: nempe, nos, quando nobis ipsi diffidimus, Deo vero planè fidimus, omnia agenda ei attribuere, totam negotii molem in eum traijcere, itaque eum arctè quodammodo obstringere, ut negotium ipse suum peragat suumque honorem tueatur, dicentes: *Hoc conversionis animarum negotium, Domine, tuum est, non nostrum: nisi enim ipse hominum corda moveas, ipsi quid sumus? quam ad hoc aptitudinem habemus? Tui ergo, Domine, honoris rationem haberem propriam cura & propugna.*

Ap. tract. 3. cap. 38. & tract. 4 cap. 15. — *Fidens Deo molem negotii in Deum conjicit.*

6. Mirabilia sanè & energetica, ad hoc propositum, sunt verba illa Iosue, quibus Deum importuniùs pressit, ac violenter quodammodo compulit, ut populum ipse suum oppressum in libertatem assereret, dum ait, *Et quid facies magno nomini tuo?* Id est, Nos quidem, Domine, expedit & par est humiliari, & ab inimicis exagitari, quòd delicta id nostra promeruere: at nomini tuo quid fiet? quid dicent gentes, quæ in circuitu nostro sunt, viso populum tuum deletum, & in captivitatem abductum? Insultabunt tibi, quasi ipsum in terram, patribus promissam, inducere non potueris. Pro tuo ipsius itaque honore decerta. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* non nobis honorem & gloriam exambimus, sed tibi soli eam deposcimus. Et, *Domino Deo nostro iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ.* Omnimodis ergo, & sine controversia efficax medium, ut nobis Deus beneficia conferat, est, magnam de eo fiduciam concipere, quòd hoc illi sit gratissimum. Bene Psalmista, *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.*

Mirifice efficax modus in Domino confidendi. — Iosue 49. — Psal. 113. 9 — Baruel. 1. 15. — Psal. 146. 11.

7. Nos verò, qui ex obedientia & ad præscriptum alienum vivimus, peculiarem aliam rationem habemus firmiter sperandi, ac fidendi, Deum nobis in

Tract. 5. cap 11. *Spem & fiduciam*

In Deum auget obedientia, opus imperans.

bis in ministeriis nostris auxilio futurum; quod scil. noverimus, ipsum nobis illa præcipere, nosque iis applicare; hinc vires ipse dabit ad id quod jubet, opere exequendum, felicemq; pariter in iis successum. Mandarat Deus Mosi, ut tabernaculum, arcam testamenti, & propitiatorium, quod eam desuper tegeret, altare, mensam panum propositionis, aliaque multa vasa, quæ ad tabernaculi usum & ministeria necessaria erant, construeret quorum omnium ei formam & exemplar in imagine & idea delineat. Et addit: Ut autem omnia hæc benè fiant, & secundùm exemplar quod tibi monstratum est, ecce *selegi & vocavi ex nomine Beseleel & Ooliab, & implevi eos spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum, quidquid fabre fieri potest ex auro, & argento, & ære, & marmore, & gemmis, & diversitate lignorum*, hi duo affabrè, quidquid tibi designavi, opere ipso efficient.

Exod. 30. & 31.

Maxime si circa spiritualia versetur nostra obedientia.

8. Si ergo, ad tabernaculum materiale construendum, adeò fuit Deo curæ, infusam fabris & architectis scientiam dare; quid non dabit operariis & ministris Evangelicis, quibus spirituale animarum (quæ viva sunt Dei templa, & Spiritus sancti habitacula) tabernaculum construere, ac domum regnumque Dei propagare & distendere incumbit? Quo dignior, atque apud Deum potior res est spiritualis quàm materialis; eo majorem occasionem habemus sperandi, daturum eum nobis quidquid necessarium est ad ritè obeundum id, ad quod nos delegit.

Accedit Christi

9. Ita idipsum discipulis promittit Redemptor in Evangelio, dicens: *Cùm steteritis ante Præsides & Reges propter me*, & honorem meum tuendum, *nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et mox addit: *Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* Quod de facto videre fuit in glorioso protomartyre Stephano, cum quo disputantes qui de Synagoga erant, *non poterant resistere sapientiæ & spiritui*, quem ille in loquendo præferebat.

promissio certa. Luc. 21. 12. Matt. 10. 17. Marc. 13. 11. Luc. 12. 11. Act. 6. 10.

Caput XVII.

Quantopere Deo displiceat diffidentia.

1. Sicut per firmam in Deum confidentiam divinam ejus majestatem maximè honoramus, eique magnopere placemus, & sicut ipsa medium est, eum, ad magna multaque nobis bona præstanda, provocans: ita è diverso unum ex iis quæ Deum magis offendunt, ad iram provocant, & ob quæ graviùs hominem castigat, est diffidentia: quòd per eam honor ejus non parum lædatur. Unde etiam propter hanc videmus eum filiis Israel maximè succensuisse, & graviter in eos animadvertisse.

Diffidentia Deo displicet, eiusque honorem imminuit.

2. Cùm enim exploratores, à Mose ad terram promissionis explorandam missi, magno pavore concepto rediissent, dicerentque, vidisse se ibi homines de stirpe gigantea, & ita robustos, ut iis ipsi comparati quasi locustæ viderentur: urbes item ita turritas & muratas; ut eas expugnare & subigere se posse

Num. 13. & 14. Exemplis Exploratorum terram promissionis.

se posse desperarent; ita mox universo populo animi ceciderunt, & talis totis castris est orta desperatio ac diffidentia de terra illa obtinenda, ut dixerint alter ad alterum, *Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.* Quæ ignava diffidentia sic Deum ad iracundiam provocavit, ut diceret Moysi, *Vsquequò detrahet mihi populus iste? Vsquequò non credent*, aut fident, *mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia atque* universos simul *consumam.* Moses verò se intermedium ponens ac sequestrum, Deo supplicat, prævaricationem hanc ipsis ut dimittat. Cujus votis annuens Deus, ait: *Dimisi iis iuxta verbum tuum: attamen omnes homines, qui viderunt majestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine; non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex eis qui detraxit mihi, intuebitur illam.* Atque uti juravit, ita & reipsa complevit. Nam de sexcentis armatorum millibus Ægypto eductis (præter mulieres & proles) nemo terram promissionis est ingressus, imò ne oculis quidem eam conspexit: omnes quippe in deserto, eò quòd Deo diffiderent, mortui sunt.

Num. 14. 4.

Num. 14. 11.

Num. 14. 20.

Num. 1. 46.

3. Soli Iosue & Caleb, qui firmam ejusdem ingrediendæ, adversariosque expugnandi fiduciam habuere, & ad hanc expeditionem suscipiendam universum populum invitarunt, ad eandem admissi sunt: nec non reliquorum parvuli, quos meticulosi illi lepores, ab hoste in captivitatem & servitutem abripiendos præ diffidentia & metu jactarant. Ut sole meridiano clariùs patescat, quàm Deus diffidentiam omnem aversetur.

Contra fidentes Deo, Iosue, & Caleb eam ingrediuntur.

4. Quid? quòd & in Moysen ipsum & Aaron, propterea quòd virga sua petram cum aliqua de aquis inde eliciendis diffidentia ac dubio percussissent, cùm tamen certò eam se daturum spopondisset, ob hanc ipsam diffidentiam, eâdem prorsus castigatione animadvertit: *Quia non credidistis*, inquit, *mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Vidit quidem eam eminus de monte vicino Moyses, at eam non est ingressus. Unde dicit ei Deus: *Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam*, nec ea donaberis. Diffidentia enim hæc Dei honori nimium quantum adversatur: hac de causa tam graviter in illam animadvertit.

Aliud Exemplum. Diffidentes Deo Moyses & Aaron à terra promissionis excluduntur.

Num. 20. 10 & 12.

Deut. 34. 4.

5. Inde colligere est *primò*, quanto pere noceant, Deoque displiceant diffidentiæ illæ ac pusillanimitates, quas nonnulli modò in tentationibus, modò in iis quæ ad proprium ipsorum profectum spectant, modò in ministeriis ac functionibus, quas ipsis Superiores imperant, præferre solent; quæ licet è quadam humilitate nasci videntur, tamen è sola ortum habent superbia. Ad seipsos namque oculos tantùm reflectunt, creduntque propriis se viribus, industriis & diligentiis illa omnia facere posse: quod ingentis superbiæ est argumentum.

Diffidentia de Deo est nocumentum.

6. Alterum, quod hinc nobis colligendum venit, est, in omnibus negotiis, necessitatibus, & ærumnis primò & ante omnia esse ad Deum cœli confugiendum, omnemque fiduciam nostram in eo collocandam. Neque enim primò ad media humana, ac diligẽtias indu-

Dei auxilium inprimis flagitandum in rerum omnium exordio & difficultatibus.

industriasque nostras respicere, ac nonnisi post eas indagatas, ad Deum confugere oportet: quia is intolerabilis mundanorum error est & abusus, primò humana adhibentium media, eaque omnia & singula, Deo omisso, laboriosè experientium; postea verò, quando nullam in his opem aut præsidium iuveniunt, & jam res propemodùm tota desperata est, ad Deum recurrentium. Atque hanc ob causam permittente Deo, fit, ut hæc ipsa media humana, quæ ita studiosè adhibemus, & in quibus confidebamus, parum, aut nihil, nos juvent. Sicut in Asæ Regi Iuda per Prophetam suum denuntiavit, dicens: *Quia habuisti fiduciam*
2. Par. 16. 7. *in Rege Syriæ, inque eius suppetiis, & non in Domino Deo tuo,* cuius oblitus est, *idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tua.* Graviter scilicet irascitur, & velut contumeliosum & iniurium reputat, quòd rei cuipiam, præterquam sibi uni, innitamur: quia statim ad eum respicere, & in rebus nostris nos recurrere oportet. Ideoque inter alia quæ nobis in oratione potissimè procuranda sunt, non postremum debet esse solida hanc in Deum fiduciam animo insculpere.

Inter virtutes eminet fiducia in Deum.

7. Ideo enim orationi nos applicamus, ut virtutum ornamenta animæ nostræ comparemus: inter quas fiducia hæc una de præcipuis est, & apprime nobis necessaria. Nec antè nobis quiescendum, quàm animus quendam velut habitum contraxerit omnibus in rebus ad Deum quam primum confugiendi, eique fiducialiter confidendi; in solo Deo, non in re ulla alia, remedium quærat; ipse quoque totum refugium asylumque nostrum, tota denique spes nostra sit & fiducia: secundùm illa Iosaphati Regis Iuda verba, quæ semper in ore & corde nos habere oportet: *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*, qui nostrum refugium & asylum es. *Beatus vir*, inquit Psaltes, *cuius est nomen Domini spes eius.* 2. Par. 20. 12. Psal. 93. 5.

Caput XVIII.

Non est nobis aut animo cadendum, aut spes omnis abiicienda, etsi per exiguum in proximo fructum nos facere videamus.

1. VÆ *mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ,* & racemationem collectis jam uvis instituit: sed irritò eventu, quia *non est botrus ad comedendum,* ne acinus quidem. Hisce verbis metaphoricè conqueritur Micheas de exiguo, quem suis interminationibus ac monitis in populo Israel faciebat, fructu. Idem quoque queritur ac deplorat Isaias: *Relicta est,* inquit, *in urbe solitudo, & calamitas opprimet portas. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum: quo modo si pauca olivæ quæ remanserunt, excutiantur ex olea; & racemi cùm fuerit finita vindemia.* Siquidem nihil magis eos, qui proximo se impendere student, contristari, deiicere atque exanimare solet, quàm, quòd omnibus concionibus suis, & reliquis quæ ad hunc finem usurpant mediis, parum se fructificare, & nihil dum proficere comperiunt. Unde interdum sic querendo expostulant: Quàm pauci convertuntur: quàm pauci

Mich. 7. 1.

Solent non raro servi Dei animis deiici, si parvum operæ fructum ferant.

Psal. 24. 12.

pauci proficiunt, vitamque priorem corrigunt, quàm denique pauci & rari sunt qui perseverent. Quæ quia communis est querela & tentatio, hinc ei in præsens respondebimus; ipsaque efficax nobis medium erit, ad virilem in ministeriis nostris vigorem & constantiam induendam.

Lib. contra Cresconium Grammat. c. 8. Christus multis sine ulla conversione & bona spe Evangelium prædicavit.

2. Egregiè punctum hoc pertractat S. Augustinus, ac querelæ huic, Iesu Christi, Redemptoris & Magistri nostri, exemplo respondet ac satisfacit. Putas, inquit, Dei filium solis discipulis, aut iis qui in ipsum credituri erant, prædicasse? Etenim videmus eum etiam suis prædicasse inimicis, qui tamen ad ipsum tentandum, quærendumque num quo in verbo calumniam illi struere possent, ad eum veniebant. Solùm quoque existimas eum prædicasse tum, cùm frequens esset auditorium, & turba hominum magna ad audiendum confluxerat? Constat namque eum uni vili mulierculæ, & quidem Samaritanæ, & aquarum bajulæ, prædicasse, & apud illam difficilem ac gravem illam quæstionem de oratione (num videlicet in solo templo ea fieri deberet, an verò etiam extra illud orare fas esset) pertractasse. At dices, sciebat Salvator mulierem hanc credituram, & aliquem è colloquio & concione sua fructum elicituram.

Ioan. 4. 20.

Etiam in malitia atque errore obstinatis doctrinam suam tradidit.

3. Concedo quidem id libens tibi; inquit Augustinus: at quid dices de concionibus, & congressibus illis, quos toties cum Iudæis, Pharisæis & Saduceis habuit, non solùm minimè ei credituris, verum etiam calumniaturis, & persecuturis? Interdum eos ipse vltro interrogabat, ut suis ipsorum responsionibus eos convinceret; aliàs ad eorum postulata respondebat, tametsi sui tentandi causa ea ab ipsis proponi sciret. *Quod cùm faceret nullum ex his legitur ad eum sequendum fuisse conversum.*

Idque ad nos docendos exemplo.

4. Non erat utique illi ignotum, quàm parum fructus hinc esset secuturum: attamen, ut suo nobis exemplo præiret, concionari quoque voluit iis, quos noverat doctrina sua nec conversum iri, nec utilitatem ex illa aliquam capturos, forsan etiam deteriores fore: ut videlicet discamus nos, qui prorsus ignoramus, utrùm illi, quibuscum agimus, convertendi sint necne; à prædicando, confessionibus, audiendis, & ab iis, quæ officii nostri sunt, exequendis, nequaquam desistere, nec animum propterea despondere, quòd non statim aliquis ad oculum fructus appareat. Et verò fieri potest, ut adsit in concione tua anima, quæ per viam concionum prædestinata sit; cuius proinde cor Dominus per concionem, aut sermonem hunc tuum tanget. Et quamvis modo illæ tibi non videantur converti, nec fructum inde capere; forsan postmodum convertentur; & hoc verbi divini semen, quod in cor eorum cecidit, postea (uti fieri amat) suum fructum dabit. Nunquam proinde, quidquid à parte nostra ad proximo subveniendum, adferre ipsi possumus, omittamus.

Non deserenda curatio peccantium, etsi relabantur.

5. Ioannes Gerson, in tractatu, quem *de parvulis trahendis ad Christum* composuit, egregiè rem hanc tractat, necnon acriter invehitur in eos, quos piget certum quoddam hominum genus curare, quique studio à quorundam confessionibus audiendis abstinent, pro-

Præterea quòd eos non perseverare, & statim repetitis peccatis ad vomitum redire putans, ac proinde frustraneè, & non nisi magno cum temporis dispendio laborem iis impendi, ac velut in saccum pertusum omnia congeri. Vnde eo Gerson loco Confessarios animat & cohortatur, ut puerorum confessionibus audiendis se impendant; & non contemnendum in hoc consistere fructum ait, propterea quòd hi sunt velut in bivio, illam inituri viam, in quam à ductore ducentur, atque ejus partibus accessuri, qui primò eos occuparit: siquidem dæmonis & mundi illicia eos prævenient, illos sequentur; sin verò Deus, Deum. Quare permagni interest, virtutis iter iis ostendere, & per ipsum eos initio conducere, quia postmodum in illo permanebunt.

Nec puerorum, etsi videatur non ita capaces.

6. Respondet hic eadem operâ calvæ objectioni & excusationi nonnullorum, qui ideo his confitentibus operam denegant quòd tempus, quod iis instituendis impenditur, inaniter perdi asserant; cùm, quòd eorum quæ ipsis proponuntur ac traduntur, prorsus incapaces sint, tum verò, quòd statim confessione ad pristinos mores redeant, lusum suum & crepundi repetant, & cum æqualibus perinde litigent, tanquam si nullum iis verbum à confessario dictum esset. Ait ergo Gerson, si propterea quòd statim ad pristinas suas petulantias & procaciam redeunt, ideo eorum confessiones excipere detrectes; eandem sanè ob causam multo minus magnorum provectorumque confessiones excipiendæ videntur: quia & hi mox à confessione, fœda recidiva ad vomitum, & ad enormiora, quam pueri solent committere, peccata redeunt: quia puerorum peccata rarò mortalia sunt, illorum verò quam frequentissimè.

Cur prætextu recidivæ non debeat curatio omitti.

7. Bellè, scilicet factum audiret, si nostras, pœnitentibus, quia in eadem peccata turpiter & ignavè statim prolabuntur, aures denegaremus, & eos inauditos à nobis dimitteremus. Nullos idcirco, inquit Gerson, à confessione reiicere debemus, sive magnos, sive parvos: modò verum ad priora ampliùs non redeundi propositum habeant. Quod etiam duabus egregiis comparationibus declarat. *Nunquid*, inquit, *sentinam navis exhauriens idcirco deserit opus, quia redit tantundem aquæ, quantum expulerit?* Et, *Si quotidie manus sordidantur, non minùs abluimus illas, quia, etsi redeant sordes non ex tenacitate cohærescunt.* Necesse quippe est sentinam semper educere, etsi tantundem novæ aquæ alia ex parte statim subingredi videamus: manus quoque sæpiùs lavandæ, esto mox re inquinandæ ac deturpandæ sint: ne sordes quasdam velut radices in iis agant, itaque perdifficile eas sit auferre. Pari modo, non idcirco sunt pœnitentes à confessione repellendi, aut negligendi, quòd constet eos quamprimùm in eadem peccata turpiter relabi: si enim eos sibi sineremus & negligeremus, funditus perirent, & præcipites in damnationem ruerent: per confessionem verò paulum retinentur, nec tam effusis habenis in peccata feruntur, & tandem qualis eorum salvandorum spes est.

Exemplū

8. Inter cætera sancta opera, quibus

S.P.N.

Lib. 3. c. 9 Vitæ. S.P.N. se maximè impendebat, ut in ejus Vita legitur, non minimum erat, quod mulierculas nefarium corpore suo quæstum facientes ad bonam frugem reducere omnimodis allaboraret, unde tandem assiduo studio tantum effecit, ut quoddam iis, quæ à turpi & miserabili illo vitæ genere resipiscere vellent, domicilium Romæ exstrueretur. Etsi enim Pœnitentium monasterium in eum usum ex parte serviret, in id tamen aliæ non admittebantur, quàm quæ monasticam vitam vellent profiteri. Iam, harum mulierum multæ, etsi è turpi ac propudioso illo statu emergere seriò vellet, sufficientes tamen in se vires ad tantam perfectionem aspirandi, non sentiebant; aliæ vero, quia nuptæ sunt, ut velint, minimè possunt. Quare tam ad harum, quàm illarum, subsidium, Monasterium à S. Martha denominatum, jussit excitari. Quoniam vero nemo sanctum hoc opus auspicari volebat (esto multi ad hoc opem & subsidium aliquod verbis amplissimis sponderent) ipsemet è sua tenuitate, atque in summa rei domesticæ penuria ejus fundamenta ponere incepit, centum aureis (quos è lapidibus quibusdam ingentibus per Procuratorem domesticum ad hunc finem divendi jussis, collegit) in id insumptis.

Cur prætextu recidivæ non debeat curatio omitti.

S. Ignatii caritas rara erga convertendas animas.

9. Tanta porro contentione in pium hoc opus incubuit, ut, quo fungebatur, Generalatus onus haud quaquam ipsum ab eo avocaret: adeò ut ipsemet mulierculas, cum prioris vitæ sordes jam relinquere constituerent, per mediam civitatem, vel ad S. Marthæ, vel ad honestæ alicujus matronæ (apud quam tantisper morarentur) domum conducere non dubitaret. Dicentibus verò nonnullis, omnem quæ hisce mulieribus impendebatur, operam frustra insumi; quippe quæ in sua turpitudine longo usu jam occaluisset, & haud difficulter, minimâ oblatâ occasione, ad vomitum reverterentur; respondebat: *Equidem adeò me oleum & operam hic perdere non autumo, ut etiam asseram, me, si omnibus vitæ meæ laboribus atque curis vel tantum efficere possim, ut harum aliqua vel unam peccato vacuam noctem transigere proponeret, eos omnes optimè insumptos existimaturum, modò vel tantillo tempore nulla maiestati Creatoris ac Domini mei peccando injuria irrogetur: esto alioquin certo scirem, eam quamprimum ad obscœnam libidinis suæ consuetudinem reversuram.*

Verè zeli Lydius lapis.

10. Hinc, quamvis certi essemus, pœnitentes, & eos quos curare proponimus, turpi recidiva mox ad peccata pristina redituros; omnis tamen, quem toto vitæ tempore suscipere possemus, labor ut benè impensus duci deberet, si eo efficere possemus, ut vel ad horam saltem à peccando abstinerent: imò vel unum lethale scelus, ac Dei injuriam, evitarent. Atque hic est verus honoris & gloriæ divinæ zelus. Qui intra terræ viscera thesaurum aliquem quæritat, primò ingenti sudore multum terræ effodit, & benè se operam omnem credit impendisse, si vel pauxillum auri inveniat.

Exemplũ. Zeli boni etsi proximus non proficiat.

11. Verùm, ut pergamus ulteriùs, demus nullum penitus converti, neminem peccata deserere, ne ad horã quidem, non propterea à prædicando, aut iis, quæ à parte nostra ad proximum

juvan-

juvandum adhibere possumus, exequendis cessare nos oportet. Egregiè id ostendit S. Bernardus, scribens ad Eugenium Pontificem, suum olim discipulum, & in vita monastica sectatorem. Hunc ergo cùm esset ad populi & curiæ Romanæ reformationem cohortatus, hanc tandem sibi ab illo objectionem oggeri fingit: *Ridebis fortasse me*, dicens, *frustra in pop. Romano ordinando, & ad meliora provocando laborari, utpote proterno, superbo; tumultibus, bello, dissidiis assueto; immiti, intractabili, indomito, in pace vivere, aut adhuc ulli subiici nescio, nisi dum nescit resistere: ac proinde nullam emendationis eius spem affulgere, & operam, quæ ei curando impenditur, omnem ludi.* Eleganter porro ad hanc respondens Bernardus: *Noli*, inquit, *diffidere, curam exigeris, non curationem*, providendumque tibi, ut quæ malo curando media & medicamenta necessaria & congruentia sunt, ea applices. Hoc quippe à nobis per os Ecclesiastici Spiritus sanctus exigit, dicens, *Rectorem te posuerunt, curam illorum habe*, non ait, *cura* vel *sana illos*. Neque enim Superior ad subditorum suorum vitia curanda, vel emendanda tenetur: hoc quippe in eius manu non est. Verè dixit quidam:

Lib 4 de consider.

Eccli.32.1.

Non est in medio, semper relevetur ut ager

Ovid. l. 1. de ponto ad Rufin.

11. Nec, ut bonus quis medicus sit, aut benè suo officio fungi dicatur, necesse est, ut ægros omnes persanet. Sed alienorum in hac re testimoniis relictis, *melius*, inquit, *propono de tuis tibi. Paulus loquitur, Abundantius illis omnibus laboravi. Non ait, Plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificavi.* Sciebat enim, utpote à Deo edoctus, quia unusquisque secundum suum laborem, præmium ac mercedem reciperet. *Unusquisque*, inquit, *propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem*: non secundùm proventum vel fructum quem faciet, & ob hoc in laboribus potiùs quàm profectibus Apostolus gloriandum putavit. Sicuti alibi quoque habes ipsum dicentem, *In laboribus plurimis.* Ita quæso fac tu quod tuum est.

Cura peccantibus impendenda, etsi non semper sanentur.

1. Cor. 15. 10.

1. Cor. 3. 8

2. Cor. 11. 23.

12. Planta, riga, fer curam, cole vineam Domini, & tuas explicuisti partes. Incrementum sanè & fructus non est tuus: eum dabit Deus ubi voluerit: ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura, *Reddet iustis mercedem laborum suorum.* Quia præmium & mercedem unicuique persolvit, secundùm opera ejus & labores, non juxta successum & fructum, qui inde sequitur. *Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus*, aut successus contingens deteriorem reddere! Tametsi nullus fructus colligatur, nullus convertatur, nullus ad meliorem frugem redeat; tam plena tamen & completa tua erit merces & corona, quàm, si permulti converterentur, magnumque fructum faceres. Et hæc, inquit Bernardus, absque præjudicio divinæ bonitatis & potentiæ dicta sunt: Scio induratum cor populi hujus, sed *potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quis scit si convertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionem?* Verùm non est propositi mei, Deo, quid facere debeat, præscribere: quia non est nostrum profunda ejus judicia scrutari; sed tantùm propositum mihi est, iis qui proximum curandi officium habent, persuadere, ut,

Labori respondet merces, non fructus.

Sap. 10. 17

Mat. 3. 9. Ioel. 2. 14.

Duæ rationes ob quas etiam sine profructus, laborandum in proximis.

Prima ratio de misericordia Dei.

ut, etsi fortè nullum sibi fructum facere videantur (neque enim hinc nostrum meritum aut præmium dependet) propterea facere non omittant, quidquid hac in parte facere valebunt; sed ea, ad quæ ratione officii obligantur, sedulò exequantur, & quidem ea, qua par est, diligentia & cura.

Duæ rationes ob quas etiam sine spe fructus, laborandum in proximis.

13. Præterea, ob duas alias rationes nos oportet, licèt nullus omnino convertendus, & nullus prorsus colligendus esset fructus; nihilominus perseverare, & à prædicando, laborando, & omni eo, quod ad proximi curationem ipsi à parte nostra quoquo modo afferre possumus, faciendo neutiquam desistere; sed tam prompta ipsum sedulitate obire, quàm si multi converterentur, & fructum inde caperent amplissimum.

Prima ratio de misericordia Dei.

14. *Primò* quidem, quia hoc Dei decet misericordiam & magnitudinem. Nam quemadmodum (teste S. Chrysostomo) non ideò minus fluunt fontes, etsi nullus ex iis haustum veniat: quin & ad civitatis splendorem & magnitudinem spectat, ut magna fontanæ æquæ sit copia, adeo ut ipsa foras effundatur, & præ nimia sui abundantia depereat. Sic prædicatores (qui sunt velut fontes, è quibus doctrinæ Evangelicæ aqua fluere debet) à prædicando, verboque Dei effundendo cessare nefas est, sive multi, sive pauci aquam hanc haustum veniant. Imò ad Dei omnipotentis magnificentiam, bonitatisque ejus & misericordiæ immensitatem spectat, ut tanta ejus in Ecclesia sit doctrinæ abundantia, ut illius fontes omnibus sitientibus, & bibere volentibus assiduè promanent, nec unquam exarescant. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione, vinum & lac.* *Isa. 55. 1.*

Secunda ratio à justitia Dei, petita.

15. *Secundò*, ita quoque ad Deum justificandum, fieri par est: etsi enim per tot monita, congressus, colloquia, conciones, obdurati nolint converti, nec fructum ullum facere; hæc nihilominus ad Dei causam magis justificandam subservient, *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Causam quippe suam apud peccatores planè justificare vult Deus, utque ad oculum hi videant, non tam per Deum, quàm per ipsos quo minùs conversi sint, stetisse; ne qua postea ipsis aut excusationis, aut de quopiam, præterquam de se, expostulandi sit occasio, ubi copiosa illa conversionis subsidia, quæ habebant, considerabunt; quodque, cum templum concionis audiendæ causa ipsi adire nollent, ad eos in vicis & plateis verbum Dei ipsis sit annuntiatum. *Psal. 50. 6.*

Exemplū ipsiusmet Dei laborantis frustra.

16. Sic Deus olim cum populo suo in judicium descendere, & omnium quæ aliàs ei præstitit, rationem reddere non est dedignatus, per Isaiam sic loquens; *Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ & non feci?* Plantavi, sepivi eam; ædificavi turrim in medio ejus, *& expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas: nunc ergo habitatores Ierusalem & viri Iuda, judicate inter me, & vineam meam,* & videte, uter in causa fuerit, quòd fructum ea non ferat. Non est profectò parum, imò verò permagnum, quòd *Isai. 5. 2.*

tutè in die judicii, Dei Opt. Max. partes, contra peccatores obstinatos agere, causamque ejus justificare possis: tunc quippe conciones & monita tua sceleratos accusabunt, confutabunt & condemnabunt, ut, quod ad objecta respondeant, nihil sint habituri.

Solatium laborantium sine fructu ex parabola inuitantium.

17. Quacumque ergo ex parte, & quocumque modo, rem hanc intueamur; semper efficiemus, nunquam esse nobis intermittendum id, quod à parte nostra ad proximi juvamen & conversionem conferre valemus: esto se ille convertat ac proficiat, vel non. Vnde S. Augustinus, parabolam illam de invitatis explicans, & de servo, heri jussu abeunte ad invitandum ad cœnam convivas (quorum permulti venire detrectarunt) loquens; An, inquit, servum hunc inter pigros & inertes computabimus, quod invitati ad cœnam venire noluerint? Minimè sanè: sed inter diligentes & sedulos, ipse enim promptè est, quod sibi fuerat imperatum, executus: illos invitavit, rogavit, quod suum fuit abunde præstitit, ac nihil à parte sua omisit, ut ad cœnam venirent. Illi adesse noluerunt: & ideo castigabuntur: servus vero ob suam diligentiam, non minus, quàm si omnes cœnæ interfuissent, præmium & mercedem accipiet. Ita quoque Deus aliam à nobis rationem non exiget, quàm, num, quidquid ad proximi conversionem potuimus & debuimus facere, studiosè fecerimus. quòd autem hic vel ille convertatur, & inde proficiat, imprimis bonum id est, & ab omnibus peroptandum, eoque lætari

Lib. de fide & operib. c. 17.
Matt. 22, 3.

summopere par est; uti in Evangelio Christum legimus in *spiritu exultasse*, cùm discipuli à prædicatione redeuntes, quem fecissent fructum, referrent. Quamobrem id nostris rationibus non annumerabitur, sed aliorum. Vnusquisque Deo de eis quæ ad se spectant, rationem habebit reddere. Sic nos rogabimur, riténe nostro functi simus officio; & num omne, quod à parte nostra ad proximis opitulandum afferre debuimus, ex officio obierimus: illi verò, & quidem strictè satis & rigidè, quomodo eo in suam vtilitatem usi sint.

Luc. 10. 21.

Lib. 35. Moral. c. 11.

Qua ratione plus mereatur, qui instituendo alios, parum proficit.

18. Non ergo meritum nostrum & operis nostri perfectio inde pendent, quòd alius ex eo proficiat, nec ne. Imò his aliud, ad nostram consolationem, aut potiùs desolationis nostræ consolationem, addere poterimus: nimirum, meritum, præmium & lauream nostram, non modò ab eo, quòd alii convertantur, aut multum in proximo fructificemus, non dependere: verùm etiam quodammodo fas esse dicere, plura nos facere & promereri, ubi nihil horum subest, quàm, dum evidenter aliquis colligi fructus videtur. Perinde ac, dum de oratione loquimur, dicere solemus, plus præstare eum, qui in ea, non habita devotione, perseverat, quàm qui mira consolatione & devotionis sensu delibutus, in ea perseveranter perstat. Concionatori quippe summo est gaudio, cùm videt se gratis passim auribus audiri, copiosum habere auditorium, & multos concionum suarum opera ad melio-

rem

rem frugem redire, atque inde proficere; hocque illi animos, robur & vigorem addit, efficitque, ut molestia & labor non sentiatur, uti egregiè notat S. Gregorius. Contrà maximopere is contristatur, languet, animoque concidit, cùm auditores suos nihil proficere, nullumque è concionibus suis fructum sequi videt. Proinde magnæ perfectionis in concionatore & operatore Evangelico, indicium est, eumque sua purè propter Deum facere, quando tantum abest, ut alas propterea dimittat, ut etiam perseveret, & in labore suo non minus naviter pergit, quàm si à toto mundo audiretur, magnamque omnes è laboribus suis utilitatem caperent.

Lib. 35. Moral. c. 11.

19. Cum hac ergo intentionis puritate & perfectione, nostra nos ministeria obire par est; non tam in fructum, & bonum operum successum oculos coniiciendo, quàm ut in ipsis Dei voluntatem faciamus, & ea, quàm possumus optimè, obeamus, ut sic Deo placeamus. Hoc quippe divina ejus majestas à nobis exigit & requirit. Itaque nec labor nos impediet, nec exiguus fructus, aut sinister successus, animum nos despondere faciet, nec nos turbabit, nec pacem aut gaudium nostrum imminuet; quemadmodum fieri solet iis, qui suos in solum fructum, & felicem operis successum, oculos minimè coniiciunt.

1. p. tract. 2. c. 11.



TRACTATVS SECUNDUS, DE ESSENTIALIBVS RELIGIONIS VOTIS, AC DE INGENTIBVS illius bonis.

CAPVT PRIMVM.

Tota Religiosi perfectio in perfecta integraq; votorum paupertatis, castitatis & obedientiæ, quæ emisit, observantia consistit.

Commune est votis religiosis quod sint potissima perfectionis media.
2.2.q.184 a5.



PRiusquam de horum votorum singulis particulatim loquamur, quædam in genere de illis, quæ ad omnia simul spectent, afferemus. *Primum* illud sit, tria hæc vota, primaria & præcipua esse media, quæ Religio habeat ad perfectionem assequendam. Docet quippe D. Thomas, Religiosum in statu perfectionis agere: quæ est quoque communis & vulgata sanctorum Patrum & Doctorum doctrina, è S. Dionysio Areopagita deprompta. Non quòd dicere velint, hominem, simul ac Religionem profitetur, perfectum esse, sed *velut profiteri, se ad perfectionem tendere.* Neq; enim profitetur Religiosus se jam planè perfectum esse, sicut id profitetur Episcopus: quia status Episcopalis perfectionem prærequirit; sed in statu Religioso ea necesse non est ut antecedat, satis est quòd subsequatur.

c.5. cæl. hierar.

Perfectio religiosa est studere perfectioni. Episcopalis, esse perfectum.

2. Hanc porro inter utrumque statum differentiam egregiè D. Thomas ex ipsis Redemptoris Iesu in Evangelio verbis eruit: ipse namque voluntariæ paupertatis, quam Religiosus profitetur, consilium proponens, non præsupponit eum, cui illud dat, jam perfectum esse; sed fore, si hæc consilia observet. Neque enim dixit, *Si es perfectus, vade & vende omnia quæ habes:* sed, *Si vis perfectus esse.* At, ut S. Petrum Prælatum faciat, non modò ex eo sciscitatur, num se diligat; verùm etiam, num diligat plus aliis, idque non semel, sed bis ac tertio, ut magnam illam caritatem & perfectionem declararet, quæ ad istud officium requiritur. Status ergo Epis-

Matth.19. 21. Ioan.21.15

Episcopalis æquè ac Religiosus, status sint perfectionis, at cum aliqua differentia: quia ille perfectionem præsupponit, non dat; at Religiosus status eam non supponit, sed dat.

[Sc]opus Religiosi status. 3. Mox enim ut Religionem ingrederis, non obligaris ut sis perfectus, sed ut ad perfectionem serio aspires, de illa sollicitus sis, eamque procures. Atque ad hoc citatur illud S. Hieronymi: *[E]pist. 1. [a]d Heliodor.* *Perfectus monachus in patria sua esse non potest*: id est, Religiosus patriæ amantior, parentibusque carnali affectu adhærescens, bonam perfectionis assequendæ viam non insistit. *Perfectum autem esse nolle*, & de perfectione consequenda non laborare, *delinquere est*. Vnde docet S. Thomas, *[U]bi sup.* Religiosum, qui perfectioni assequendæ non incumbit, neu de ea sollicitus est, non nisi inanem Religiosi larvam & simulacrum esse; quod minimè incumbat in id, quod profitetur, & ob quod ad Religionem venit. Necesse est *concordet illorum vita cum nomine: professio sentiatur in opere*.

Quomodo tria vota Religionis sint media perfectionis. Consideratio 1. liberant ab impedimentis. 4. Iam, inter præcipua, quæ Religio habet, perfectionis obtinendæ media, non postremum locum tenens tria illa vota essentialia, in Religione concipi solita, paupertatis, castitatis, obedientiæ. Egregiè autem id declarat S. Thomas dicens, Tripliciter statum Religiosum considerari posse; Primo, in quantum est exercitium, cujus ope ad perfectionem quis tendat; ad hunc effectum, illa imprimis amoveat, oportet: quæ animum impedire, & remorari possent, ne se totum Deo amando (in quo sita perfectio est) consecret. Inter hæc *primum* est concupiscentia bonorum externorum; hoc autem impedimentum tollitur per votum paupertatis. *Secundum*, concupiscentia voluptatum sensualium: hoc impedimentum præscinditur per votum castitatis. *Tertium*, voluntatis nostræ inordinatio, quam præsecat votum obedientiæ.

2. Considerratis vota Religiosa quietem animo pariunt. 5. Potest secundo status Religiosus considerari, in quantum est status maximè quietus, & ab omnibus rerum mundanarum curis & molestiis liber, juxta illud Apostoli Pauli. *Volo autem vos sine solicitudine esse.* *1. Cor. 7. 12.* Hanc autem quietem per tria hæc vota optimè homo consequitur: Nam solicitudo & inquietudo hæc à tribus potissimum capitibus enascitur. *Primò*, à divitiis: at hæ per votum paupertatis tolluntur. *Deinde* à filiorum, & familiæ gubernatione: hanc vero aufert votum castitatis. *Tertiò*, à suiipsius, & actuum, occupationumque propriarum dispositione: quibus, videlicet, se sit occupaturus? quod munus! quis locus sibi optimè conveniat? Hæc autem solicitudo evitatur per votum obedientiæ: per quod se homo in manus Superioris, qui Dei vices gerit, totum resignat, ut de se quodcunque libuerit, statuat.

3. Consideratio, vota Religiosa perfectè hominem Deo immolant. 6. Considerari Tertio status Religiosus potest, in quantum holocaustū est, per quod quis tùm se, tùm omnia sua Deo totaliter resignateque offerat: quod quàm perfectissimè fit per tria vota. Omnia siquidem, quæ hic habentur, bona ad tria genera reducuntur. Aut enim bona sunt exteriora, possessiones scilicet & divitiæ; at hæc renuntiamus, Deoque offerimus, per votum paupertatis. Aut bona & voluptates corporis; hæc abnegamus & offerimus per votum castitatis. At demum bona inte-

interiora animæ: & hæc per votum obedientiæ offerimus, utpote per quam voluntati & intellectui proprio renuntiamus, Superiori Dei vices supplenti eum tradendo & subiiciendo. Adeò, ut quocumque ex latere rem inspiciamus & consideremus, comperturi simus, tria hæc, quæ Deo nuncupamus vota, primaria esse media, quæ ad perfectionem consequendam Religio habeat.

Exemplū. 1.p.l.1.c. 73. Chron. Minor.

7. In Chronicis Minorum legitur Redemptor Iesus aliquando S. Francisco apparuisse, eique præcepisse, tres ut sibi oblationes faceret: Franciscus verò ei dixisse: Nosti Domine, me jam dudum totum me, & omnia mea, Majestati tuæ obtulisse; ac proinde me totum tuum esse, nihilque me aliud à mundo habere, præter hunc habitum & funem, quo cingor: atque hæc etiam tua sunt. Ecquid autem Majestati tuæ dignè offerre potero? Utinam Domine alterum mihi cor, & anima altera esset, quæ tibi possem offerre! Cùm ergo, aliquam à me oblationem exigas, tuum est mihi dare quod offeram, ut sic gratificari tibi & obedire queam. Tum Dominus; Ingere manum sinui Francisce, & quod inibi inveneris, mihi offerto. Fecit imperata Franciscus: cumque aureum in sinu nummum, tam grandem, tamque scitum (ut parem se vidisse non meminisset) reperisset, statim eum brachio extento Domino obtulit. Quod cùm secundò, quin & tertiò fieri Dominus mandasset, & ipse similem singulis vicibus è sinu nummum eduxisset; cum itidem quamprimum Domino obtulit. E quo mox audivit, per triplicem hanc oblationem, auream obedientiam, pretiosam paupertatem, & speciosam castitatem repræsentari. Quas, inquit, Domino ex sua misericordia mihi id concedente, tam perfectè illi obtuli, nihil ut in earum observantia committam, ob quod mea me reprehendat conscientia. Ergo & nos tali modo tria hæc Deo vota offeramus, ut in eorum observantia nullius culpæ nos coarguat conscientia. Quàm verò ille beatus foret, qui non cum S. Francisco solùm, verùm & cum Iob dicere posset: *Neque reprehendit me cor meum in omni vita mea.*

Vota sunt pretiosa.

Iob. 27.6.

Caput II.

Cur prædicta rerum omnium & sui ipsius exspoliatio, voto confirmentur.

In votis additis essentialiter consistit Religionis status. 2.2.q.184 art.5. & q.186.art. 6.

1. At dicet aliquis, Cur, cùm quis paupertatem, castitatem, & obedientiam etiam sine votis servare possit, illa emittantur? Cui S. Thomas, atque adeò Theologi omnes accommodatè respondent; docentque idcirco in Religione id per vota fieri debuisse, quia in illis essentialiter Religionis status consistit, & propterea ipsa status perfectionis & est, & dicitur; ut, nisi per vota hoc fieret, ipsa Religio non foret status perfectionis. Cujus rei hæc datur ratio: ut aliquis vivendi modus sit status perfectionis, requiritur constans & perpetua quædam ad ea, quæ perfectionem includunt, obligatio, status quippe ex vi nominis stabile, firmum & permanens quid denotat, uti dicimus, v.g. status matrimonii, ob

perpe-

perpetuum, & indissolubile, quod is secum trahit, vinculum. Ad eundem modum, ut quis in perfectionis esse dicatur statu, perpetua quædam ad perfectionem requiritur obligatio: & hanc stabilitatem, firmitatemque & quasi immobilitatem præstant religioso vivendi modo dicta vota.

Cur Episcopi sint in statu perfectionis & Parochi non sint.

2. Atq; hinc est, quòd teste D. Thoma, Episcopi dici possunt in perfectionis statu esse, non autem Parochi: quòd hi ad curam animarum neque voto se, neque obligatione perpetua obligent; sed hanc abdicare ipsis liceat, quandocumque libuerit: Episcopi verò perpetua ad officium pastorale obligatione obstricti sint, qua non nisi cum facultate & auctoritate Pontificis liberari & solvi queunt.

Cur liber à votis etiamsi perfectus sit non est in statu.

3. Porro hæc quoque est inter sæcularis & Religiosi hominis perfectionem differentia. Nam etsi fieri possit, ut sæcularis quis Religioso sit perfectior; nihilominus ille in statu perfectionis non est, quia perfectio illius sæcularis voto non est confirmata, uti perfectio Religiosi: hinc eam in bono firmitatem & stabilitatem non habet, quam Religiosus, ratione status sui. Hodie siquidem castus est, bonumque apud se concipit propositum cælibem virum agendi ad gloriam Dei; &, ecce, cras levitate quadam ab eo proposito resilit, & matrimonio jungit virginem suam. Verùm Religiosus, licet reipsa perfectus non sit, est tamen in statu perfectionis, quòd perpetuis & indissolubilibus quibusdam votis, circa ea quæ ad perfectionem spectant versantibus, ad illam sit vinctus & alligatus: nec illi resilire fas est, uti non ligato.

Cur gratia minor in Religioso statu, præstet maiori in sæculo.

4. Huc pertinet illud sancti cujusdam viri olim responsum. Cùm enim rogaretur, num quis in sæculo vivens, gratiam Dei & perfectionem adipisci posset: respondit, posse: at equidem malim gradum unum gratiæ in Religione, quàm decem in mundo: quia gratia in Religione facili negotio conservatur & adaugetur; quòd in ea quis remotus ab omni tumultu & turbela mundi (qui est capitalis & juratus gratiæ hostis) vivat, & acri fratrum spiritualium exemplo ad virtutem perfectionemque incitetur: in ea denique alia permulta adjumenta, sunt, quæ ad hoc non mediocriter conferunt. Contrà verò in mundo fit: nam quam quis in eo gratiam habet, tùm facillimè deperditur, tum summa cum difficultate conservatur. Vnde, inquit sanctus ille vir, inferas, potius ac satius esse, minorem habere gratiam, sed quæ secura sit, & tot tamque validis propugnaculis obvallata, & à quibus adaugeatur in Religione, quàm aliam majorem, quæ tam evidenti periculo exposita sit, uti in mundo est.

Chron. Minor. 1. p. l. 7. c. 20 de F. Ægidio.

In religione melius & constantius Deo servitur, quam in sæculo.

5. Hinc quoque manifestum fiet, quàm gravis illa nonnullorum Novitiorum sit tentatio, qua sibi persuadent tam benè se in sæculo perfectioni & solidis virtutibus vacaturos, atque in Religione; & tam ibi, quàm in hac bono aliis exemplo futuros. Quod mera dæmonis illusio est, ut hoc pacto illos deturbet eo, quod jam possident, Religioneque exturbet. Incipiet quidem in sæculo quis devotionis exercitiis seriò incumbere, singulis septimanis

manis peccatorum confessionem instituere, orationem mentalem frequentare, occasiones omnes illecebrosas, castitatis conservandæ causa, declinare; sed quoniam suæ relictus est libertati, nec perpetua quadam se obligatione obstrinxit, & tot illi assiduè impedimenta & obstacula occurrunt; hinc hodiè quidem, orationem deserit, cras confessionis usum intermittit, mox propter varia hominum commercia & conversationes distrahitur, denique tandem semel omnium jacturam facit. Quotidiana experientia irrefragibilis rei hujus testis est. Religiosus verò hæc omittere nequit, nec à professione & statu, in quo per vota positus est, resilire, hæc quippe sunt tria illa vincula, de quibus ait Spiritus sanctus, *Funiculus triplex difficile rumpitur.* id est, quod triplici hoc votorum nexu constrictum & ligatum est, ægerrimè frangas aut dissolvas.

Eccl. 4. 12

6. Quamobrem perspicuum jam est per tria hæc vota fieri, ut hoc vitæ genus sit status Religionis & status perfectionis: & sancti Patres asserunt, Apostolos, à Christo edoctos, quoddam Religionis initium in seipsis fecisse, & ejus velut fundamenta posuisse, Christo Domino conceptis minimum votis se obstringendo, tunc eum relictis omnibus, secuti sunt eum; atque inde, ex ipsorum traditione (quæ ab ipso Christo emanavit) in Ecclesia Catholica usu perpetuo jam observari, & inductum esse, ut Religiosi per tria hæc vota se Deo dicent,

Origo prima veterum. Aug. lib. 14. de civit. c. 4. Hieron. S. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 4. ad 3. VValdensis ex Dionys. lib de Eccl. hierar. c. 6.

* * *

CAPUT III.

Alia haud vulgaria bona & commoda recensentur, quæ ex hac sui per vota obligatione consequuntur.

1. PRæter id quod diximus, aliud emolumentum & commodum eximium in votis continetur; nimirum, quòd ex voto fit, laudabilius majorisque valoris ac meriti apud Deum esse, quàm quod voluntariè sine illis fit. Tres hujus rei rationes assignat S. Thomas easque solidas & efficaces.

Pluris est bonum quod ex voto fit, quã quod sine illo.

2. Prima est, quia votum actus est religionis, quæ inter omnes virtutes morales princeps est & excellentissima; proinde aliarum virtutum operibus valorem addit & pretium, efficiendo ut ea fiant opera religionis, res sacra, cultus divinus, sacrificium, & res Deo jam dedicata & promissa. Verbi gratia, jejunium, (quod actus est temperantiæ) votum efficit, ut etiam actus sit religionis, itaque duplici via fit opus meritorium: primò ex virtute ipsiusmet operis jejunii; deindè ex eo, quòd sit actus religionis. Sic generaliter in omni eo, quod ex obedientia facimus, duplex consequimur meritum: unum quidem ipsius operis, alterum vero obedientiæ: ac proinde magis tunc per opera meremur, quam si eadem ex proprio arbitrio, & voluntariè, sine obedientia aut sine voto facerimus.

1. Ratio quod votum ipsum sit actus religionis.

3. Meliùs id ex ejus contrario intelligetur. Quemadmodum, qui contra votum castitatis peccat, duo peccata mortalia committit, primum contra castita-

Sicuti duplex malitia in uno actu potest esse, ita &

castitatem, & sextum decalogi præceptum: alterum verò majus, sacrilegii scil. infringendo votum, quo ad eam observandam se obstrinxit: ita ex adverso, qui votum castitatis observat, duplex sibi meritum comparat, unum virtutis castitatis, & observantiæ præcepti Dominici; alterum verò majus, videlicet adimpletionis voti Deo nuncupati: qui est quidam actus virtutis religionis, atque ita de reliquis votis.

4. *Secunda* ratio, cur majoris meriti id sit, est, quia majus longè facit, plus quę dat Deo & offert, qui quid ex voto facit, quàm qui id sine illo facit: quia ille non solum dat quod facit, verùm etjam (quod multo majus est) suum non posse quid aliud facere: libertatem scil. suam, qua nihil offerre potest dignius & eminentius. Laudabile quidem & bonum est, deserere omnia propter Christum; qui tamen paupertatis votum facit, plus præstat, quia non modò deserit ea quæ jam reipsa possidet, verùm etiam ipsam eorum habendorum potentiam: quod multo est amplius. Dat, inquam, Deo arborem unà cum fructibus. Quæ egregia est similitudo, quam è D. Anselmo adfert ad hoc declarandum S. Thomas, Sicut, inquit, plus facit & dat, qui alicui arborem dat cum omnibus fructibus, quàm qui solùm fructus decerptos amico mittit, arborem sibi retinens: ita Religiosus arborem unà cum fructu Deo dat. Mundani, ut summum, Deo dant arboris fructum, quædam, inquam, opera bona; sed non dant arborem, scilicet seipsos, quia hanc sibi retinent, & manent sui: at Religiosus insuper seipsum dat, arborem videlicet & fructum, opus æquè ac voluntatem & libertatem; atq; adeò omnia Deo transcribit: non etiam ampliùs est suus, nihil quod det, illi est super, cùm donârit omnia. S. Bonaventura alia id similitudine exponit, aitque. Quemadmodum plus alio dat, qui non solùm rei dat usum, verùm etjam proprietatem; ita Religiosus, qui Deo per vota se nuncupat, amplius illi dat, digniusque sui sacrificium facit, quàm sæculares propterea quòd non opera sua solùm det, sed etiam voluntatem, & suam ad quid aliud faciendum illicentiam: adeò ut se Deo tam quoad usum fructum, quàm proprietatem, attribuat & dedicet.

5. *Tertia* ratio ob quam majoris meriti est, quod ex voto fit, quàm quod sine illo, est hæc: cùm operum exteriorum bonitas potissimè à voluntate facientis ortum habet, hinc quo voluntas futura est melior, eo etiam opera, quæ ab ea procedent, meliora futura sunt. Iam in confesso est, quanto voluntas erit stabilior, constantior, ac durabilior, tanto etiam eam meliorem fore: ita namque minus incidet in id quòd Sapiens reprehendit *Vult modò, & modò non vult piger*. Quin & apud Gentiles Aristoteles docuit, inter virtutis conditiones non postremum esse, *ut firmiter & immobiliter operetur*. Hoc porrò agit votum; utpotè quòd homini in bono opere firmitudinem dat & stabilitatem, itaque ipsum multò reddit perfectius. Sicut ex adverso Theologi docent, eum qui in peccando obduratus est, graviùs peccare eo qui aut ex infirmitate peccat, aut ab inopinata aliqua passione occupatus: quòd ille voluntatem in malo magis radicatam & firma-

[Margin: Lib. de simi-litud. 1. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 6.]

[Margin: In Apolog. pauperum.]

[Margin: 3. Ratio. Ob firmitatem boni promissi.]

[Margin: Prov. 13. 4.]

[Margin: 2. Ethic. c. 4.]

tam habeat. Unde etiam id peccati genus inter peccata in Spiritum sanctum committi solita, refertur. Sic bonum opus firmiore, stabiliore, & ad bonum inclinatiore voluntate facere, longè perfectius est, & magis meritorium, quàm sine ea.

Votis astringi contra tentationes prodest.

6. Huc accedit, quòd, si hinc nostram consideremus imbecillitatem, illinc verò dæmonis in nobis tentandis insolentiam ac pertinaciam; nullum convenientius ad hoc propositum inveniri remedium posse videatur, tam ad debilitatem nostram corroborandam, quàm dæmoni portam occludendam, quàm Deo nos per hæc vota obstringere. Nam, quemadmodum qui opulentæ alicujus virginis nuptias ambit, mox ut alteri eam nupsisse comperit, omnem ea potiundi spem abiicit, omnesque illius conatus & studia concidunt: pari modo dæmon, videns hominem per hæc vota Deo jam velut desponsatum esse, planè de eo ad mundana reducendo desperat, & persæpè propterea ab eo tentando cessat, veritus nimirum ne hæc ei tentatio majoris sit gloriæ, & illustrioris coronæ in cœlo occasio, & inde sibi securum sit dispendium, unde magnum sperabat compendium.

* * *

CAPUT IV.

Cur SS. Patres, secundi Baptismi, aut Martyrii, nomine vocent traditionem illam, qua quis se Religioni per tria hæc vota dedicat.

Vota Religiosa plenariam peccatorum remissionem impetrant, 2.2.q.ult, art.3.ad 3. & Caiet. ad 3.q.185

1. TAnti vero valoris ac meriti apud Deum est, quod hoc modo se quis per hæc tria Religionis vota Deo totum mancipet, ut eum Theologi & sancti Patres per hanc traditionem omnium peccatorum remissionem consequi communiter asserant: ita quid ut, si tunc mori eum contingeret, recta ad cœlum, à purgatorii pœnis prorsus immunis evolaret, non secùs atque is, quem mox à baptismo suscepto demori contingit. Atque ideo eam sancti Patres, Hieronymus, Cyprianus, & Bernardus, *secundum baptismum* nuncupant.

Idque vi voti. Paul.V. in Bulla Const. anno 1606. S. Thom. ubi supra.

2. Neque verò hoc per viam Indulgentiarum fieri existimandum est: cum plenariam Indulgentiam novitii eo consequantur die, quo primùm in Religionem admittuntur, susceptoque sacro habitu, peccatorum confessionem instituunt, & ad sacræ communionis mensam accedunt. Hæc porro prærogativa non solum ex virtute est Indulgentiæ, sed etiam ex virtute ipsius operis, propterea quòd ipsum adeò heroicum & excellens sit, ut ex se, sine ullius Indulgentiæ additamento, pro omni pœna peccatis debita, aptum sit satisfacere. Atque in hujus rei confirmationem adferunt Doctores illud, quod de S. Antonio legitur. *S. Thom. ubi supra.*

Exempl.

3. Videre sibi hic visus est, ab Angelis

lis in cœlum sustolli, dæmones verò iis obviam progressos, tota vi & contentione ascensum hunc impedire conatos, eumque de aliquot peccatis, quæ in sæculo commiserat, accusasse quibus responderunt, Angeli. Si quid eum noveritis post vitæ monasticæ professionem commisisse, ejus eum accusate, ac liberè depromite: quæ enim aliàs in sæculo admisit peccata, jam pridem dimissa & expiata sunt, & omne hoc debitum dissolutum, eo ipso quòd Religionem est ingressus. Quibus auditis, cacodæmones magna cum confusione recesserunt.

Dan. 4. 24.

Collatio voti, cum aliis bonis operibus.

4. Nabuchodonosori Regi suasit olim Daniel Propheta: *Peccata tua eleëmosynis redime.* Porro si tenui eleëmosyna de aliqua opum suarum portione erogata, suis Rex ille peccatis eam copiosè satisfecit; quanto magis suis satisfaciet is, qui omnem substantiam relinquit & erogat? Majus quippe est, dare & relinquere totum, quàm non nisi partem aliquam. *Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: sed melius est pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum solicitudine egere cum Christo.* Unde etiam S. Hieronymus contra Vigilantium hæreticum melius id esse probat, idque Christi testimonio in Evangelio manifestè dicentis: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.* Majoris ergo perfectionis est, insimul abdicare & deserere omnia, ad Christum nudum sequendum.

Lib. de Eccles. dogmat. cap. 71.

Hieron. contra Vigilant.

Mat. 19. 21.

Hom. 20. in Ezech.

2. 2. p. 86. art. 3. ad. 6.

Vota religiosa sunt holocaustum.

5. Et Gregorius in Ezechielem scribens (quem citat D. Thomas) mundanos, qui facultates suas retinendo, subinde ex iis in egenos aliqua erogant ait Deo de sua substantia quoddam velut sacrificium offerre; quia simul aliquid dant Deo, & aliquid sibi reservant: at Religiosum, nihil sibi prorsus reservantem, sed omnia ex Dei amore deferentem, offerre ei holocaustum, quod sacrificio majus est. Quid erit ergo, propter Deum non modò facultates omnes, verum etiam seipsum, ac corpus suum per votum castitatis; voluntatem & intellectum per votum obedientiæ relinquere? Quid erit seipsum semper ex Dei amore abnegare, & mortificare? Talis quippe est vita Religiosi: *Semper*, inquit, Apostolus, *mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.*

2. Cor. 4. 10.

Ingressus in religionem alia vota obliterantur.

6. Sed & hinc Operis hujus excellentia & perfectio patebit: Nam esto quis voverit petere Romam, vel terram sanctam adire, omnes, quas acquirit possessiones, in egenos effundere, tota vita ægris in nosodochio famulari, quotidie flagellis in corpus suum sævire, in pane & aqua jejunare, cilicium gestare, & alia id genus plurima exequi; Religionem tamen liberè intrare poterit, eoque ipso omnes illæ obligationes & vota finem accipient, ac in illam, utpote rem meliorem, Deo acceptiorem, majoremque perfectionem involventem, commutatæ erunt. Sic id Iure Canonico præscriptum est, hæcque communis est Doctorum omnium opinio.

c. Scripturæ, de voto & voti redempt.

Vota religiosa sunt sicuti martyrium.

7. Denique, tam præstans & heroicum opus est, Deo se totum per tria hæc vota dedicare & tradere, ut sancti Patres

Patres Religionis statum martyrio non immeritò comparent, docentque, Religiosi vitam non breve (uti Martyrum veterum fuit) sed continuum & extensum martyrium esse, Unde Bernardus: *Illo quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Id est, Religiosi martyrium non est quidem ita horridum exteriori specie, atque illud in quo per rotas falcatas, novaculas, craticulas, & flammam, membra dirè torquentur; at duratione & continuatione pœnosius. Martyrum quippe martyrium in uno ictu gladii finiebatur: at Religiosi, momento non terminatur; quia is semper & quotidie torquetur, cruciatur & mortificatur, in honore & reputatione nominis, propriæque voluntatis ac judicii ab negatione, juxta illud Prophetæ, *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis*: id est, ad omnia parati & dispositi simus oportet, sicut oves ad lanienam destinatæ. Ac veluti Martyres pro suo arbitrio tormenta & genus mortis inferendæ non diligebant; sed, quæcunque sibi judices infligenda decernerent, ad ea æqua mente subeunda dispositi erant: ita Religiosus, ad instar Martyris, dispositus & paratus sit oportet ad quodlibet mortificationis genus accipiendum.

Serm. 30. in Cant.

Thom à Kemp. ser. 2. ad Novit. Ps. 43. 22.

8. Sicut ergò sancti Patres & Concilia docent, suo martyrio Martyrem, omnium peccatorum remissionem consequi, & rectà sine ulla purgatorii expiatione, ad cœlestem gloriam admitti, ideoque injuriam facere Martyri qui pro eo orat; quia martyrium tam heroicum & excellens est opus, ut (sicut Christus asserit) *majorem caritatem nemo habeat, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, (cum quod dignius & amplius det, non habeat) ita quoque per hanc oblationem qua se quis in Religione Deo per vota perpetua devovet (quòd tam divinum & heroicum sit opus, ut quis det quidquid dare potest, & amplius quòd det, non habeat) omnis pœna peccatis ejus debita ei remittitur, itaque is depuratur, uti erat tum, cùm recenter è baptismi lavacro emergeret, & tanquam si martyrio laurea insigniretur. Atque hac de causa sacrificium hoc & oblatio, à sanctis Patribus baptismo & martyrio æquiparatur: quòd quoad hunc effectum illis simile sit.

Thom. à Kemp. ubi supra. *Clem. Alex. li. 4. Strom. Aug. li. 13. de ciu. c. 8. Hermes discipulus S. Pauli li. 3. Pastoris simili. 9. c.* Cum Martsiæ. *de celebrat. Missarum. Ioan 15. 13*

Caput V.

Adeò libertas homini per vota non tollitur & imminuitur, ut etiam perficiatur.

1. Obiiciat hic fortasse nonnemo ac dicat: Video quidem omnia, quæ commemorasti, bona & utilitates in hac totali sui per hæc vota Deo consignatione amplissimè contineri: at negare mihi non potes, quin suam homo libertatem hoc pacto deperdat, eaque se spoliet, quæ tamen tantum bonum est, ut (sicut alius ille ait) nullo sit pretio redimibilis & comparabilis.

Obiectio quod per vota amittatur pretiosa libertas.

Non bene pro toto libertas venditur auro.

2. Objectioni huic commodè respondet. D. Thomas, dum ait, non parum te decipi, eo quòd libertas hæc per vota adeò non auferatur, ut etiam perficiatur hic autem id demonstrat. Votorum est, voluntatem in bono stabilire

2. 2. q. 88. art. 4. Obiectio solvitur, eo quod vota religiosa non

minuat libertatem. bilire & solidare, ne ab eo tam facilè divertat & retrocedat: Hoc verò libertatem non tam aufert, quàm perficit. Fit hac in re quodammodo idem quod scimus contingere in Deo & Beatis (qui peccare nequeunt) quorum impeccabilitas adeò illis libertatem non eripit, ut hanc etiam habeant perfectissimam. Apostoli quoque, qui in gratia fuere confirmati, & mortaliter peccare nequibant, non idcircò suam libertatem amiserunt, quin ideo hæc in illis perfectior fuit: quia in bono, ad quòd creata fuit, magis est confirmata & stabilita.

Testis S. Ignatius. 3. Atque hoc est, quod nobis S. N. P. in epistola de virtute obedientiæ scriptum reliquit. *Nolite*, inquit, *exiguum vestri liberi arbitrii fructum putare, quòd liceat vobis illud, à quo id accepistis, eidem per obedientiam plene reddere. Quod cùm facitis, non modò non perditis ipsum, verùm etiam augetis atque perficitis. quippe qui vestras omnes voluntates certissima rectitudinis regula moderamini, voluntate divina, quam videlicet interpretatur is, qui vobis Dei nomine præsidet.*

Alii Testes Cap. 9. de fortit. Albertus M. li. de virtutibus. 4. Confirmatur hoc quoque illa S. Anselmi sententia; *Peccare*, inquit, *non est libertas, nec pars libertatis: peccare est potiùs non posse, quàm posse. Quicunque enim facit quod sibi non expedit, quanto magis hoc potest, tanto magis adversitas & perversitas possunt in illum.* Id est, peccare posse, & libertate posse abuti, non tam perfectio quædam est, quàm imperfectio & miseria: neque tam potentia, quàm debilitas & imbecillitas.

Peccare est libertate abuti. 5. An ad oculum, (petit Augustinus) id videre cupis? Ne Deus quidem, esto sit omnipotens, hoc facere potest. *Hoc unum non potest Omnipotens, mentiri non potest*, peccare non potest. Ideo quippe peccare possumus, quòd deficere, errare & similes miserias subire sumus capaces, & sic peccatum iniquitas & miseria, potestatem quandam in nos habeant, & eo majorem, quo plus ipsi peccare possumus. Quanto ergo magis hinc recedimus, & voluntatem in bono magis stabilimus & firmamus, tanto eam magis perficimus.

6. Hoc autem fit per vota, per illa nos ad id, quod bonum & melius est, obligando. Unde benè exclamat S. Augustinus. *Felix necessitas quæ in meliora compellit. Non te voluisse pœniteat; imò gaude, jam tibi non sic licere, quod cum tuo detrimento licuisset.* Age, Si quis tibi diceret: si per hanc viam incedas, hac porta si exieris, certò periculum adibis, vel in præcipitium abibis: an non summopere lætareris, non etiam te singulari beneficio afficeret is qui portam hanc tibi occluderet, ac viam obstrueret, ut, etsi in perniciem & præcipitium sponte ipse tuum abire velles, minimè posses? Iam, si periturus & damnandus sis, non alia id via fiet, quàm quòd voluntate tua malè utaris (nam *cesset voluntas propria, & infernus non erit*) ergo, quo magis hæc tibi via præpedietur & occludetur, ne scilicet libertate tua malè utaris, eo majus tibi beneficium confertur. Quocirca, voluntatem tuam Superiori per obedientiæ votum subiicere, non tam est libertatem perdere, quàm eam magis perficere, ac purissimæ obedientiæ divinæque voluntatis auro includere. *Per vota firmamus voluntatem in bono.* Epist. 45. ad Armentarium & Paulin. Bernard. serm. 3. de resurrect.

7. Addit his Doctor quidam, gravis, rem sanè notatu dignissimam, nimirum, per concepta vota libertatem Soto lib. 7 de iustitia & iure q. 2 art. 4. ad 1.

 non

Per vota ad perfectiorem libertatem pervenitur.

non tam imminui, quam contrà eum qui per ea se Deo obligat, seque superiorum obedientiæ subiicit, majorem libertatem habere, quàm ille cui animus ad hoc aggrediendum deest. Hoc autem modo dictum suum probat.

Vera libertas quæ sit.

8. Libertas hominis vera in eo est sita, quòd suiipsius sit dominus. Atqui magis sui dominus est, qui voto se obligat, & superiori alicui subdit, quàm qui animum ad hoc faciendum non habet.

Ex. gr. in castis.

9. Exemplum demus in castitate. Idcirco castitatis votum facis, quòd plenus, per Dei gratiam, tui ipsius Dominus futurus ad castitatem servandam, videaris: at ideò mundani isthoc votum concipere non audent, quòd se tam plenè in seipsos dominari non posse putent. Vides ergo te, faciendo votum, majorem in teipsum dominatum habere, ad faciendum id quod cupis & quod ut fiat, conveniens esse judicas. In hoc igitur libertas consistit: quia alia illa libertas, non tam libertas est, quàm subjectio & mera servitus: sui enim appetitus & sensualitatis, non dominus est, sed servus & mancipium, quæ eum velut captivum & vinctum versat & reversat, ac quocunque vult circumagit, & tandem ad peccatum pertrahit. Sicut multis in locis S. Scriptura testatur. *Captivantem illum in lege peccati.* Et, *à quo enim quis superatus est.* Et, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.*

Rom. 7. 23. 2. Pet. 2. 19. Ioan. 8. 34.

Item in obediente.

10. Eodem quoque modo se res habet in obedientia. Propterea quippe te obedientiæ voto submittis, quod per Dei gratiam futurum speres, ut tuiipsius sis dominus, ad Superioris voluntati sedulo obsequendum, tuæ vero renunciandum. Alius ille nondum tantum sui in seipso dominium sentit, ut ad suam voluntatem abnegandam, & alienæ obsequendum, obedientiam Præpositi alicujus sequendo, sibi vires & animi sufficiant: ideoque in domo sua manere vult, nec Religioni nomen dare, nec obedientiæ votum nuncupare audet. Obedientiæ ergo se submittere, hæcque vota concipere, majoris potius est libertatis argumentum, majorisque in seipsum dominii signum.

Vota religiosa nobilitant vovente.

11. Est vero hæc nobilis & generosa quædam subjectio: ad quam nos proinde Sapiens seriò exhortatur: *Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: subiice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius.* Eccli. 6. 25. O beatas compedes, felices catenas, quas proinde Scriptura non catenas nonnullas, sed *torques*, nuncupat (*& in torques illius collum tuum*) hæ catenæ collum non tam alligant & gravant, quàm adornant: quia non catenæ ferreæ sunt, sed aureæ; non mancipiorum vincula, sed dominorum cohonestamenta, torquesque aureæ, quæ gestantibus non oneri sunt, sed honori & auctoritati. Permagni autem refert, universa hæc tali modo & sensu accipere; ita quippe Christi jugum, suave fit & amabile, uti recte advertit B. Ambrosius: *Christi jugum, ait, suave est, si ornamenta putes cervicis tua esse, non onera.*

* * *

Capvt

Caput VI.

De singularibus bonis status Religiosi deque gratitudine, quàm Deo debemus quod ad eum nos vocarit.

1.Cor.1.9 Exod.12. & 13. Vocatio ad Religionem est similis eductioni Israelis ex Aegypto.

1. Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filii eius Iesu Christi Domini nostri, ait Apostolus Paulus. Inter alia quæ Deus Opt. Max. filiis Israel dum eos è captivitate Aegyptia educeret, injunxit; fuit, ut diei, qua tam eximium eis beneficium præstitum erat, nullo non tempore recordarentur. Tam autem serio & strictè hoc ab illis servari præcepit, ut in beneficii hujus memoriam, quot annis eos Paschale festum (quod etiam octiduo duraret) magna solemnitate celebrare, & statutis certisque cum ritibus agnum, in memoriam ejus, qui immolatus fuit tum, cùm captivitate educti sunt, comedere in illo mandarit.

Beneficiũ religiosæ vocationis grata mẽte recolendum.

2. Si hoc ad corporalis libertatis memoriam conservandam fieri olim præcepit Deus, quam tamen adepti Israelitæ, non propterea facti sunt meliores; quid non in ejus diei memoriam nos facere par est, quo manus ejus potens & pia nos eripuit è captivitate illa dura, qua anima nostra captiva detinebatur, & in via, quæ ad terram promissionis, non soli, sed cœli, tenditur, collocavit & asservit? Sic legimus, à S. Arsenio Abbate diem illum quotannis festivè solitum celebrari, quo vitæ sæculari nuntium, Deo dante, remiserat. Festivitas autem in eo sita erat, quòd eo die Sacrosanctæ Eucharistiæ mysteriarum accipiebat, tribus pauperibus per eleemosynam aliquid erogabat, denique omnes passim monachos ad suum conspectum intra cellam admittebat.

Per vocationem ad Religionem ducitur homo ad immolandum Deo abominationes. Lib.2.qu. super Exod.qu.28. Exod.8.26

3. Hoc in sensu exponit S. Augustinus id quod olim Pharaoni, petenti, ut filii Israel intra Aegypti limites Deo sacrificium offerrent, neque ad hoc regni sui terminos excederent, Moyses respondit. *Non potest*, inquit, *ita fieri: abominationes enim Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*; vaccam, scilicet, vitulum, agnum, quæ Aegyptii adorant ut Deos, proinde abominationi ipsis erit, si quæ ut numina reverentur, nos ea videant mactare & immolare, nosque ut blasphemos & sacrilegos lapidabunt. Vnde necesse nos est Aegypto egredi, & in desertum concedere, ut Deo hæc ibi tutò ac securè offerre valeamus. Ad eundem modum, cùm nos Domino Deo nostro sacrificare & offerre debeamus id, quod obominantur & aversantur mundani, paupertatem videlicet, mortificationem carnis, obedientiam, subjectionem, despectum & contemptum nostri, voluntatis propriæ abnegationem: hæc verò, aliaque id genus, in mundo Deo sacrificare & immolare nefas esset; mundani quippe nos exsibilarent, lapidibus impeterent, ac vitæ periculum nobis crearent, hæc namque illi obominantur, ac pauperes, humiles & abjecti illis sunt ludibrio.

4. Huic vocationi ad religionem etiam alia figura in eductione Israelitarum pulchrè respondet, nempe illa: *viam trium dierum, pergemus in soli-* Exod.8.27.

in solitudinem, *& sacrificabimus Domino Deo nostro*: simili, inquam modo nos Dominus, ex infinita sua bonitate & misericordia Aegypto eductos ad Religionis solitudinem conducit, in qua per tria vota tutò, omnia illa offerre & sacrificare Deo possumus, quæ mundus amat, magni facit & amplectitur. adeo ut pauperem esse, castum esse, & subesse, quod in sæculari ridetur, etiam ibi magno honori & gloriæ sit, quique in eo magis excellit, & aliis eminet, etiam aliis magis æstimetur, ac pluris fiat.

Excellentia, ob quas beneficium vocationis magni faciendum.

5. Ut autem intelligamus meliùs, quanta nostra, ad hoc Dei beneficium grata mente recognoscendum, eique propterea gratias agendas, sit obligatio, quædam bona & excellentias breviter hic afferemus, quibus magnitudinem eius sancti Patres declarant. S. Hieronymus scribens in illud Psalmi

Psal. 80. octogesimi: *Cùm exiret de terra Aegypti, linguam quam non noverat audivit, divertit ab oneribus dorsum eius*, pluribus exaggerat illud ingens beneficium, quod Deus in nos contulit, tum cum Ægypto, (id est, mundo) nos eripuit, partim gravem Pharaonis captivitatem & servitutem, in qua gemebamus, partim libertatem filiorum Dei, ad quam evocati sumus, in memoriam nobis revocando. Gravi, inquit, nos jugo Deus eripuit, & ponderosissimum humeris nostris onus excussit, eramus quippe in hoc mundo servi, & mancipia Pharaonis: *Et in manu forti eduxit nos de terra Ægypti, de domo servitutis.*

Iugum mundi

6. *Quando autem in Aegypto* mundi hujus *eramus*, *extruebamus civitates Pharaonis, lutum & laterem portabamus, & tota anima nostra* magno conatu, & studio, *quærebat paleas*; paleas, inquam, quas rapit ventus, ac lateribus inspergendas. *Non habebamus frumentum*, omnia erant palea inanis; *non habebamus cœlestem panem, qui de cœlo venit, necdum acceperamus manna de cœlo. Quàm grandia verò habebamus onera?* Quàm enim grave mundi est onus? quantæ in eo subeundæ molestiæ? quot angores? quot labores? Et hæc omnia, ut esca, & alimentum suppetat, aut ad summum, ut dignitatem aliquam, aut officium honorabile assequamur. Utque hanc conservemus & amplificemus, quot DEVS bone, nobis difficultates sunt subeundæ? quot adhibendæ artes, prensationes, & affectatæ exambitiones? quot leges mundi observandæ? quas nemo intelligit, nisi qui reipsa experitur. Verè itaque jugum ferreum & gravissimum mundanorum cervicibus incumbit: Ergo Deus *divertit ab oneribus dorsum eius*; id est, grave jugum obligationum, & consuetudinum mundanarum onus, & jugum illud ferreum ab humeris nostris excussit; ejusque loco aliud levissimum, & jugum suavissimum iis imposuit. *Iugum meum suave est, & onus meum leve*, ad eum, inquam, statum nos perduxit, in quo duntaxat circa ejus cultum, obsequium & famulatum occupari debemus, cum promissione ejus quæ nunc est felicitatis in centuplo & illius quæ in futuro erit.

gravissimum explicatur.

Mat. 11. 30.

Sollicitudo coniugatorum.

7. Apostolus Paulus, de iis qui in mundo matrimonii vinculo implexi sunt, ita loquitur: *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori*,

1. Cor. 7. 32.

uxori, & divisus est: id est, conjugati in multas sunt curas & sollicitudines distracti; curanda quippe ipsis sunt ea quæ mundi sunt, res quoque familiaris & domestica: marito curandum ut placeat uxori; uxori ut marito: hinc divisi & dispartiti sunt, & ex toto corde Deo se dare non possunt.

Libertas à curis illis in cælibum statu.

8. *At qui sine uxore est*, donumque castitatis habet, *sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat* Deo: *& mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* Si ergo eos qui in sæculo castitatem profitentur, Apostolus solicitè curare debere ait, *quomodo placeant* Deo, ac quomodo in *corpore æquè ac spiritu sancti* esse queant; quid erit de Religiosis dicendum, quos ab omnibus mundi curis & sollicitudinibus, quin & ad corporis sustentationem necessariis curandis, benignissimus Deus exemit ac liberavit? ut sic toto studio & conatu in id unum incumbamus, quomodo placituri simus Deo, & quotidie majorem in vitæ sanctimonia progressum facturi.

Lib. 6. de ciu. ca. 24. Gen. 15. 10. *Figura huius libertatis in Vet. Test.*

9. Repræsentari id nobis figuratique S. Augustinus ait, in sacrificio illo Abrahæ, in quo vaccam, capram, arietem, adhæc turturem & columbam, Deo immolavit. Animalia quidem terrestria divisit media, *aves autem non divisit*, sed integras Deo obtulit. Per animalia terrestria homines mundanos, qui in multas partes distrahuntur & dividuntur, vult significari; per turturem verò & columbam, quæ aves mites ac mansuetæ sunt, & nullam homini injuriam inferunt, signari spirituales & perfectos, sive ii ab hominum conversatione & commercio sequestrati sint (qui per turturem denotantur;) sive inter illos assiduè agant & conversentur (quorum columba figura est.) Porro hi non dividuntur & dispartiuntur, sed totos se & indivisos Dei obsequio impendunt. Hanc ergo nobis Religiosis Dominus gratiam contulit, quòd integros nos & totos in sacrificium & holocaustum Deo offerre possimus, nec in curas extrarias dividi, rapi, distrahique necesse sit; sed id solùm procurare, quomodo quotidie Deo gratiores esse, & magis placere possimus.

Eadem particulatim explicatur.

10. Hanc quippe ob causam *castitatis* votum facimus, ut (quemadmodum Apostolus ait) non habentes comparem cui complaceamus, nec familiam quam dirigamus; unum id omni cura & sollicitudine studeamus, qua via & modo quotidie in spiritu proficere, & ad altiorem perfectionis gradum pertingere vacamus. Ad hoc quoque nos obligamus voto *paupertatis*; cujus adminiculo omnes mundi divitias, necnon omne quod involvunt, desiderium, cupiditatem, curam, angorem & sollicitudinem, abdicamus; hæ quippe sunt spinæ, quas Redemptor Iesus in Evangelio possessores suos pungere ait, & inquietare. Unde etiam S. Ambrosius inde eas dictas *divitias* putat, *quòd mentem* & animum hominis *dividant*. Ad hunc denique effectum emittimus votum *obedientiæ*; per quod tam nosipsos, quàm propriam voluntatem & judicium, penitus abnegamus, ita ut jam nihil amplius proponere, decernere, nevè anxiè quid de nobis futurum

Luc 8. 4. & 14.

sit, disquirere debeamus: quia Superior, cui nos totos loco Dei tradidimus ac consignavimus, hanc omnem in se curam suscepit, ut dumtaxat de iis quæ ad nostri ipsorum in spiritu profectum attinent, ipsi solliciti simus.

Psal. 133. 1
Alia figura explicatur libertas honorata Religiosorum.

11. S. Hieronymus explicans hæc Psalmographi verba, *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini: qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri:* ait, Quemadmodum temporalis aliquis Dominus multos habet famulos, qui sibi famulentur, & quemadmodum ea inter eos est distinctio, quòd horum nonnulli domi sint, ad ipsum quaquaversum comitandum; alii verò in agris & villis jugiter agant: *sic & Deus multam habet familiam: habet quasi ad faciem suam, qui sibi ministrant*, & in conspectu suo continuò versantur: *habet alios in agris.* Religiosos, similes esse ait servis in Domini familia habitantibus, in domo ejus jugiter assistentibus, quotidieque eum ipso tractantibus, illos denique Dei esse intimos & familiares; sæculares verò & in mundo conversantes, esse dicit ceu famulos rurales & agrarios. Atque in hac similitudine pergens; *Sicut*, inquit, *servi hi rurales, agricolæ & pagani, cùm quid apud Dominum agere, & ab eo consequi student, famulos familiares, domesticos, in eius conspectu semper agentes, quotidieque cum illo loquentes, in patronos & intercessores adhibent: simili modo mundani homines, si qua in necessitate versantur, si quid à Deo obtinere volunt, ad Religiosos quamprimùm confugiunt, rogantes sua ut negotia Deo commendent, & pro tali necessitate divinam opem implorent; quòd eos, tanquam Dei intimos & familiares, & quorum intuitu interventuque aliquam ipsis gratiam Dominus est collaturus, intueantur.* Insuper, quemadmodum servi agrarii laborant, arant & fodiunt, ut qui domi apud Dominum desident, de ipsorum laboribus comedant & sudoribus in quiete fruantur: ita sæculares laborant, anhelant, sudant, magnaque cura & solicitudine multa coacervant, & parta, & coacervata custodiunt, ut Religiosi ea in quiete ac tranquillitate comedant.

12. Idipsum quoque S. Gregorius mysticè designari putat in diversis Iacobi & Esau fratrum moribus, de quibus Scriptura ait: *Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis*, vel, (juxta aliam interpretationem) *habitabat domi.* Per Esau namque, venandi & agricolationis peritum, intelligi vult sæculares, rebus exterioribus occupatos & distractos; per Iacobum verò, virum simplicem, domique commorantem, spirituales & Religiosos, qui semper recollecti, & ad seipsos conversi incedunt, de rebus ad animæ salutem spectantibus assiduè tractantes, qui denique amicè; blandè & deliciosè à Deo habentur (sicut à Rebecca matre sua Iacob) repræsentari.

Lib. 5. Moral. c. 7.
Gen. 25. 27
Iacob & Esau figura sunt Religiosorum & mundanorum.

13. Consideremus ergo hinc, quàm singulari nos Deus beneficio sibi devinxerit, dum præ mundanis hominibus ita nos extulit, & tam peculiari modo prævenit; ut hi, nimirum, sint velut rustici & agrestes, nos ut aulici, & inte-

Quantum sit beneficium electio ad religionem.

interioris conclavis assistentes. Unde sicut olim Regina Saba, Salomonis Regis ministrorum ordinem ac dispositionem videns, exclamavit: *Beati viri tui, & beati servi tui qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam*, ita nos exclamare possumus; Beati & felices Religiosi, qui stant in domo Domini, atque assiduè cum eo conversantur, ejusque sapientia nunquam non coram gaudent.

3. Reg. 10.

Religiosi debitores sunt Dei ob vocationis beneficium.

14. Hinc simul inferre possumus, quanta sit illorum cæcitas, qui multum se fecisse existimãt, quòd, relicto mundo, Religiosum statum sint amplexi, Deumque propterea debitorem suum velle facere videntur, tanquam si multum in ejus gratiam fecissent, ipse verò plurimum eis deberet. Erras, & quidem gravissimè; tu potiùs incomparabile beneficium & gratiam es à Deo consecutus, quòd is te mundo eduxerit, in familiam domesticam cooptarit, & ad tam sublimem dignitatem evexerit: tu ejus manes debitor, ergo tu illi te gratum exhibere, & ob magnum hoc beneficium, novum illi obsequium præstare debes.

Simile.

15. Si quem procerum suorum ad curiam Rex evocaret, ad primariam dignitatem ei conferendam; is profectò non magnum quid fecisse se crederet, quòd patrios penates, & natale solum reliquisset; neu Regem idcirco quid sibi debere existimaret: imò singulare sibi conferri ab eo beneficium putaret, quòd sua is opera uti & ad tam honorificum munus obeundum se evocare dignaretur, & novum hunc favorem, ad cæterorum sibi à Rege hactenus præstitorum cumulum adderet, ad gratum se illi & obsequiosum de novo exhibendum. Sic porro & nos facere par est: neque enim nos Deum elegimus, sed ipse nos; qui immeritos, imò indignos, & demeritos potiùs singulari hoc beneficio affecit.

Vocatio religiosa gratuitum est Dei beneficium.

16. Ecquid in nobis potiùs, quàm in fratribus nostris, in sæculo manentibus, Domine, vidisti? Quid, obsecro, in nobis, adeò tibi placere poterit? Vidisti haud dubiè aliquid, cum nos elegeris; aliquid quod sibi placeret, vidisse Deus debuit, cùm nos elegerit. At dicet aliquis: Vide quid dicas; docent quippe Theologi, nullum à parte nostra prædestinationis causam & motivum dari. Hinc, pulchra similitudine respondet S. Augustinus. Finge tibi, ait, fabrum statuarium per montem transire, ibique truncum quendam ab arbore præcisum videre, eumque fixis oculis curiosè contemplari. Qui quod illi placeat, signum est, eum inde aliquid facere velle: neque enim suos is ideo in eum oculos coniecit, eoque delectatus est, ut rudem indolatumque, uti erat, relinquat. Siquidem jam tum sua in arte vidit, quod futurum de illo ligno erat: & ait, Huìsquàm insignis de informi hoc ligno aliquando imago sculpetur! hoc scilicet est, quod adamavit, hoc illo in trunco placuit: non quod tum erat, ut qui non nisi asper, scabrosus & turpis truncus erat; sed pulchra & perfecta imago, quàm inde erat efformaturus. *Sic nos & Deus amavit* impios & *peccatores*: non in quantum peccatores, nõ, ut ligna arida, informia

Tract. 8. super epi. 1. Ioan.

& infructuosa (uti eramus) maneremus: *sed quasi lignum de silva*, & de monte præcisum *vidit nos faber* ille summus, *& cogitavit ædificium quod inde facturus erat*: Hoc in te illi placuit & oblectavit: non quod tunc eras (quia aliud non eras quàm aridum, impolitum, & contemptibile lignum) sed quod de te facturus erat. Supremus ille artifex, qui cœlum & terram molitus est, perfectam & consummatam quandam imaginem ex hoc trunco coaptare volebat. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui.* Volebat nimirum, ex te imaginem sculpere, quæ unigenito filio suo planè conformis, & per omnia consimilis esset, imaginem inquam, quæ Deum ipsum repræsentaret. Hoc illi placuit, ea propter oculos in te conjecit, ac te elegit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Vide, quàm perfectam de te Deus Opt. Max. imaginem, quamque unigenito suo consimilem, efformare voluerit; cùm te ad idem munus, ad quòd obeundum filius ejus in mundum venit, elegerit, ad animas inquam Deo lucri faciendas.

Rom. 8. 29.

Joa. 15. 16

17. Alium idem Doctor, de hac ipsa materia conceptum, eumque peregregium habet, scribens in prima Psalmi centesimi trigesimi sexti verba: *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Ait ergo, flumina Babylonis vocari res mundi hujus, utpote fragiles, caducas & perituras, quæ celeriter & in momento pertranseunt: magnam tamen esse inter Babylonis & Ierusalem cives differentiam: quòd illi in fluminis Babylonici medio versentur, rebus mundi hujus immersi, tempestatibus obnoxii, & periculis variis innatantes: at, qui Ierusalem illius cœlestis cives esse gestiunt, cùm fluminis illius Babylonici pericula, ventos, tempestates, procellas, undas, fluxus & refluxus alternantes considerant; quantociùs inde se subducunt, neque in id genus pericula se volunt coniicere, sed super flumina, quemadmodum filii Israel, consident: *Vident hæc, & non se mittunt in flumina Babylonis; sed sedent super flumina Babylonis, & flent super flumina Babylonis.* Hi sunt Religiosi, qui mundi periculis se subduxerunt, & super flumina illius sedent; sed plorantes & lacrymantes.

Psal. 136.

Quid sit in Religiosis, sedere super flumina Babylonis.

18. Quid autem ploramus & lacrymamur? *Primò*, inquit Augustinus, plangimus exilium hoc nostrum, & *dum recordamur tui Sion.* Videntes quippe assiduas fluminis hujus Babylonici procellas & tempestates, ac cœlestis illius Sion (quæ carissima nostra patria est) recordantes; non possumus non lacrymari, & gemitibus irremediabilibus suspirare. *O sancta Sion*, ubi nulla vicissitudo, mutatio nulla, nulla pericula: *ubi totum stat* semper firmum & stabile, *& nihil fluit! quis nos in ista præcipitavit* præcipitia? quàm procul à patria nostra distamus & exulamus? *quare dimisimus conditorem & societatem nostram?* quando tandem nos ab his periculis immunes videbimus? quando ab hoc exilio revocabimur? quando securi in portu erimus? quando nos in patria nostra videbimus?

1. Causa gemendi & plorandi.

19. *Secundò* flemus illos, inquit, qui abri-

Causa 2.

gemendi & plorandi.

abripiuntur ab hoc flumine. Fratres enim nostri in fluminis hujus Babylonici, & in maris hujus procellosi (mundi, inquam) medio agunt; præceps aquarum impetus eos abripit, fluctibus honorum hinc inde jactantur, tempestates denique scopulis & rupibus miseros illidunt; nec antè cessant, quàm eos in profundum & abyssum demergant. Quotidie enim aliquot eorum millia submergi & perire videmus. Quàm densa enim nivis vellera & flocci cœlo decidunt, tam frequentes animas in abyssum infernalem descendere, se in spiritu vidisse, quidam vir sanctus ait. Quis ergo tot animarum interitum siccis oculis videat? cujus viscera adeò dura & inflexibilia, ut præ compassionis sensu non disrumpatur, ubi tot animas perire cernit?

In revelat. S. Birgit. & refert Blosius c. 1. Monit. spirit.

20. *Tertiò*, ideo in fluminis hujus Babylonici ripa sedemus, ut fratres nostros pereuntes juvemus, manum auxiliarem periclitantibus porrigamus, opem qua possumus afferamus; dispicientes, num quem eorum, qui jam merguntur, educere & salvare possimus. Hæ nostræ sunt partes, hoc munus proprium. *Venite post me, & faciam vos piscatores hominum.* Ad hunc, nempe, finem nos vocavit Deus, ut hominum piscatores simus: idcirco nos in hac Societatis ripa constituit, ut si fieri potest, animas intereuntes adjuvemus, & inde usque manum porrigamus iis qui jam jam mergendi sunt. Perpendamus itaque nobiscum, hinc quidem singularem illam Dei in nos gratiam, quòd tam amicè præ mundanis hominibus nos habuerit, & velut privilegio & prærogativa quadam donarit; quòd in, quam illi in arena digladientur, nos in orchestra securi consistamus: illi in præcipiti fluminis hujus Babylonici vortice navigent, singulis momentis mergendi & perituri; nos verò Deus in summa ripa collocarit, quò eis opitulemur, & manum auxiliatricem, ut emergant, extendamus.

3 Causa Denso agmine itur ad inferos.

Finis viri Apostolici vindicare à naufragio animas

21. Illinc verò oculis ad nos ipsos conversis, consideremus, illos, qui aliis in fluminis illius voragine pereuntibus, & fundum petentibus, manum dare debent, ut eos discrimini subducant, natandi esse debere peritissimos: sin minùs, etiam ipsos mergendos & interituros: nam sæpe fit, ut ex mortis instantis apprehensione, periens adjuvantem arctè constringendo suo periculo involvat, & sic ambo ad fundum descendant. Magnam ergo antè in animabus lucrandis dexteritatem, magnam item virtutem & perfectionem habeat oportet is, qui alios periculo educere studet, ac videat nullum ut sibi periculum creet.

Cautela opus, ne cũ pereuntib. pereat operator Euãgelicus.

22. S. Anselmus vidit aliquando in extasi raptus, latissimum fluvium, eumque mirè præcipitem & rapidum, in quem omnes immunditiæ, sordes, & totius orbis terrarum cloacæ velut in commune colluvium confluebant: nihil ut aquis ejus in mundo fœdius, tetrius, maleolentius & intolerabilius cogitari posset. Tanta verò hæ vi & impetu rapiebantur, ut violenter obvia quæque post se traherent, nihil eis posset obsistere, devolverentque tam viros quàm fœminas, divites æquè & inopes, in momento eos in profundum demer-

Mundus, immundus est torrens omnia secum devolvens. Habetur in operib. B. Ansel. Sur. 21. April. Tilm. Bredenbach col. 8. c. 54.

Causa

demergendo, mox tamen eos pari celeritate in altum evibrando; deinde elatos, iterum ad profunda raptando, nulla ut miseris quies indulgeretur. Novo hoc spectaculo perculsus Anselmus, & interrogans undenam illi viverent? (quia verè eos vivere videbat) audivit, illos iis, in quibus volvebantur, sordibus & cæno victitare, quin & pleno eas ore obbibere, nihilominus hoc in pædore quàm jucundissimè agere. Mox totius visionis hæc illi data est interpretatio; Torrentem in hunc esse & fluvius mundum, in quo homines cæci & insensati, suas inter divitias & honores, voluptates carnales & sordes, miserè volutantur. Tandem verò eorum miseriam esse ut, esto in id genus immunditiis nullam quietem inveniant, nihilominus mirè contenti sint, seque beatos ac felices existiment. Inde verò ipse est ad claustrum vel hortum quendam capacissimum latissimumque deductus, cujus parietes splendidissimo obducti argento, mirum in modum effulgebant. Illius in medio pratum & planities jacebat amplissima, in qua variæ enascebantur herbæ, eæque non vulgares & communes, sed ex auro purissimo; alioquin ita molles & flexiles, ut considentibus cederent, & cum iis se ad terram usque dimitterent: neque propter depressionem hanc conculcatæ, vel inflexæ manerent, sed exsurgentibus iis qui insederant, statim per se ipsæ ad priorem formam erigerentur. Aura verò loci jucunda admodum & amœna erat; denique quidquid ejus erat, tam erat blandum & vernans, ut quidam esse paradisus, nihilque ad plenam beatitudinem ei deesse videretur. Dictum verò sancto viro fuit, per hortum hunc statum Religiosum ad vivum repræsentari.

Caput VII.

Eadem quæ capite superiori, materia deducitur.

1. S. Bernardus ingentia & incredibilia, quæ in statu Religioso sunt, bona brevi hoc elogio pulchrè complexus est: *Nonne hæc est*, inquit, *Religio sancta, pura & immaculata: in qua homo vivit puriùs, cadit rariùs, surgit velociùs;* & hæc est etiam causa, *cur incedat cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fiducialiùs, purgatur citiùs* in purgatorio, *præmiatur* in cœlo *copiosiùs?* Et alio in loco, de Religiosorum eminentia & dignitate loquens: *Altissima est*, inquit, *professio vestra, cœlos transit, par Angelis est, angelicæ similis puritati: non enim solùm vovistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitas perfectionem, & omnis consummationis finem; aliorum est servire Deo, vestrum adhærere Deo*, eique inseparabiliter uniri. Et paulò inferiùs: *Quos quo nomine digniùs appellem, nescio: homines cœlestes, an Angelos terrestres, degentes in terris; sed conversationem habentes in cœlis?* Non *estis de mundo, sed estis cives sanctorum & domestici* Dei: similes, inquam, spiritibus illis beatis, in terram ad nostri custodiam & tutelam destinatis; utpote qui id genus functionibus ac ministeriis nostri causa ita occupantur, ut tamen Dei visione nunquam careant.

Sanctitas Religiosæ vita. *Homil. Simile est regnum cœlorum homini quærenti bonas margaritas.* Epist. ad fratres de monte Dei. Ioa. 15. 15. Eph. 2. 20

2. Talis

Religiosi, ut S. Pauli voluptas summa vivere Christo. Phil. 1. 21.

2. Talis profectò est vita Religiosi, qui etsi in terris inter mortales vivat, cor tamen in cœlum libratum habet, omnisque illius sermo & colloquium de rebus est spiritualibus ac de Deo, dicereque potest cum Apostolo Paulo. *Mihi vivere Christus est.* Sicut, dum quis in mundo venationi perditè & efflictim deditus est, eaque summopere delectatur, dicimus. Vita ejus est venari; dum quis ventri gulæve addictus, dicimus, Vita ejus est comedere & bibere: ita de se dicebat Apostolus, *Mihi vivere Christus est*: quod obsequio rebusque Christi totus dedicatus & consecratus esset, uti etiam est Religiosus. Atque ideo Seraphicus Doctor S. Bonaventura Religionem vocari dicit ordinem, *quòd in se nihil inordinatum patiatur.*

Sanctitas Religiosa vita. Homil. Simile est regnum cœlorum homini quærenti bonas margaritas. Epist. ad fratres de monte Dei.

In reg. S. Francisci. cap. 14.

3. Venustè porro de Religione exponit & capit S. Bernardus illa Canticorum verba, *Lectulus noster floridus.* Sicut, inquit, nullus in mundo locus est, in quo homines suaviùs requiescant, quàm in lecto; pari modo lectulus, in Ecclesia Dei, in quo suaviter requiescatur, est Religio; in ea namque est homo à curis sæculi, & rerum necessariarum sollicitudine planè liber. Quantum verò hoc ipso nobis Dominus beneficium & bonum præstiterit, quotidiana experientia discimus.

Ser. 46. in Cant. Cant. 1. 15. Religio mollis lectulus est.

Ioa. 15. 15. Eph. 2. 20

Providentia Superiorum diligens in tota Societate Iesu

4. In Societate enim præpositi singulari & paterna quadam cura advigilant, ut nobis de omni eo quod ad victum, ad vestitum, ad studia, ad iter, vel in morbo, vel bona valetudine necessarium est, sufficienter prospiciatur. Ut necesse nos minimè sit ad parentes & notos recurrere; sed iis facilè possimus carere, atque eorum etiam penitus oblivisci, nisi fortè ad eos per preces Deo commendandos. Nam, sive eos habeamus, sive non, sive divites sint, sive inopes; Societas & Superiores ejus, noster sunt pater & mater, & amore plusquam paterno de omni re nobis providere allaborant; ut nos, omnium temporalium rerum obliti prorsus & immemores, ei duntaxat fini, ob quem ad Religionem venimus (scilicet ut præter proprium in spiritu profectum, etiam proximo studeamus subvenire) attendamus. Propterea & hominem in paradiso terrestri, omnium rerum creatarum possessione & dominio illi dato, à Deo collocatum ait Clemens Alexandrinus; ut, cùm ei nihil quod in terra desideraret, reliquum esset, omne suum ad cœlestia optanda desiderium traduceret: Hoc ergo Societatis propositũ & intentio est: idcirco apprimè ei curæ est, ut omnia, quæ opus habebimus, satis superque nobis suppeditentur, ut ab omni eo quod terrenum est, mente & solicitudine aversa, toto affectu & studio ad cœlestia, quærenda converteremur.

mater est benigna filiorum suorum.

Clem. Alex.

* * *

Caput VIII.

De votorum renovatione Societati Iesu usurpata, dequefructu qui ex ea spectatur.

Lib. 2. c. 4 Vitæ B. Ignatii.
Prima vota à Patribus primis Soc. Iesu nuncupata.

1. Cum primi Patres nostri Parisiis apud S.P.N. Ignatium convenissent, anno partæ salutis M.D.XXX.IV. ipso Assumptionis Deiparæ festo, simul omnes adierunt ædem quamdam ab eadem Angelorum Regina denominatam (cui vulgò nomen, *Mons Martyrum*, & quæ medio ab urbe milliari distat) ubi pariter, confessione peccatorum instituta, & sacrosancto Christi corpore percepto, voto se obligarunt; abdicandi à se ad certum (quem præstiterunt) diem omnia quæ possidebant, nihil penitus ex iis suum ad usum reservando, præterquam quod necessarium erat ad iter Venetum (Venetias enim cogitabant,) viaticum. Voverunt insuper, totos se proximi saluti & profectui impensuros, nec non navigare Ierosolymam; hac conditione præmissa, ut Venetiis commodam per annum integrum eò navigandi opportunitatem exspectarent; &, si hæc intra annum hunc offerretur, Ierosolymam ilico peterent, & illuc appulsi sedem in locis illis figere, perpetuamque ibi habitationem deligere procurarent: at, si vel intra annum illuc traiiciendi, vel locis sanctis jam visitatis, Ierosolymæ commorandi copia non daretur, Romam adirent, & Summi Pontificis, Iesu Christi in terra Vicarii, pedibus advoluti, illi se sisterent, paratos abire, quocumque terrarum ipsos vellet sua sanctitas, ad animarum procurationem opemque destinare. Atque hæc ipsa vota, animo proximo ac tertio, eo ipso Assumptionis virgineæ festo, eadem item in æde, iisdem quoque præmissis ritibus, solemniter revocarunt.

Origo moris renovandi.

2. Hæc renovationis votorum, quæ in Societate ante professionem solemnem & publicam in Ecclesia fieri solitam, aliquot annorum decursibus privatim in sacello domestico, vel valuis Ecclesiæ clausis fieri, & quasi præ exercitamentum majoris, præmitti solet, prima origo fuit & primordia.

5. p. Const. c. 4. §. 6.
Renovatio votorum utilissimũ est mediũ perfectionis.

3. Sanctus vero P. in quinta Constitutionum parte, de hac ipsa renovatione agens, sic loquitur, *Vota sua renovare non est obligatione nova se obstringere: sed eius qua obstricti sunt in* Domino, *recordari, atque eandem confirmare:* & quod antè jam factum est, ipsum cum voluptate quadam iterare & confirmare, in signum ac testimonium, quòd nos eius adeò non pœniteat vel pigeat, ut ob id etiam gaudeamus & in tantum lætemur, ut Deo immensas ob præstitum nobis singulare hoc beneficium (quòd scilicet nos in suos clientes suscepit, gratiamque nobis ad hanc obligationem faciendam facit) etiam gratias agamus; &, nisi eam jam dudum fecissemus, nosque Deo obtulissemus, ipsam modò faceremus, ac de novo nos ei offerremus; &, si mille mundi propter eum deserendi essent, eos omnes ejus causa desereremus; ac, si mille voluntates & corda haberemus illi danda, hæc omnia ei daremus: ac de novo offerremus.

4. Hec

Modus ejusdem, & meritum. 4. Hoc ergo modo, & hac cum exultatione & alacritate hæc votorum renovatio fieri debet; magnique ea valoris erit ac meritis. Nam sicut de peccato & malefacto complacentia, novum peccatum, novus reatus, nova Dei est offensa, ac novum meretur supplicium: ita ex adverso gaudium complacentiaque de bono, laudabilis est, ante divinæ majestatis oculos gratissima, & summè meritoria. Sicut enim bonum fuit, ipsum facere; ita etiam bonum est in illo sibi complacere.

Fructus ejus primus, restauratio devotionis. 4.p.Const.c.4. §.5. 5. Ut autem ad particularia magis descendamus, ob tres potissimùm causas renovationem hanc fieri S.N.P. ait. Primò, *ad devotionis augmentum*: hæc quippe renovatio non mediocrem in vovente causatur devotionem, uti reipsa experiuntur, qui benè se ad illam disponunt. Secundò, *ad excitandam qua Deo obstricti sunt, obligationis memoriam.* *2. Rememoratio obligationis.* Ut nempe hoc pacto ad id quod promisimus meliùs observandum animemur, quotidie in virtute & perfectione proficere conando. Tertiò, *ad majorem studentium in sua vocatione confirmationem.* *3. Robur contra tentationes.* Quia, sicut præsentissimum omnibus in tentationibus remedium est, contrariarum virtutum actus exercere (quòd contraria contrariis curantur) ita adversus interiores displicentiæ ac tædii motus, (quibus nos subinde dæmon per varias toto anno occurrentes occasiones oppugnat) non postremum munimentum & clypeus est iterata votorum innovatio. Per eam namque ita inimici tartarei potentia labefactatur, & vis frangitur, ut similem posthac nobis tentationem oggerere non præsumat; etsi qua fortè irrepserit negligentia, per hoc ea (& quidem cum fœnore) reparatur ac compensatur, quòd anima hoc pacto ad majorem profectum animetur, & in se magis convalescat.

6. Perfectio sanè & virtus, naturæ nostræ vitiatæ apprimè ardua & difficilis est; tanta quippe est infirmitas & miseria, in quam per peccatum prolapsi sumus, tanta quoque nostri ad id quod imperfectum & malum est, inclinatio, ut, quamvis subinde aliquo cum fervore & æstu exercitia nostra spiritualia incipiamus, tamen quamprimùm sensim deficiamus, ab eoque quo cœpimus ardore desciscamus, ad primævam nostram imperfectionem ac teporem redeuntes non secùs ac pondera horologii, semper deorsum devergentia. Nam, quoniam caro nostra è terra ortum habet, hinc semper nos ad ima trahit. Hanc ob rem nostras refici & restaurari subinde vires convenit, ut, si fortè deficiamus, statim nobis & pristino vigori restituamur. Quocirca bis per annum accuratiùs hanc à nobis S.P.N. restaurationem ac revigorationem, hac votorum innovatione fieri jussit. *Magna infirmitas hominis eget restauratione crebra virium.*

7. Atque ut sancta mater Ecclesia, in anno duo restaurationis spiritualis tempora instituit, in quibus filii ejus ad magno cum fervore, ac velut de novo, Deo Opt. Max. serviendum animarentur, sacrum, inquam, Adventus & Quadragesimæ tempus: pari modo nos, bis per annum, singulari quadam ratione memoriam ejus, quod Deo obtulimus ac vovimus, necnon finem ob *Ecclesia etiam prævidet in hac infirmitate suis filiis.*

quem ad Religionem vocati sumus, recolere S.P.N. voluit, ut iis in rebus velut renovemur, & novo quodam impetu & fervore id facere incipiamus, propter quod nos ad hunc statum Dominus vocavit. Hunc ad finem has tam solennes in Societate festivitates S.P.N. instituit. Atque hoc est quod ex eisdem nos elicere oportet.

Quotidiana votorũ renovatio laudabilis. Lib. 6. c. 13 & 15. Vitæ S.P. Xaverii.

7. Nec solùm duobus illis temporibus præstitutis, verùm etiam quotidiè, hanc à nobis innovationem institui debere aiebat S. Franciscus Xaverius; quod & Abbatem Paphnutium olim usurpasse solitum, in veterum Patrum Collationibus legimus.

Eiusdem fructus.

8. Dicebat porro P. Xaverius, nullum Religiosos posse contra tentationes & oppugnationes cacodæmonis ac carnis habere medium efficacius, nullum scutum fortius ac impenetrabilius, quàm trium votorum suorum, paupertatis, castitatis & obedientiæ, renovationem. Unde etiam auctor & suasor erat, ut ea quotidie manè peracta oratione renovaremus, hisque armis nos adversus hostiles insidias & insultus obarmaremus; idipsum & vesperi post orationem facere consuesceremus.

Saltem quoties communicas renovare vota mediocre est.

9. Si autem nimis frequens ea renovatio futura videatur; bona saltem ea futura devotio est (quam & usurpant nonnulli) ut, quoties divinissimum altaris Sacramentum sumendum est, isthanc renovationem instituamus, rationem à nobis deposcentes, serioque nos examinantes, quomodo hæc vota observemus, ac num quid in corum observantia sit commissum, ob quod nostra nos coarguat conscientia.

Apparatus ad eam 1. mortificatio. Congr. VI Gener. decret. 46. can. 8. *2 collectio, 3. ratio cõscientiæ apud superiorem.*

10. Ut verò melius propositum renovationis hujus finem consequamur, præter alias pœnitentias corporales, pro more fieri solitas (puta jejunia, abstinentias, flagella) ei præmittitur accurata sui per dies aliquot in quiete collectio, in qua & à solitis occupationibus quiescitur, & orationi & exercitiis spiritualibus impensiùs vacatur. Accedit, superiori ratio conscientiæ reddenda. Quia, etsi id sæpiùs per annum fiat, tunc tamen multo fit exactiùs, quia elapsi semestris ratio simul datur. Quod unum est de substantialibus & essentialibus Societatis institutis, ac de quo postea particularem tractatum faciemus. Denique generalis omnium delictorum, semestri illo elapso admissorum, confessio instituitur, idque apud eum confessarium, quem ad hoc designaris quisque delegerit: ita enim antiquus Societatis usus obtinet, & regula particulari præscriptum est.

Tract. 7. c. 10. *4. Confessio generalis.*

Generalis defectuum contuitus & confessio est valde salutaris, ex cumulo seu multitudine obiecti.

11. Quæ sanè valdè accommoda convenientiaque sunt media, ad finem qui hic spectatur, assequendum. Nam dum quis omnia quæ admisit, vitia & defectus accurate inspicit; facili negotio perspicit, quantum in spiritu aut profecerit, aut defecerit. Videt, inquam, num ultimo hoc semestri magis profecerit, quàm superiori: atque hæc temporis præsentis cum præterito collatio & compositio, insigne est ad sui confusionem concipiendam, si nimirum nihil se proficere animadvertit; & ad novo cum ardore & animo incipiendum (ad hoc quippe solùm Religioni

gioni nomen dedit) incitamentum. Quin etiam, dum quis omnes defectus suos simul uno fasce comprehensos, inquiete, & velut ex professo, contuetur, meliùs è frequentibus lapsibus perspicit, ecquæ passio se impotentiùs oppugnet, quis humor in se prædominetur, ut seriò & expresse illi adhiberet remedium procuret, particulare circa hoc examen instituendo.

Item ex collatione plurium, inter se tunc occurrentiũ.

12. Adhæc, quoniam illa considerantur, & notantur in isthoc votorum renovationis tempore (quo scil. homo misericordias ac beneficia à Deo recepta recolit, atque imprimis quòd se ad Religiosum statum evocarit) ipse, ex una parte videns tantùm Deo se debere, & ex altera nihil præter defectus in se animadvertens, ex animo ac profundè coram divina majestate se humiliat, atque ad seriam emendationem sui, & posthac de novo incipiendum animatur. Nam *opposita*, verbi gratia album & nigrum, *iuxta se posita magis elucescunt.*

Similis est acceptorũ, & expensorum calculationi.

13. Compone ergo & oppone multa illa quæ cœlitus accepisti nec non plurima quæ tibi Deus præstitit, cum iis quæ tu rependisti illi: vide, inquam, hinc quæ & qualia tua sint debita, illinc, qualiter ea dissolveris: & videbis, quantam tui confundendi & humiliandi rationem habeas. Quid è tam frequenti Sacramentorum usu, tot pœnitentiis & mortificationibus, tot orationibus, tot examinibus, tot conferentiis & exhortationibus, tam frequenti lectione spirituali profecisti? quonam omnia illa effluxerunt? quam inde utilitatem elicuisti? Hoc ergo modo suos quisque defectus considerare debet, quando ad rationem conscientiæ reddendam, & ad generalem confessionem instituendam se disponit, sedulò inspiciendo & examinando, quæ rima sit, per quam universum suum lucrum ac compendium effluxit & disperiit, ut ipsam deinceps obturare, & malo posthac remedium adferre satagat.

CAPUT IX.

Idem argumentum, pertractatur.

Renovatio est festum gratiarum actionis pro vocatione Cap. 6.

1. Sit præterea hæc, quam diximus, votorum renovatio in gratiarum pro beneficio accepto actionem, sicut suprà Abbatem Arsenium facere soli tum diximus. Quotannis enim magna gratitudine festum solenne, quinimò quandam velut festivitatem celebramus, in gratiarum actionem, & in beneficii hujus immensi gratiæque singularis, quam nobis Dominus fecit tum, cùm nos mundi periculis ereptos, ad Religionis portum conduxit (quod totius nostri boni principium & manifestum prædestinationis nostræ argumentum est) recordationem ac memoriam.

Uti festum dedicationis.

2. Atque ut diem dedicationis templi materialis quotannis grata memoria Ecclesia recoli jubet, idque festum inter maxima cujusque Ecclesiæ reputatur; ita nos dedicationis animæ nostræ, quâ vivum Dei templum esse incepimus per primam votorum nostrorum emissionem, solennissimam memo-

memoriam ac festivitatem celebrare æquissimum est. Atque ita semper Societas & fecit & æstimavit: quod & ornamentis altarium, apud quæ renovatio illa celebratur, ostendit & reliquo apparatu.

Realis gratiarum actio est optima, quæ fit renovando datum. p. 2. tract. 7. c. 6. tract. 8. c. 6.

3. Et quia gratiarum actio optimè per opera fit renovatio votorum singulari quoddam Deoque gratissimum opus erit, si fiat prout oportet, si, videlicet pristinum vigorem mentis restaurare, in votis nostris magis confirmari, majorique ea in posterum perfectione servare procuremus.

Incitamenta ad renovationem dictam. Eccl. 4. 23

4. Atque à nobis hoc requirit Apostolus (uti notat S. Gregorius) cum ait: *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Spiritus scilicet à nobis renovationem petit, non solùm exteriorem, quæ ore fit. Si qua imaginem habes præ vetustate prorsus deformatam, ut ejus lineamenta, tractus & figuræ penè jam fugiant, & videri dignoscivè propè non queant; eam renovas ac reparas, id est novos illi colores, lumina & illustramenta addis, quorum cohonestamento ita grata & pulchra fit, tanquam si recenter & primùm ab artificis officina prodiret. Pari modo, quia in cœpto virtutum studio nos paulatim velut inveterascimus, defatigamur & marcescimus: quia corpus hoc corruptibile, ac natura vitiata, & ad malum prona, vi quadam nos post se rapit, ac sibi similes efficere gestit, utque suas affectiones malas & appetitus imitemur, omnimodis procurat. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam:* Hinc necesse nos est, subinde ad nos ipsos reflexionem facere, bonaque proposita & desideria identidem renovare conari. Quare præclarè S. Gregorius: *Si lassescere ab inchoatis bonis nolumus, valde necessarium est ut inchoare nos quotidie credamus.* Illud ergo propositum, fervorem & ardorem in mentem revoca, quo opus hoc es auspicatus, eo die quo primùm Religionem iniisti; & eodem animo, eadem constantia & robore ipsum jam inchoa. Hoc propriè est, nos ipsos renovare. Atque hæc erit optima ob acceptum beneficium gratiarum actio, Deoque acceptissima.

Sap. 9. 15. Eius necessitas.

Vbi suprà.

Lib. 4 de institut. renunc. c. 36. Salubris monitio Pinusij, de renovatione explicatur.

5. Brevem & compendiosam exhortationem describit Cassianus Abbatis Pinusij, qua ad Novitium quendam, quem primùm ad suorum cœtum admittebat, cæteris monachis præsentibus & audientibus habuit: hanc si quisque nostrum sibi dictam existimet, erit illi ad finem renovationis hujus consequendum, inprimis opportuna & utilis. Est autem hæc: *Cave ne quid aliquando eorum resumas, quæ renuncians abjecisti.* Id est, *jam totum te Deo tradidisti ac dedicasti, jam quidquid mundi est, à te abdicasti, vide ne quid eorum quæ evomuisti, turpiter repetas. Renuntiasti possessionibus omnibus per votum paupertatis; cave ergo ne iam in Religione erga pueriles inanias ac reculas afficiare: quia parum tibi profuerit deseruisse grandia, si parvis & tenuibus his affectum accommodes. Per votum obedientiæ voluntati ac proprio judicio renuntiasti; vide ergo ne ipsum resumas, sed potiùs dic cum Sponsa in Canticis: Exspoliavi me tunica* (id est propria voluntate ac judicio) *mea, quomodo induar illa? avertat Deus, ne ampliùs sim meus. Renuntiasti quoque & repudiasti omnes mundi carnisque*

Cant. 5. 3.

que delectationes, voluptates ac delicias; itaque da operam, ne denuo iis inescaris. Reliquisti denique inanem mundi vanitatem, superbiam, atque omnem hominum fatuam æstimationem: vide ergo ne illa in te reviviscere ac suppullulare incipias tum, cùm te iam cernes esse veteranum, ad sacerdotalem dignitatem evectum, scientia & literis conspicuum, magistrali quoque laurea donatum, & diligenter advigila, ne readificare incipias, quod iam antè destruxeras & demolitus eras, ut loquitur Apostolus. (*Hoc quippe esset prævaricari, retrocedere & respicere, manu iam ad aratrum missa*) *sed ad finem usque in paupertate & denudatione, quam Deo obtulisti & promisisti; & in ea humilitate & patientia, qua tot diebus expectasti, multis cum lachrymis, in nostrum cœtum admitti petens persevera.*

Gal. 2.18.

6. His alia quædam adjungunt, S. Basilius, Bernardus, Bonaventura: *Considera,* inquiunt, *quòd iam non es tuus; sed quidquid es & habes,* Dei *est. Nam per vota, quæ ei nuncupasti, iam te totum maiestati eius consecrasti & tradidisti; quocirca caveas, ne repetere & reusurpare velis, quòd iam antè dedisti & obtulisti. Contrectatio rei alienæ, invito domino furtum est.*

In regul. fusior. 19. & ser. de abdic. rer. Serm. 19. in Cant. De informa novit. p.1.c.2.

7. An non suprà diximus, eum qui Religionem profitetur, arborem Deo dare unà cum fructibus? Jam, quemadmodum si quis alteri arborem, ad eam in suo horto transplantandam, dedisset, at fructum eius sibi postea vellet decerpere, furtum committeret: ita furtum committit Religiosus ille qui suam, non Superioris, voluntatem facit. Quin imò, sacrilegium id fore censetur, quia circa rem Deo dicatam & oblatam versatur: itaque furtum sacrilegium foret, quod Deo inprimis abominabile est, uti per Isaiam ipse testatur: *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.* Quis verò ex holocausto, quod totum Dei est, ejusque majestati jam dedicatum & immolatum, quod furto tollere & decerpere audeat? Quare appositè S. Bernardus, *Nullum sacrilegii crimen reperitur deterius, quam in voluntate semel oblata Deo, reaccipere potestatem.*

Sacrilegiũ est, semel Deo oblatum, repetere.

Cap. 3.

Isa 61.8.

Epist. 353.

8. Hunc item in sensum & propositum declarat S. Augustinus illud Geneseos: *Tulit Deus hominem, & posuit in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* Videamus, inquit, quid per hoc significare Spiritus sanctus voluerit. Voluisse Deum, putas, ut Adam ibidem agricolam ageret, terramque paradisi foderet, coleret ac laboraret? Verisimile sanè non est, ait, eum antè, quàm peccaret, à Deo ad huiusmodi laborem coactum & condemnatum fuisse. Et quamquam aliquod exercitium, per modum recreationis & delectationis (quale etiam modò suis in hortis non pauci capere solent) statui illi innocentiæ minimè adversabatur: attamen ut is per viam coactionis & necessitatis illud usurparet, nec statui illi conveniebat, nec etiam necesse erat: terra etjam non laborata, nec culta, omnigenum fructum fundente. Adhæc. Quid ergo sibi vult, quòd Deus hominem in paradiso posuerit, ad eum custodiendum? Contra cujus vim & insultus cum custodiret, cum nulli tunc essent inimici, nullæ nationes adversariæ, à quibus timor aliquis impenderet? Nullum quoque à bestiis & animalibus

Quid sibi vult custodia paradisi mandata Adamo.

Lib. 8. sup. Gen.

Gen. 2.15.

noxiis periculum imminebat; quia ante prævaricationem protoplasti nullum hæc homini, rebusque hominis maleficium inferebant. Et sanè si quis ab illis metus impendisset, solus homo tam vastum locum, (uti paradisus erat) contra tot animalia custodire non potuisset: opus enim fuisset, tam eminens septum & maceriam in circuitu facere, ut serpens illud transcendere proserpendo non potuisset; & antè, quàm ipsum faceret, omnia serpentia, atque adeò reliqua paradisi animalia, eodem necesse fuisset excludi. Non ergo Deus hominem in paradiso posuit, ut corporaliter eum custodiret, foderet & araret. Quid sibi ergo vult illud: *Posuit Deus hominem in paradiso, ut operaretur & custodiret illum?* Ut operaretur, inquit Augustinus, præcepta & mandata, quæ ei hic ipse Deus injunxerat, eaque operando, sibi paradisum custodiret, ne scilicet eum amitteret, uti postea, quia illa operatus non est, eum amisit.

Custodia Paradisi est tropologicè custodia sui status.

9. Hoc jam proposito nostro accommodemus. Ad quid te à Deo putas in hoc Religionis paradiso (ita enim eam sancti Patres non sine ratione nominant) constitutum? Ut opereris illum, Deique mandata & præcepta, necnon Evangelica consilia, quæ Regulis nostris includuntur, custodias: utque hæc omnia operando, paradisum hunc tibi serves & custodias, neq; eum perdas, uti alii, quia custodire nescierunt, perdidere.

Alia tropologia, nempe custodia sui ipsius.

10. Quin & aliam adfert eo loco idem Doctor horum verborum explicationem. Observat ergo curiosè, non dixisse Scripturam, *Posuit eum in paradiso ut operaretur & custodiret paradisum;* sed, *ut operaretur & custodiret illum.* quod hoc sensu etiam ad ipsum hominem referri potest, *Ut operaretur & custodiret* (Deus) *illum, scil. hominem.* Qui sensus etiam magis Doctori nostro arridet. Nam sicuti dicitur homo *operari terram,* non quia facit ut terra sit terra; sed quia facit ut fœcunda sit & fructuosa, dum eam laborat & colit: ita multo potiùs Deus (qui de nihilo hominem condidit) eum operari dicetur, dum eum justum, sanctum & perfectum facit. Deus ergo ideò hominem in paradiso terrestri posuit, ut eum ibi operaretur & perficeret, itaque custodiret; donec tandem è terrestri eum in cœlestem transferret paradisum, sempiterna eum beatitudine donando. Simili ratione, non est quod te idcirco ad paradisum hunc Religionis à Deo perductum esse existimes, ut eum ipse labores & custodias, (quia meliorem longè is hortulanum, custodem & propugnatorem habet) sed ut ipse te operetur, mortificatum, spiritualem, sanctum, perfectumque te faciat, ut te custodiat, donec à paradiso hoc terrestri ad cœlestem te transferat.

Consideratio præmii ad laborem stimulet.

11. Has aliasque id genus rationes & considerationes usurpemus necesse est, ut tam incomparabili beneficio respondeamus, & debitum renovationis hujus fructum consequamur. Si quis verò te labor, molestia & difficultas in hoc percellat, mox ad animum revoca ingens præmium & coronam, quæ propter hoc te manet, quæque ut loquitur Apostolus, *magnam habet remunerationem.* Heb.10.35

12. B. Fran-

Exemplũ. 1.p. L.1.15. hist. Minor.

12. B. Franciscus identidem suis dicere solebat, *Magna promisimus maiora promissa sunt nobis; servemus illa, & adhuc anhelando suspiremus*: atque his verbis, veluti stimulo quodam, eos ad constantiam & perseverantiam in bene cœptis animabat.

Minorum digna notari professio.

12. Hinc dum Fratres Minores professionem faciunt, seque per hæc vota Deo offerunt, ait & spondet superior, *Et ego promitto tibi vitam æternam*. Et ego quoque ex parte Dei omnipotentis vitam æternam tibi polliceor, si, quod promisisti & spopondisti, custodias: ac ne dubites, eum chirographum ab ipsomet Christo obsignatum ratum velle habere; ut qui in Evangelio dici, *Et habebis thesaurum* (id est, magnus & gloriosus eris) *in regno cœlorum.*



TRACTATUS TERTIUS, DE VOTO PAUPERTATIS.

CAPUT PRIMUM.

Votum paupertatis, Evangelicæ perfectionis est fundamentum.

Matth. 5. 3. Qui sint pauperes spiritu.

1.  BEATI *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ab his verbis egregium illum sermonem in monte, nec non octo illas beatitudines, Redemptor noster Christus est exorsus. Tametsi verò nonnulli Doctores & Patres *de humilitate* verba illa exponunt: alii tamen, nec sine fundamento, *de voluntaria paupertate*, ac præsertim de illa, quam Religiosi profitemur, eadem intelligunt: & hoc in sensu, qui etiam S. Basilii & aliorum non paucorum Patrum est, ea nos accipiemus. In regul. brevior. interrog. 205.

Elogia voluntariæ paupertatis, ex sermone Domini &c.

2. Et sanè, non exigua hujus paupertatis spiritus laus & commendatio est, quòd ab ea Salvator Iesus illustrem illum sermonem sit auspicatus, eamque ut omnium beatitudinum primam & prin-

exemplo nativit. eius. & principem statuerit. Attamen major laus est, quòd hanc ipse toto vitæ tempore & opere & exemplo nos edocuerit. Hæc quippe prima fuit lectio, quam, dum nasceretur, magnus ille magister de cathedra præsepii nobis prælegit. Hanc siquidem nos docet illud stabulum, hanc panniculi illi viles, hanc quòd fœno & animalium halitu opus habuerit, ut tegeretur & calefieret.

Maxime extremo Crucis. 3. Hæc item postrema ejus lectio fuit; quam ut profundiùs mentibus nostris imprimeret, magisque nobis commendaret, è cathedra crucis prælegit, utpote in qua mortuus est totus nudus, & tanta in paupertate; ut etiam, quò jam defunctus sepeliri posset, sindonem cui involveretur, collatitia necesse fuerit pecunia coemere, & sepulchri locum accipere commodatum. Et quænam major hac dari paupertas posset?

Imo per omne vitæ tempus. 4. Quale autem vitæ principium & finis fuit, talis fuit & reliqua illius series: quia ne denarium quidem habuit, ad tributum quod petebatur, solvendum; uti nec domum, in quam post susceptos labores se reciperet, & ubi Pascha cum discipulis suis manducaret: quia omnia ei commodato dari debebant. Unde etiam de se ipse ait; *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Mat. 8. 20 Luc. 9. 58.

Ratio huius est, quod paupertas sit necessarium Ecclesiæ fundamentum Matt. 19. 21 5. Causa hujus tam sedulo cultæ paupertatis fuit, quod mundi redemptor in perfectionis Evangelicæ fundamentum paupertatem ponere volebat (*Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus;*) hinc eam & voce & exemplo ipse suo ita confirmare, asserere & constabilire voluit: sciens, ut bonus architectus, quod quanto altius superædificandum esset Ecclesiæ Catholicæ miraculum, tanto profundius oportere fodere & ponere fundamentum, & idcirco etiam videre est, quod isthoc paupertatis fundamentum Ecclesiæ Christianæ jam inde ab ejus exordio, in usum & consuetudinem cœpit induci: sicut in Actis Apostolorum legimus; neque enim inter fideles tunc locum habebant, Meum aut Tuum; sed omnia illis erant in communi. Qui enim domos, hæreditates, aut alias quaslibet possessiones habebant, eas divendebant, & redactum inde pretium ante Apostolorum pedes ponebant, atque ex eo dein unicuique prout opus habebat, viritim dividebatur. Act. 4. 32. Notat hoc loco solerter Hieronymus, ideo fideles pretium ante pedes Apostolorum ponere solitos, *ut ostenderent pecunias esse calcandas*, contemnendas, & sub pedibus proterendas. Quin imò SS. Cyprianus, Basilius, idem Hieronymus & alii docent, fideles tunc passim paupertatis votum facere consuevisse. Idque probant & colligunt è castigatione illa Ananiæ & Sapphiræ; qui quia pretii ex hæreditate sua redacti partem absconderunt, subitanea morte mendacium suum luerunt. E quo colligere est, voti reos ipsos fuisse: nisi enim votum violassent, tam gravi supplicio digni non videbantur. Epist. ad Demetriad. Cyprian. lib. 3. ad Quirinum. Basil. ser. de instit. monach. Epist. ad Paulin. de instit. monach. & in epist. ad Demetriad.

Paupertas etiam 6. Hanc itaque divinam doctrinam secuta tum Ecclesia, tum sancti Patres,

ius que Religionis fundamentum est, uti Structuræ sæcularis fundamentum est opulentia.

Patres, atque adeò omnes Religiosorum Ordinum fundatores, votum paupertatis, ut necessarium & firmissimum Religionis fundamentum ponunt. Quorum vestigiis insistens S. P. N. de paupertate agere incipiens, sic loquitur: *Paupertas ut murus Religionis firmus, diligenda, & in sua puritate conservanda est, quantum divina gratia aspirante fieri poterit.* Paupertas ergò, Religionis murus est ac fundamentum: planè aliter atque in mundo æstimari solet, in quo majoratuum & statuum fundamentum habetur opulentia & divitiæ: Contrà verò status Religiosi, necnon altissimæ perfectionis, fundamentum est paupertas. Quia, ut ædificium quod exstruere debemus, discrepat ab ædificiis hujus mundi, ita & fundamentum ejus plane est diversum. Atque, uti civitas quam construit mundus, est contraria civitati Dei; sic & mores utriusque contrariantur.

4. p. Const. c. 4. §. 1.

Parabola S. Script. de hoc fundamento. Luc. 14. 28.

7. Hoc scil. nos Dominus per parabolas illas Evangelicas docere voluit, dicens: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum, ne, posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes incipiant illudere ei, dicentes, Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, non priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.* E quibus comparationibus concludit & infert: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Significat ergò, sicut ad bellum gerendum numerosus exercitus, ad ædificandum magna pecuniæ vis requiritur; ita, ad ædificium & militiam spiritualem suæ Ecclesiæ ante omnia paupertatem, & omnium rerum mundanarum despoliationem desiderari.

Turris Evangelica, perfectio est vitæ Christianæ.

8. Quare locum hunc declarans Augustinus, per turris hujus Evangelicæ constructionem, vitæ Christianæ perfectionem ait designari; sumptus verò & pecunias ad ædificationem ejus requisitas, esse, ut quis rebus omnibus terrenis renuntiet: hoc enim si fecerit, liberior magisque expeditus est, ad Deo serviendum, & à dæmonis, hostis sui, insidiis & insultu securior, eò quòd minus habeat eorum, per quæ oppugnari & impeti valeat.

Eusebius de morte. Hieron. Gregor. hom. 32. *Alia Parabola de eodem.*

9. SS. Hieronymus & Gregorius; hoc ipsum tractantes, ideo nos in mundum venisse ajunt, ut cum dæmone decertemus: qui cum prorsus nudus sit, nec quidquam de hoc mundo possideat necesse est ut & ipsi ab omnibus mundi rebus denudemur, ut cum ipso confligere possimus. *Nam qui oneratus vestibus cum nudo luctatur, citiùs ad terram deiicitur;* *quia habet, unde teneatur*, & ab adversario affligatur solo. *Vis firmiter* & viriliter *cum diabolo dimicare? Vestimenta proiice,* ab omni re terrena te dispolia, ne à dæmone aliquid inveniente quod apprehendat, prostratus *succumbas. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quadam corporis indumenta? qui plus possidet, citiùs vincitur;* quia plura habet, quibus dæmon comprehensus ipsum ad terram deiiciat.

Super illud Act. 2 Et appositæ sunt in die illo.

Alia ratio cur paupertas sit fundamentum sanctorum morum in Ecclesia necessarium.

10. Rogat Chrysostomus, quid in causa sit, cur in primitiva Ecclesia tanta primorum Christianorum esset pietas & fervor caritatis: modernorum autem tantus tepor & remissio? Caussam esse dicit, quòd tunc cum diabolo pugnaturi, nudi in arenam descenderent, ab omnibus se rebus, bonis & facultatibus, ex quarum appetentia pleræque lites & dissensiones oriuntur, denudando: modò autem prodeunt concupiscentia beneficiorum possessionum & honorum intricati; hæc autem indumenta magno illis impedimento sunt & obstaculo in studio & cursu caritatis. Hanc ergo ob causam divitiis renuntiemus, & omnia quæ mundi sunt, à nobis abdicemus, ut liberi, expediti, deonustique meliùs cum dæmone decertare, & Christum sequi possimus. *Nudus athleta securiùs dimicat, notator exuitur ut fluvium transeat, viator reiectis sarcinulis benè cursitat.*

Cur in formula votorum primo loco nuncupetur paupertas communiter.

1. Tim. 6, 10.

11. Quapropter primum, quod in Religione concepimus, votum est paupertatis, quoniam omnium hæc aliorum est fundamentum. Sicut enim Apostolus radicem omnium malorum esse ait cupiditatem, ita omnium bonorum spiritualium virtutumque radix & fundamentum est paupertas. Unde S. Ambrosius. *Vt rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum* (quia cui pecunia suppetit, is modos viasque invenit, ut quæcumque vitia & peccata mente concepit, opere ipso exequatur) *sic harum abnegatio propter Christum, generatrix est nutrixque omnium virtutum.* Sicut videre erit, si per harum singulas discurramus. De humilitate quidem sic

Li. 21. c. 12 Mor. & li. 26. c. 24.

ait S. Gregorius: *Paupertas bonis mentibus solet esse custodia conservatioque humilitatis.* Castitatis autem conservandæ quàm efficax medium sit paupertas, & cùm in victu, tum vestitu austeritas, in aperto est, ac nemini non notissimum. Idipsum & de abstinentia, temperantia ac virtutibus reliquis dicere possemus.

Mater virtutum est PP. S. Ignatio. p. 3. Cõst. c. 1. §. 25. & reg. 24. Summar.

12. Hinc non immeritò sancti Patres paupertatem virtutum cunctarum, modo quidem *custodem & magistram*, modò *matrem* vocant; ac nominatim hoc nomine eam suis in Constitutionibus donavit S. P. Noster; *Diligant*, inquit, *omnes paupertatem & matrem.* Ipsa namque, ceu bona & vera mater, cæteras virtutes in animabus progignit, nutrit, conservat: ipsa quoque est, quæ disciplinam Religiosam sartam tectamque conservat.

Huius neglectu corruerunt ordines.

13. Hinc etiam videmus, ordines, qui à primæva paupertate desciverunt, à Religionis etiam integritate defecisse, & esse ceu filios matri dissimiles ac degeneres. Alii contra qui sanctam hanc paupertatem, velut matrem carissimam, non quomodocunque vel qualicumque & vulgari quodam amore, sed intenso, tenero, reverentiali & appretiativo prosecuti sunt, ordinis sui splendorem mirificè & longissimis temporibus conservarunt. Inter quos revera eximiùs fuit Seraphicus ille vir S. Franciscus, qui paupertatem, *dominam suam*, appellare solebat; itaque in Regula Monialium S. Claræ sic loquitur. *Obligamur ad dominam nostram sanctißimam paupertatem.* Quoniam paupertatis amore & cultu homo ad dominium

Bonavent. in vita S. Franc. c. 7. Domina paupertas.

minium quoddam omnium rerum & subjectionem sub pedibus suis extollitur.

Caput II.

De incomparabili præmio, quo pauperes spiritu à Deo donantur.

Mat.19.21 1. ADolescentia ille Evangelicus, ad perfectionem adspirans, utpote cui exacta mandatorum legis observatio satis non erat; postquam à Christo audiit, ut, si perfectus esse vellet, venderet universa quæ possidebat, eaque in pauperes elargiretur; contristatus inde abiit, quòd amplas facultates haberet, & perditè erga easdem afficeretur, proptereaque animus illi ac robur ad easdem deserendas deesset, defecit ei, videlicet sumptus, ad illam perfectionis Evangelicæ turrim ædificandam necessarius.

Ardua esse carni paupertas Evangelica.

2. Ne itaque & nobis idipsum contingat, sed animus & vires, ad omnia quæ in mundo sunt deserenda suppetant; Salvator noster ingens præmium, quod propterea consecuturi sumus, nobis ob oculos ponit; *Beati*, dicens, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Vide obsecro, num æqualis & æquivalens futura sit commutatio, si omnia quæ in terra sunt, pro regni cœlestis comparatione tradantur: &, num prudens futurus sit mercator, qui universa sua abdicabit & impendet, ad thesaurum hunc comparandum.

Contra hanc animatur homo magni præmii promissione.

Matth.5.3

3. Observat solerter S. Bernardus, Christum de hac beatitudine non esse locutum, in futuro, uti de aliis, *ipsorum erit*: sed in præsenti, *ipsorum est regnum cœlorum*. Iam tum ergo regnum cœlorum tuum est, esto id nondum tibi traditum sit: quia jam ipsum mundi rebus, quas deseruisti, comparasti, & *jus ad rem*, uti loquuntur I.C. acquisivisti. Quemadmodum, si centum aureos pro vase aliquo aureo, vel gemma pretiosa, quæ venditor adhuc domi suæ habeat, persolvas; illa jam tum reipsa tua sunt, esto nondum tibi tradita, quod ære tuo tibi coemeris. Pari modo, regnum cœlorum jam tum ad pauperem spiritu spectat; quoniam ipse id omni eo, quod possidebat, emit: declaravit hoc jus quæsitum Dominus noster, dicens: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa autem una pretiosa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.* Itaque sicut ille margaritam fecit suam, auro suo pro ea dato: ita tu regnum cœlorum fecisti tuum, quia omnibus, quæ habebas, illud comparasti.

Ber.4. de Adventu.

Regnum cœlorũ est & nunc, & erit, pauperum spiritu.

Matt.13. 45.

4. An non hic promissa Christi stant; longè enim plura pauperibus spiritu promisit, quam in futuro regnum Dei. An ergo regno cœlorum majus aut dignius quid haberi potest: potest. In cœlo namque quædam sunt præeminentiæ: sicut etiam in terra, diversæ sunt generosorum militum laureæ & præmia. Magnam ergo Dominus pauperibus spiritu præeminentiam & prærogativam, præ reliquis omnibus Beatis spondet. Postquam enim adolescens ille, qui facultatibus suis remittere, nuncium nolebat, jam abiisset, dixissetque Redemptor: *Amen dico vobis, quia*

Etiam in præsenti sæculo honoratur præmio paupertas.

Bonavent. in vita S. Franc. c.7. Domina paupertas.

Matt. 19. 27. *quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum*, ecce tibi Petrus, reliquorum omnium nomine in medium prosilit, & ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Quibus Dominus mox respondit, *Amen dico vobis, quòd vos secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ* (post suam in cœlum ascensionem) *sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Declarant hoc loco sancti Patres, isthanc dignitatem & prærogativam, generaliter de omnibus iis intelligi, qui Apostolorum e-runt in statu paupertatis, per vota confirmato, imitatores; uti sunt Religiosi quique in cura proximi per sacramentum &c. officia sunt asseclæ ejusdem uti sacerdotes, illam præeminentiam & dignitatem dandam, quòd in præsenti judicent, absolvant & ligent populum Dei, & in universalis judicii die ante divinum tribunal astabunt, non tam à Christo judice judicandi, quàm ut unà cum ipso velut assessores, ceteros judicent, & illius sententiam assensu ratam habeant & confirment. Ita id expressis verbis docent. S. Augustinus, Beda, Gregorius Magnus, atque ad hoc propositum adferunt illud Isaiæ, *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui & principibus eius*: necnon illud Salomonis in Proverbiis loquentis de Ecclesiæ sponso, *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Hos, quippe, esse dicunt Principes, unà cum Christo mundum judicaturos; senes item & senatores, qui cum sponso Ecclesiæ, id est Christo, in supremo judicii die tribunalibus considebunt.

Epi. 89. ad Hilarium. Hom. in natal. S. Benedict. li. 10. Moral. c. vlt. Isa. 3. 14. Prov. 31. 23.

5. Nonnulli dignitatem hanc ad omnes omnino sanctos canonizatos extendere volunt: at communis opinio, (quàm & D. Thomas sequitur) est, hac dignitate solùm donandos illos, qui paupertatis statum professi fuerunt, etsi alioquin Divorum catalogo asscripti non sint. Et adferunt Theologi ac Patres multas rationes & congruentias, easque non contemnendas, cur præeminentia hac potiùs donentur ii, qui hanc voluntariam paupertatem professi sunt, quàm reliqui Beati. Quocirca convenienter admodum cum Propheta hic exclamat S. Gregorius, *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Id est, Benedictio, laus & honor sit tibi, Domine, qui amicos tuos ita honoras, ac præsertim eos qui voluntariam propter nomen tuum paupertatem professi sunt. Neque enim satis tibi est, iis regnum cœlorum dare, sed eos insuper illustres & inclytos Principes ibidem facis, ut universales mundi totius sint judices.

Soli paupertatis voto obstricti, putantur iudicaturi.

S. Gregor. Ps. 138. 17.

Caput III.

Non solùm in altera vita, verum & in hac, pauperes spiritu remuneratur Deus.

1. Ne verò præmium omne nonnisi in alteram vitam tibi reservari, sibique nonnisi ad creditum, & longo post tempore solvendum existimet aliquis ex laicis, cùm tamen prompta pecunia emerit regnum, non in altera vita solùm, sed in hac omnes omnino

Etiam universim omnes paupertatem professi in hoc sæculo præmiabuntur.

nino pauperes spiritu à Deo remunerandos, & quidem magno cum proventu, & amplissime cognoscat. Nam, quia nos homines ita proprium lucrum spectamus, & commodo visibili ac præsenti adeò movemur, ut, nisi ipsum appareat, animo cadere aut languere videamur; propterea tenuitati infirmitatique nostræ Dominus condescendens, ne in hac vita quidem eos, qui omnibus propter nomen ejus renuntiant, carere præmio voluit: unde post priorem sponsionem ilicò subnectit: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum; centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Ecce præmium omnibus omnino paupertatem profitentibus promissum & in præsenti præstandum.

Matt. 19. 29.

Centuplũ bonis vita pauperum.

2. Hoc vero præmium sive centuplum porro quod accipiet, tam de acceptione in hac vita, quàm de altera in futuro danda intelligendum esse, ipse Dominus apud S. Marcum declarat: *Accipiet*, inquit, *centies tantum nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam*, quasi diceret. Quod propter Christum paupertatem ultroneam assumpseris, non modò postea vitæ perpetuæ præmium & coronam, verum etiam in hac vita centuplum recipies.

Marc. 10. 30.
Luc. 18, 30

Lib. 3. in Matth.

Exponitur illud centuplum, 1. de bonis spiritualibus.

3. S. Hieronymus quidem illud *centies tantum*, de solis bonis spiritualibus intelligi vult: *Qui carnalia*, ait, *pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.* Cæterùm Cassianus id etiam de bonis

2. etiam de

exterioribus declarat, aitque nos Religiosos etiam quoad illa, centuplum in hac vita recipere, uti colligere est è verbis, quæ eo loco statim S. Marcus subjungit.

bonis externis.
In collat. ult. Abbat. Abraham c. 26.

4. Quod ad litteram impleri, quotidie certè videmus; quin & ipsum assiduè dicimus ac promittimus iis, qui de novo ad Religionem accedunt: Reliquisti domum unam propter Christum, jam tot alias ejus loco habes; omnes quippe domus totius Ordinis tuæ sunt, quia eas tibi Deus in hac vita pro una, quam reliquisti, retribuit. Unum patrem & matrem reliquisti; & eorum loco tot tibi Deus dat patres? qui majore in te amore feruntur, magis de te solliciti sunt, magis quæ ad bonum tuum spectant, procurant, quàm ii quos deseruisti. Fratres reliquisti; & multos novos hîc fratres invenis, qui magis te diligunt, quàm illi; quia te in Deo, & propter Deum, sine ullo ad proprium commodum intuitu amant: mundani verò fratres, nonnisi proprii commodi & utilitatis causa te diligunt, & tantum tunc, quando opera tua opus habent. Servos aliquot deseruisti, & fortè etiam nullos; hic verò plurimos habes, qui tibi serviant & obsequantur, alius quippe obsonatoris, alius dispensatoris, alius coqui, alius præfecti refectorii, alius denique infirmarii, tibi officium præstat: &, quod majus est, si in Castellam, Lusitaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, Indias utrasque, aut in aliam quamcunque mundi regionem abeas, ubivis domum paratum invenies, necnon eos qui hæc tibi officia eadem cura & diligentia certò præstent,

Utroque sensu centuplum verè dari certum est.

stent, ita ut verè religiosus sentiat se habere tot servos quot fratres in ordine, ut nullus sit in terra Princeps, qui tam latè patens, & ita obsequens famulitium habeat. An non hoc est, *centies tantum* in hac vita, & plusquam centies in altera accipere?

Pauper est Dominus facultatum, dives autem servus earũ.

5. Quid porro de his ipsis rebus quas reliquisti dicam? Etiam quoad has plus multo hic habes, quàm in mundo, & centuplo amplius quàm propter Deum in hac vita reliquisti: quia hæc omnia habes, ac magis rerum & opum mundanarum Dominus & possessores, quàm ipsimet divites. quia ipsi facultatum & divitiarum suarum Domini non sunt, sed tu; quippe earum servi sunt & mancipia. Hinc sacra Scriptura eos vocat *viros divitiarum*; non ait, *divitias virorum*, sed vice versa, *viros divitiarum*, ut ostendat, divitias ipsis dominari: ipsæ enim præcipiunt, mandant, imperant; hi verò servi & mancipia earum sunt: quia illis obsequenter serviunt, & illarum causa laborant, cùm ad eas comparandas, tum ad eas amplificandas & conservandas: &, quo majores opes & possessiones habent, eo viliùs ancillantur, magisque sunt servi; majore quippe propterea opus est cura intendere, & laborem intensiorem adhibere.

Psal. 75. 6.

Eccl. 15. 11.

Divites multum cruciantur divitiis: pauperes spiritu gaudio abundant.

6. Unde Sapiens, *Saturitas divitis non sinit eum dormire*: in molli enim lecto identidem noctu se versat & reversat, quia divitiæ & opes ei somnum eripiunt. At Religiosi, omnis curæ & laboris expertes, ac susque deque habentes cara ne, an vilis sit annona, felixne an tenuis ejus proventus, omnibus abundant. *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes*, Ait Apostolus. Sine omni prorsus cura & molestia vivunt, quasi qui nihil habeant; nihilominus in hac securitate & incuria nihil ipsis deest, sed habent omnia. Quid verò attinet de gaudio loqui? Næ centuplo isthic majus habemus, quàm habebamus in sæculo. Id si credere nolis, interroga mundanos, & quidem illos qui inter eos habentur felicissimi; & videbis, quibusnam ad singula propè momenta molestiis & amaritudinibus angantur, à quibus nos Religiosi prorsus immunes sumus.

2. Cor. 6. 10.

Psal. 15. 6.

Honor Religiosorum centies auctior.

7. Quid de honoribus? Centuplo majores in Religione habes, quàm in sæculo habebas: quia viri illustres, Principes, Prælati (qui, si in mundo mansisses, nullum tibi honorem detulissent, imò ne quidem aspicere voluissent) cùm hic in detrito laceroque habitu te vident propter nomen Domini, sive consilium Christi, vel amorem virtutis; Ecce jam magno te honore prosequuntur, & officiosè colunt.

Adhortatio ad spiritus paupertatem.

8. Quò verò spectant universa hæc? nempe ut ab omnibus mundi rebus expediti & liberi, easque parum morantes, cor nostrum ad cœlestia sustollamus, ut, quam in rebus mundanis procurandis, iisque quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt conquirendis, diligentiam adhibere debebamus, eam in majus Dei obsequium, & ut quotidie in virtute & perfectione crescamus, convertamus, secundùm illud quod de filiis Israel Propheta ait, *Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes*

Psal. 104. 44.

tiones eius, & legem eius requirant. Idem quoque per Ezechielem DEVS testatur, de sacerdotibus suis loquens: *Non erit eis hæreditas, ego hæreditas eorum : & possessionem non dabitis eis in Israel: ego enim possessio eorum.* Propterea ergo nostris ipsi hæreditatibus & possessionibus renuntiemus, quia Deus nostra hæreditas & possessio vult esse. Beata ergo Religiosi sors est, quòd talis ipsi hæreditas & possessio obtigit; *Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi*: dicit Propheta, alludens ad divisionem hæreditatem per funes solitam fieri à Geometris, in qua illi dicebantur cecidisse funes in præclaris, cui sors præclaram partem, funibus distinctum assignabat. Hæreditatis nostræ, ô Religiosi, sors & portio in meliore, felicioreque parte obvenit, quia fratribus nostris obtigit terra, nobis cœlum: *Dominus pars hæreditatis meæ*, & sors mea. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Dicebat itaque S. Franciscus, paupertatem cœlestem & divinam quandam virtutem esse: per illam namque cuncta terræ hujus bona despiciuntur & pedibus proculcantur, omniaque impedimenta & remoræ tolluntur, ut anima ab omni eo, quod mundi est, expedita & soluta, liberius, & sine ullo obstaculo, cœlestibus duntaxat intendere, Deoque se conjungere possit.

2. Cor. 6. 10. — *Eze. 44. 8 Deus hæreditas pauperum.* — *Psal. 15. 6.* — *Honor Religiosorum potentiis alior.* — *Psal. 15. 6.* — *Paupertas cœlestis est Virtus S. Francisci.* — *Adhortatio ad spiritus paupertatem.* — *Psal. 104. 4.*

* * *

Caput IV.

In quo paupertas spiritus consistat.

1. In quo paupertatis illius, quam nos Religiosi profitemur, perfectio consistat, satis nobis declarat Redemptor noster in illis verbis, *Beati pauperes spiritu.* Hoc enim verbo satis aperte insinuat, non quamvis nuditatem & egentiam efficere Beatum Evangelicum, sed *Spiritus*, id est, voluntatis & affectus paupertatem, esse debere. Neque etiam satis est, divitias & facultates mundi sæculari aliquo modo relinquere, v. g. ideo ut mirentur nos homines, & colant, quomodo quidam Philosophi divitias contempserunt: sed debent etiam corde pio animoque ad divina intento relinqui. Hæc scilicet est paupertas spiritus: nimirum, quæ non corpus solùm, sed & spiritum & cor, ab omnibus impedimentis liberum Deo præstat, atque ab omni erga res terrenas affectu ac pedicis expedit: ut ipse liber, & à sæcularibus ac terrenis omnibus expeditus, liberè & sine ullo impedimento Christum sequi, penitusque se perfectioni (qui finis est, qui spectatur, & ob quod Religionem inimus) tradere possit.

Qui sunt pauperes spiritu. — *Matth. 5. 3*

2. S. Hieronymus seriò hic ponderat id quod Redemptor Iesus S. Petro dicenti: *Domine, ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* respondit: nempe, *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me.* Nota, inquit Hieronymus non dixisse Dominum, *Amen dico vobis, quòd vos qui reliquistis omnia* : sed, *vos qui secuti estis me.*

Quod intentio relinquentis omnia debet esse divina. — *Matt 19. 28.*

3. Nam

Quidam intentione sæculari relinquũt sua.

Epist. ad Julia. Diacon. & ep. ad Paulin. & li. 2 cõtra Iovin.

3. Nam etiam Diogenes, Antisthenes, & alii non pauci Philosophi quorum unum, nomine Craterem, patria Thebanum, idem Hieronymus scribit, cùm multa possideret, & Athenas ad Philosophiæ & virtutum studium jam abire constituisset, ne in hoc sibi divitiæ impedimento forent, omnes facultates & possessiones vendidisse, & magnam auri vim inde redactam uno in mare impetu abjecisse, dicendo: *Abite pessum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Phocion Philosophus, quem paupertatis amantissimum fuisse scribunt, cùm centum talenta (id est secundùm computum nostratem, sexaginta aureorum millia) emitteret Alexander Magnus; petiisse ab eadem afferentibus fertur, cur isthæc mihi pecuniam Alexander mittit? Respondentibus illis: *Ob solam virtutem tuam, & quia te inter omnes Athenienses virum optimum & integerrimum reputat*, quibus reposuit Phocion: *Sinat igitur me esse talem.* Atque hoc dicens, aurum accipere noluit. Tam crebre porro inter omnes Græciæ Philosophos hoc Phocionis factum & dictum fuit, ut ad multos dies aliud inter ipsos nõ quæreretur, quàm, uter esset major, Alexanderne tantum auri offerens, an Phocion ipsum repudians, hocque ejus responsum: Si me virum bonum & virtutis studiosum habet, eum esse me sinat, nec divitias mihi mittat, quæ, quo minùs sim quod credor, impedimento sint. Nec desunt alia plura id genus exempla.

Quomodo divitiæ & mala & bona sint.

4. Apte ad hoc propositum, & simul contra eorum superstitionem, qui ipsammet possessionum substantiam in se malam opinaretur, & non suam concupiscentiam SS. Augustinus & Hieronymus docent, nec aurum, nec argentum ullatenus homini nocere; & hoc multorum Patriarcharum, sanctorumque veteris testamenti exemplo probant, utpote qui multas possederunt facultates, ut Abrahæ, Isaaci, Iacobi & Iosephi, qui in regno primus à Pharaone fuit, & dominatus in tota terra Aegypti: Nec non Danielis, & trium ejus sociorum, qui in Babylone magna cum potestate & imperio dominabantur; sicut Mardochæus & Esther in universo regno Assueri: denique Davidis, Iobi, & aliorum permultorum; qui amplas inter opes & mundi splendores, primariam paupertatis hujus spiritus partem habebant, *quòd animum & cor iis non immergerent*; sed exactè illud Prophetæ servabant, *Divitiæ si affluant, nolite cor opponere.*

Epist. ad Hilarium Epist. ad Salvinam de servan. Virginit.

Dan. 2. 49

Psal. 61. 11.

Duo requiruntur ad paupertatem spiritus.

5. Ut ergo ad propositum materiæ punctum propius veniamus, omisso modo illo paupertatis, quæ omnibus justis est communis, uti de Patriarchis & aliis modo dictum fuit: duo potissimum ad hanc paupertatem spiritus, quam Religiosi profitentur, requiruntur. *Primum*, ut reipsa & effectu omnia quæ mundi sunt, dimittant & renuntient. *Secundum*, ut hæc ipsa toto etiam affectu & corde relinquant. Atque hoc secundum, præcipuè & maximè requiritur, ut nempe animus fiat liber & expeditus à terrenis, ut Deo se & perfectioni totum applicet.

6. Hinc etiam docet S. Thomas primum illud (scilicet reipsa & effectu omnibus renuntiare) ad hoc secundum ordina-

2. 2. q. 186. art. 3.

Secundũ illud est in

paupertatis voto potissima pars, & difficilius.)

ordinati, ut ita faciliùs omnem erga eadem affectum exuamus, quia id efficax quoddam medium est, ad secundum hoc assequendum: & ad hoc adfert ipse illud S. Augustini, *Terrena diliguntur arctiùs adepta, quàm concupita*: indeque longè difficiliùs est affectum erga illa exuere dum tenentur, quam dum non possidentur. Multò enim faciliùs est, nolle quod de facto non habetur, quam deserere & abdicare quod jam habetur: quia quod non habetur, non curatur, & parvi fit, velut extraneum quid; at quod quis jam revera habet, id ei unitum & incorporatum videtur: hinc dum id relinquit, perinde dolet (inquit D. Thomas) & dolorem sentit, ac si membrum aliquod sibi præsecaretur.

Epist. ad Paulin.

Multum amore Dei reliquerunt Apostoli, qui quæ habere, & desiderare poterant reliquerunt.

7. Egregiè id ostendunt, SS. Hieronymus, Augustinus & Gregorius, occasione illorum D. Petri ad Christum verborum, *Ecce nos reliquimus omnia.* Dicit quippe Gregorius, *Grandis fiducia: Petrus* (ut reliqui Apostoli) *piscator erat, dives non fuerat, cibos manu & arte quærebat*: nihil habebat præter meram miseriam & inopiam, cymbam rimosam, & retia quædam reficienda: *& tamen loquitur confidenter, Ecce nos reliquimus omnia.* Sed respondet sanctus Gregorius: Meritò, inquit *ita loquuntur; quia in hac re fratres carißimi, affectum debemus potiùs pensare, quàm censum* qui relinquitur: *multum relinquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. Certè nos & habita cum amore poßidemus, & ea quæ minimè habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus, & Andreas* (& reliqui) *dimisit, quando uterque etiam desiderium habendi reliquit.*

Homil. in Matth.

Multum sanè relinquit, qui deserit omnia quæ habet, ac simul habendi desiderium ac voluntatem. Idem confirmat S. Augustinus: *Piscatores, vocante Domino, quòd naviculas & retia dimiserunt, omnia se dimisisse, & Dominum secutos esse, commemorando lætati sunt. Et revera omnia contemnit, qui non solùm quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere, contemnit.*

Epist. 34. ad Paulin.

Et nos similiter relinquimus plurima, si omnia.

8. Hæc res magnæ consolationis futura est nobis, qui quia pauca possidebamus, etiam pauca dimisimus. S. Augustinus de semetipso loquens, quòd videlicet cuncta quæ habebat vendidisset, & deseruisset, ait: *Nec enim, quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur: nam nec Apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit.* Tantum igitur quis propter Deum relinquit, quantum propter illum optare dimittit; atque idcirco totum mundum & omnia prorsus dimisisti, si affectum & desiderium dimisisti, non modò ejus quod jam habebas vel habere poteras; verùm etiam omnium quæ & velle & desiderare poteras. Quocirca etiam te cum Apostolis gaudere & dicere fas est, *Ecce nos reliquimus omnia.*

Epist. 89. ad Hilar.

Matth. 19. 27.

Dives sæculi non intumescat, quasi plus pauper relinquat.

9. Unde qui multum in mundo possidebat, non propterea pluris se faciat, neque idcirco multum se deseruisse arbitretur: nisi enim simul desiderium erga omnia quæ velle & desiderare poterat, exuat, parùm sanè dimittit. Næ ille ampliùs longè dimisit, qui simul omne suum erga cuncta mundi bona desiderium dimisit.

In paupertate spiritus caput est exuere rerum omnium affectum & cupiditatem Pauper spiritu omnia arbitratur ut stercora.

10. In hoc ergo primaria & potissima paupertatis hujus spiritus pars consistit; in hac, inquam, affectus à rebus omnibus divulsione, alienatione, & despectu, ut nimirum omnia mundana ac creata pedibus proteramus, & ceu stercora arbitremur, uti dicebat Apostolus, *Omnia arbitror ut stercora, ut* CHRISTUM *lucrifaciam.* Cuncta nobis sunt, ut Christum lucremur, proculcanda, spernenda & parvi ducenda.

Phil.2.8.

Præmium pauperum Evangeliorũ Beatitudo quædam in hoc sæculo.

11. Hi quippe sunt pauperes spiritu, quos ipse beatos vocat. Nec sine ratione: non solùm, quia ipsorum jam est regnum cœlorum, uti suprà diximus, verùm etiam, quòd jam tum insigni quadam satietate gaudere incipiant; quæ quædam est in terris beatitudo & felicitas. Neque enim vera hominis beatitas & felicitas, juxta Boëtium in eo sita, ut multa possideat, sed ut desiderio suo plenè satisfactum videat. Et S. Augustinus ait, *Beatus est qui habet quidquid vult, & nihil malè vult.* Hanc porro beatitudinem magis habent qui pauperes spiritu sunt, quàm potentes & opulenti mundi hujus: quia pauperes spiritu habent quidquid desiderãt, cùm nihil desiderent præter id quod habent: hoc contenti & saturi sunt, nec amplius quid cupiunt; quin imò omnia illis superesse & redundare videntur.

Lib.3.de consol.

Lib.3.de Trin.

Supplicium divitum in hoc sæculo.

Eccl.5.9.

12. At divites hujus sæculi nunquam pleni sunt, nunquam contenti: nam, juxta Sapientem, *Avarus non implebitur pecunia;* & cupiditas *nunquam dicit, sufficit.* quia hæc omnia appetitui ejus satiando & replendo adeò non sufficiunt, ut etiam eum excitent & adaugeant. Sicut hydropicus quo plus bibit, eo ampliùs sitit: ita avarus semper plura concupiscit. *Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.* Et quantumcunque possidet, semper tamen inhiat iis quæ sibi desunt, & semper plura habere desiderat. quia non curat ea quæ jam de facto habet, sed quæ habere posset: ac magis eum angit id, quo caret, quàm recreat & delectat quod habet: hinc perpetuo in angore & cruciatu degit, dum semper plura habere sitit, desiderat & procurat.

Iuvenal. Sat.14.

Plutarch. lib. de tranquill. animi c.69. Val.Max.

Alexandrum Monarcham sitis plurium mundorum cruciabat.

13. Alexander Magnus cùm Anaxarchum Philosophum disserentem audiret, infinitos in mundo mundos esse, flere cœpit. Causam sciscitantibus suis, respondit, an non meritò lacrymari posse videor, quòd, cùm tot supersint (uti ille docet) mundi, nondum ipse unum sub potestatem meam redigerim? Magis videlicet illum cruciabat desiderium eorum quibus carebat, quàm oblectabat omne id quod jam subegerat.

Crates paupertate contentus suam felicem semper vitam agebat.

14. Contrà, Crates Philosophus, vili lacernula, & paupere palliolo ita contentus & quietus erat; ut semper solennem festivitatem agere videretur: abundantior, scilicet, magis contentus, & opulentior sua in paupertate, quàm Alexander in totius orbis possessione. Unde etiam idipsum huic Alexandro Diogenes Cynicus scitè venusteque oggessit, uti inter alios S. Basilius refert.

Hom.24.

Pauper Diogenes Alexandro Monarchæ

15. Cùm enim Rex hunc Philosophum summa cum paupertate confligentem cerneret, ait illi; Multis rebus opus habere videris: has à me petito, &

acci-

ditiorem esse ostendit.

accipies. Respondit Diogenes: Dico Imperator, utri plus videtur deesse, mihine, qui præter tunicam, & manticam meam nihil quæro: an tibi, qui cùm Rex sis Macedoniæ, tanto vitam discrimini exponis, ad regni limites dilatandos, & cujus cupiditati ne totus quidem terrarum orbis explendæ sufficit? Equidem te ditior sum & opulentior. Addit autem S. Basilius, benè eum apteque respondisse. Nam, dic mihi, inquit, Uter tibi videtur locupletior, illene cui suppetit ac nimium est, an is cui deest? In confesso est, eum ditiorem esse, cui suppetit & redundat. Hic porro Philosophus omnia sibi censebat superesse, & nihil deesse omnium eorum quæ desiderabat; quia plura non cupiebat quàm habebat: at Alexandro Magno multa deerant, respectu ejus quod optabat & habere volebat. Opulentior ergo Diogenes Alexandro, & magis deerat huic quàm Diogeni.

Dives & fælix est qui bonis satiatur: contrà pauper ac infelix qui nunquam potest satiari.

16. Adeò ut veræ divitiæ & gaudium, vitæque hujus felicitas non tam in multarum opum possessione, quàm solo desideriorum complemento, & voluntatis satietate consistat: paupertas vice versa non tam in rerum defectu aut carentia, quàm nimia hominis erga easdem fame, desiderio, affectu, necnon insatiabili illarum habendarum siti & cupidine, sita est. Unde ajebat Plato, *Quæ (sitis) si recesserit, qui bonus est, dives quoq; fuerit.*

Lib.1. de legib. Cle. Alex. li.2. str.6.

17. Quod Chrysostomus egregio quodam simili declarat. Si quis, ait, tam intensa laboraret siti, ut post unam situlam haustam, hauriret mox aliam, & iterum aliam: & nihilominus tantum introrsum æstum sentiret, ut satiari prorsus non posset; hunc, tametsi magna illi aquarum copia ad manum esset, quàm bibere posset, non propterea tamen beatum aut felicem duceremus: sed multò hoc illum feliciorem, qui nec sitim, nec bibendi desiderium in se sentiret: quia prior ille instar hydropici est, vel ejus quem ardentissima & vehemētissima quædam febris adurit; alter verò, tanquam qui benè valet, & sanus est.

Dives est instar hydropici, & febrientis semper sitientis. Pauper spiritu instar sani & saturi hominis.

Paradoxū. Pauperes sunt verè divites; & divites verè pauperes.

18. Hæc ergo est inter divitiarum & opum appetitores, & veros pauperes spiritu, qui contenti sunt eo quod habent, nec aliquid ex hoc mundo sibi cupiunt, differentia; quòd hi sani & benè valentes, illi ægroti; hi saturi & repleti, illi famelici & sitibundi, hi denique opulenti, illi mendici sint. Hoc scilicet per Salomonem S. Spiritus insinuat: *Est*, inquit, *quasi dives, cùm nihil habeat; & est quasi pauper cùm in multis divitiis sit*, utpote semper esuriens, & plura appetens, semperque sibi defuturum quid existimans: Hæc est nimirum, miseria, infelicitas & penuria, quam bona & opes mundi hujus secum trahunt, quòd satiare & ullum possessoribus suis adferre gaudium nequeant: hæc exadversum felicitas ac beatitudo, quam spiritus paupertas includit, quòd beatos efficiat suos possessores, propterea quod hi jam tum in hoc sæculo ingenti quadam satietate gaudere incipiant.

Laert. li.2. Fulgos. li. 5. c. 22.

19. Socrates eum diis esse simillimū dicere solebat, qui quàm paucissimum ege-

Pauper Deo simillimus est. quia paruo contentus paucis eget.

egeret, cùm dii nullius egeant rei. Atque hic ipse per forum transiens, tamque rerum venalium multitudinem videns, dicere solitus fertur. *Quàm multis rebus ego non egeo!* sed imperita multitudo, avari quoque & cupidi, cùm tantam rerum abundantiam contuentur, gemunt ac dicunt, *Quàm multa mihi desunt.*

CAPUT V.

De iis Religiosis, *qui cùm maioris momenti res dimiserint, in Religione erga minutias ac reculas afficiuntur.*

Non est verè pauper spiritu dicendus, qui affectum erga res mundanas non exuit.

1. Ex suprà dictis, ad nostram utilitatem discere possumus. *Primo*: nos, qui mundum, & opes ac facultates ejus dimittimus, nisi simul etiam omnem erga easdem affectum exuamus, verè spiritu pauperes non esse. Hæc namque paupertas in eò consistit, ut non solùm corpore & exteriùs cunctas mundi res missas faciamus, sed & voluntatem & affectum penitus ab iisdem avellamus. Atq; hoc potissimum paupertatis spiritualis membrum est. Unde, si adhuc aliquis erga illas affectus in te vivit, nondum eas penitus & ex animo reliquisti: sed unâ tecum ad Religionem adduxisti, cum in corde eas tuo adhuc infixas retineas, itaque non verè, sed fictè & mendaciter es pauper: & consequenter nec verus, sed fictus, & per speciem Religiosus: cùm corpore solùm in Religione sis, spiritu verò & animo verseris in mundo. Ergo falsò Religiosi nomen habes.

Paupertatem spiritus non habet Religiosus, qui res minutulas efflictim amat.

2. *Secundò*, hinc sequitur, Religiosum, qui omnes mundi facultates & divitias jam contempsit ac missas fecit, si hic in Religione erga minutas reculas (puta cubiculum, vestem, librum, imaginem, aut alia id genus) perditè afficitur, verè & perfectè pauperem spiritu non esse. Eadem hic militat ratio quæ antè, quia, scilicet, primaria paupertatis spiritus pars in affectus ad res mundi, avulsione, & cordis ab iisdem alienatione consistit. Qui verò sic affectus est Religiosus, affectum hunc & amorem neutiquam deposuit: sed quem in sæculo erga res illas amorem habebat, hunc in Religione ad minutas ac nullius momenti res convertit ac transtulit: & tam cor ejus modò erga ineptias hasce pueriles afficitur, quàm in sæculo erga facultates & opes omnes afficiebatur.

Coll.4. Abb. Daniel.c 21.

Sæpe Religiosi magnarum opum contemptores ad res minutulas nimium afficiuntur.

3. Egregiè punctum hoc Cassianus pertractat. Nescio, inquit, qualiter rem ridiculam, quæ in Religiosis quibusdam usu venit, exponam: quòd postquam facultates omnes & divitias, quas in mundo habebant, generosè dimiserunt; tanta tamen in Religione erga reculas & minutias contemptibiles sollicitudine & studio ferantur, ac supervacaneas & impertinentes commoditates tam efflictim consectentur, *ut harum cura* nonnunquam *pristinarum omnium facultatum superet passionem.* Quibus profectò magnopere proderit, amplas possessiones & substantiam copiosam deseruisse, eò quòd affectum erga eandem haud deposuerint, sed eum in res frivolas minutasque transtulerint. *Nam vitium cupiditatis & avaritiæ, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed immutasse se probant pristinam passio-*

paßionem. Eadem, qua antea, libidine detinentur, quasi verò differentia tantummodò metallorum, & non ipsa paßio cupiditatis habetur innoxia: & quasi propterea magna deseruissemus, ut affectum amoremque parvis & minutiis applicaremus: *sed idcirco pretiosiores abjecimus materias, ut facilius disceremus vilora contemnere.*

Aequalis in vitio ponitur, sive in parva, sive in magna re aequè immoderatum affectum ostendas.

4. Alioquin enim, si affectus & cupiditas cor nostrum constrictum detinet; nihil admodum mea interest, utrùm circa res magnas, an viles & minores isthæc passio versetur; cùm ita perditè hic erga nugas & inanias afficiamur, tantoque cor nostrum amore iis affigatur, quanto erga res majores ferretur! Omnia sanè eodem recidunt; Quemadmodum, sive oculis aurea, sive ferrea, sive stannea objecta sit lamina, sol perindè videri non potest, quia tam illa, quàm hæc aspectum ejus impedit.

Extat opuscul. ejus in Biblioth. Patrum Tom. 3.

Aurū vel argentum non inficit animam: sed immoderatus erga illa affectus.

5. Idem quoque declarat Abbas Marcus, in consultatione quadam & colloquio, qua suam alloquitur animam, *Et nos, inquiens anima cara, nec aurum cumulamus, nec argentum nec prædia poßidemus. Et ego respondeo tibi, nec aurum nec prædia per se detrimentum afferre, sed præposterum illorum usum*, & inordinatum erga eadem amorem. *Quidam enim divites cum divitiarum amore minimè tenerentur, Deo placuerunt, ut S. Abraham & David: nos verò sine divitiis*, utpote quas objecimus, *avaritiæ vitium in materia abiectißima nutrimus: non cumulamus aurum* vel argentum, *sed res vilißimas congerimus*, & iis affectum & animum applicamus, & tanto eas amore prosequimur, quanto in sæculo aurum argentumve prosequeremur.

Religiosi sæpè ob rei minutulæ iacturam turbantur.

6. Imò subinde non minùs ob has inquietamur & angimur, quàm ob illas inquietaremur in sæculo: & fortasse etiam magis, cum in ordine religioso possimus hic vacare. *Principatus, Episcopatus, & dignitates nos accipimus*, sed aspiramus ad illas, neque exambimus; *sed omni ratione gloriam & laudem* hominum *au upamur*, eamq; quomodocunque possumus, procuramus, gaudemusque cùm vel laudamur, vel magni ducimur, tam ab iis qui domi sunt, quàm qui foris.

Stultiores sunt mundanis, eo quòd hi erga res grandibus, illi exilibus affectum affigant.

7. Miserabiliores ergò, & reprehensione digniores sumus, quàm mundani, inquiunt sancti illi scriptores, quòd nos indigniùs & viliùs, quàm ipsi, dejecimus. Esto enim illi affectum aliquò transferant, eum tamen applicant iis, quæ magni momenti & pretii videntur: at nos, cùm hæc grandia deserverimus, ad res viles & tenues nostrum transferimus.

Religiosi minutiis affixi pueris simillimi.

8. Ad primam pueritiam redimus, grandescere deberemus & adolescere, ac cum Apostolo *in virum perfectū* quotidie crescere: & contrà facimus, dum è viris (quales eramus, dum Religionē primùm intraremus, omnia quæ mundi sunt relinquentes, & viriliter omnia transcendentes) denuo pueri facti sumus, ad inanias & pueriles ineptias animum traducentes. Atque uti puer, dum pomum illi similiaque infantilia auferuntur, quamprimum lacrymatur: ita illi, dum recula, erga quam afficiebantur, carere coguntur, vel denegantur illis petita, statim turbantur & tentantur. Hoc est, quod Cassianus una ex parte risu, ex altera verò magna commiseratione & compassione dignū ait: Ephes. 4. 13.

 quòd

quòd nimirū vir gravis & Religiosus cui animus fuit & mundum, & quidquid in eo erat, dimittendi, usque eò se rebus inferioribus, vilibus & minutis submittat, ut se turbet & inquietet (uti turbari solet puer, si pomum illi negetur) si nugæ aliquæ pueriles & ineptiæ ab eo auferantur.

Ad monach. S. Bertini. *Religiosi minutiis affixi, magnam Religionis & meriti iacturam faciunt.*

9. S. Bern. ad Monachos quosdam scribens, in hæc verba loquitur: *Miserabiliores sumus omnibus hominibus nos monachi, si pro tam exiguis in Religione tanta patimur detrimenta*, id est, propter illa, omne, quod hactenus collegimus, bonum, & quidquid reliquimus, disperdamus. *Quid enim insipientia, imò quid insania est, ut qui maiora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus?* Videre vis jacturam? rogat S. Bernard. *Si mundum contempsimus universum, si abrenuntiavimus affectibus propinquorum, si Monasteriorum carceri mancipavimus nosmetipsos, si deniq; non venimus voluntatem nostram facere, sed imposuimus homines super capita nostra; quid non oportet fieri, ne fortè contingat hæc omnia nobis in insipientia nostra & negligentia deperire?*

Caput VI.

De tribus gradibus paupertatis.

Simulata paupertas est, res quidem mundi, non tamen earū affectū relinquere. Cap. præcedenti.

1. Tres paupertatis gradus à sanctis Patribus, & vitæ spiritualis magistris, communiter traduntur. *Primus* est eorum, qui quidem exteriùs res mundi deseruere, sed nondum interiùs, nec per voluntatem: imò adhuc erga easdem perditè afficiuntur. Et hos jam antè diximus, non veros, sed fictos, esse pauperes, & falsò Religiosorum nomen obtinere. *Alter gradus* est eorum, qui omnia quæ mundi sunt, effectu simul & voluntate dimiserunt, quin etjam hic in Religione, omnem erga superflua quidem affectum deposuere; erga necessaria tamen mirè afficiuntur, seduloque procurant, ne sibi quid desit eorum quæ sibi necessaria sunt, adeòq; in omnibus, scil. in victu, vestitu, cubiculo, & omni denique re alia, bene sibi commodeq; prospectum cupiunt: unde si quid in iis defuerit, dolent & conqueruntur.

Ser. 4. de adventu. Idem S. Vincent. tract. de vita spirit. c. 1. Alber. Magn. in paradiso anim. c. 5. *Paupertas quæ nihil sibi vult deesse, non est religiosa inopia, sed plus quam divitum copia.*

2. Hæc non est perfecta paupertas. Unde egregiè S. Bernard. *Dolendum sanè & deplorandum inprimis est, tot hodierna die reperiri, qui specioso paupertatis nomine gloriantur, & taliter esse pauperes volunt, nihil ut sibi velint deesse; sed omnia quam abundantißimè suppetere. Hæc non tam inopia & paupertas est, quàm copia & opulentia: & quidem tanta ut ne divites quidem huius seculi parem habeant: utpotè quibus non rarò multa in his rebus desunt; modò quidem, quia non haberent per omnia quæcunq; desiderant; aliàs, ne quid de rebus suis expendant, magis ex parsimonia abstinent & se continēt, quàm nos ex amore virtutis; aliàs denique, quia tametsi & omnia habeant, & etiam insumere audeant, famuli tamen usquequaq; ad lubitum & mentem ipsius non serviunt.* Tu verò *qui Religiosus es, & paupertatem profiteris, imò votum eiusdem concepisti, nullam pati neceßitatem cupis, & nulla re carere. Hoc non est paupertatis, sed commodorum tuorum amicum & cupidum esse, & velle ut omnia tibi affatim suppetant.* Forsan etiam in mūdo, plura nobis deessent. Absurdū proinde ac nefas est, ut in Religione, ad quam venimus, ut nos mortificaremus, ac pœnitentiam ageremus; majores delicias & commoditates sectemur, quàm in mundo habuissemus.

3. Si ergo ad ipsam paupertatis spiritus

Tertius gr.

paupertas Evangelica est inopiam necessariorum amans.

ritus perfectionē pervenire volumus, si nomen Religiosi prorsus explere, & ut vita nostra cum nomine, quo dicimur, coincidat; ulteriùs ad tertium paupertatis gradum ut transeamus, enitēdum est, qui est, *paupertas necessariorum: verè enim pauper, etiam necessaria parvi pendit.* Oportet, inquam, affectum, non solùm superfluarum, & quibus haud ægrè careri potest, verùm & necessarium rerū deponere: adeò ut etiam in his verè simus pauperes, affectumque & desiderium quoddam paupertatis ostendamus; ut, esto eis ex toto carere, & prorsus ea relinquere non possimus, id saltem quod necessarium est, parcè satis & limitatè usurpemus: hancque necessitatem nimis non extendamus aut dilatemus, sed quàm possumus arctissimam & angustissimam faciamus, semper aliquid quoad hoc, ex amore paupertatis, pati gestientes.

S. Vincen. de vita spirit. c. 1. *Signa verè pauperis spiritu.*

4. Scribit quidam vir sanctus: *Laudabile non est, pauperem esse, nisi dum cùm quis pauperrimus est, & eam qua laborat paupertatem diligit, ea gaudet, eam perfert, & quicumque in eadem occurrunt defectus & carentiæ, æquo animo ex amore Christi Iesu tolerat.* Qui ergo videre vult, verene pauper spiritu sit, & num in eo proficiat; videat num paupertatis effectibus, necnon ejusdem amicis & sodalibus (putà fame, siti, frigore, defatigatione, nuditate) lætetur. Videat num veste trita obsoletaque, & calceis veteribus lætetur: num gaudeat, cùm quid in mēsa sibi deest, quando in re aliqua præteritur, quando quid non usque adeò ad palatum suum est: videat denique, num volupe sibi sit, cùm cubiculum usquequaque accommodum non est. Si enim in his non gaudeat, si hæc non amet, sed declinet: non dum ad spiritus paupertatem pervenit quod postea uberiùs declarabimus. *Cap. 8.*

Caput VII.

Nonnulla ad paupertatē spiritus consequendam, eamq; conservandam, media.

1. Medium paupertatis spiritualis. Nulla re tanquam propria uti.

1. AD paupertatem spiritus obtinēdam illiusque conservationem, non parùm nos adjuvabit. *Primò*, id quod S.P.N. in Constitutionibus quoad eandem sanxit: *Omnes nulla re tamquam propria utantur.* Quod etiam egregia similitudine indicavit: dicebat quippe Religiosum in omnibus, quibus utitur, cogitare debere, se iis perinde ac statuam vestiri & ordinari: nam ut hæc nullo modo resistit dum ornamenta ei auferuntur, nec cur auferantur, quærit: pari modo te ipse in veste, qua indueris, in libro, breviario, & omni eo quo uteris, geras oportet. Vt si tibi dicatur, ut ipsum alteri cedas, aut cum altero mutes, non magis inde doleas, quàm statua cùm suis vestibus spoliatur. Si enim id tali modo possideas, minimè id velut proprium duces. At si. cùm tali cubiculo emigrare, tale quid à te abdicare, aut cū altero commutare juberis: magnam in te repugnantiam sentias vel difficultatē, nec instar statuæ te geras; signum evidens est, id te velut proprium duxisse, propterea quòd doleas & angaris, cùm ipsū tibi aufertur.

3. p. Cōst. c. 1. §. 7. & reg. 24. Summarii Lib. 5. c. 4. Vita B. P. Ignatii.

2. Hanc ob causam sanxit. S.P.N. ut superiores nostri subinde subditorum suorū, quoad virtutem paupertatis & obedientiæ, periculum faciant ac tentent,

3. p. Cōst. c. 1. litt. u. *Paupertas religiosi*

subinde tentanda. tentent, perindeac olim Deus, inquit, Abraham tentavit, ut quam quisque virtutem habeat, appareat, hacque ratione illi detur occasio magis in eadē crescendi. Optima ejus probandi ratio, & convenientissimum ad id quod dicimus, medium est, ut auferatur subinde nobis id quod habemus, & ipsum cum alio commutare jubeamur.

Lib. 1. de serm. Dom. in monte. & lib. de vera Relig. c. 4. & 48. 3. Quocirca S. August. de affectu erga res hasce terrenas loquens, ait: *Plerumque cùm adsunt nobis, putamus quòd non ea diligamus: sed, cùm abesse cœperint, invenimus qui simus.* Si, dum vel ipse rem aliquam relinquens, vel à Superiore ea tibi tollitur: repugnantiam vel difficultatem in te sentis, & fortasse tentaris; *Paupertatis virtutem habet, qui rem, qua utitur sine dolore relinquit.* signum est te nimiopere erga eam affici: ex affectu enim dolor & sensus hic nascitur. *Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit,* ait Augustinus; *& non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur.* Quando sine dolore & tristitia, rei alicui renuntiamus, argumento id est, nos illi affectu non adhæsisse, nec perditè eam adamasse; at, quando aliquo cum dolore & amaritudine animi relinquimus, signum est, mirè erga eam nos affectos fuisse.

Probatio spiritus paupertini. 4. Optimum ergo & consultissimū est, ut sæpè nos hisce in rebus Superiores exerceant, cubiculum quod fortasse commodum nobis erat, & erga quod valdè affecti eramus nos mutare, librū quoq; earū dimittere, & vestem cū alia incomodiore mutare jubendo: ne quid in hujusmodi rebus nobis usu capione aut præscriptione vindicemus. Hac enim ratione paulatim subingredi posset proprietas, & solidissimus hic paupertatis murus sensim subrui ac everti.

Exempla & Praxis vetusta SS. Cœnobiarcharū suorum paupertatem in rebus minimis tentare. 5. Exercitium hoc apud priscos Patres perfrequens fuisse legimus, ne erga frivolum, quod haberent, nimiopere afficerentur, idque sibi velut proprium assererent. Sic S. Dorotheus cum discipulo Dositheo fecisse legimus. Cum enim hic, illo jubente, vestem consuisset, & optime sibi accommodasset, eam deinde superior illi auferebat, & alteri dabat. Hic porro S. Dorothei liber cū nostra procedendi ratione & instituto optimè cōgruit, & ad multa minuta particulatim descendit. In eo legitur S. Dositheus, cum domus infirmariū ageret, & gladioli cujusdam & cultri amore caperetur, eum à Doroth. superiore suo, nō in suiipsius, sed in nosocomii (cui præerat) usum petiisse: ex hoc vero audiisse: *Placetne tibi Dositheę visne fieri huius gladioli servus, an servus Christi? Non erubescis appetere & velle ut gladiolus hic dominetur tibi?* *S. Doroth. Tom. 3. Biblioth. PP.*

Religiosus res minutulas plus æquo affixus, istius rei, non Christi servus est. 6. Quoties ad nobis ipsi dicere possemus; *Non erubescis, ut puerilis aliqua ineptia dominetur tibi, teque transversum abripiat?* Quid porrò Dositheo factū dictum erat ei ea occasione, ut eum cultrum posthac non tangeret, dictum, factum. Nam exinde Dositheus cultrum hunc in manus non sumpsit. Nostrum vero est, hoc nō ut inane quid, vel puerile, nulliusq; momenti rem ducere: ne S. Hyeronimi simili in causa præclarè spirituali correptione perstringamur scribentis *quod iis, qui virtutis valorem, & pretium ignorant, nec ad perfectionem puritatemq; eius pervenire hæc fortasè ludicra & puerilia, parviq; momenti videbuntur: revera tamen non nisi summæ cuiusdam perfectionis, & sanctæ sapientiæ sunt, quæ à sapientibus & prudentibus huius mundi abscondita, at humilibus ac simplicibus corde revelata est.* *In regul. monalt. c. 12. tom. 4. Magnum paupertatis est meritum res etiam minas flocci pendere.*

7. Alte-

II. Paupertatis medium est nihil habere quod sit superfluum.

7. Alterum, quod nobis, ad hanc spiritus paupertatem inviolatè conservandam mirificè conducet, erit, nihil habere quod superfluum sit. Quod in societate, singulari Dei beneficio, inprimis spectatur. Cubicula quippe nostra perinde sunt, atque illud, quod pia illa Sunamitis in Elisæi Prophetæ usum semper instructum & paratum tenebat. Cùm enim identidem Propheta per ejus prædium transiret, ait viro suo, *Animadverto quòd vir Dei sanctus est iste: faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, ut cùm venerit ad nos, maneat ibi.*

4. Reg. 4. 9.

Qualis sit pauperis Religiosi cubicularia supellex.

8. Hæc ergo cubiculorum nostrorum esse supellex debet; videlicet lectulus, mensa, sella, candelabrum, id, inquam, tantum quod necessarium est. Nequaquam enim apud nos moris est, nec permittitur, ut, quis cubiculum figuris, tabulis, pictisve imaginibus, aliisque id genus rebus, instructum & adornatum habeat, illicitum quoque est, sedilia ornatiora, armariola, pulpitumve operis elegantioris, stragula tapetiave mensalis, aut ad januam prætensa velamina habere; uti & electuaria, tragemata, aut aliud quodcumque delicatius, hypotrimma ad nostram, vel aliorum, qui nos visitaturi sunt, consolationem recreationemque asservare.

Paupertas cubicularis in Societate Iesu.

Quid? quòd ut etiam pauxillum aquæ bibatur, facultas Superioris petenda est, & ad refectorium eundum; imò ne librum quidem habere fas est, in quo vel linea calamo ducatur, & quem secum quis tollere possit. Negari profectò non potest, quin hæc magna sit paupertas: simul tamen in ea summa quies est, & ingens perfectio.

Per superflua in cubiculo turbatur Religiosus.

10. Certum est enim, per isthæc Religiosum mirè turbari, inquietari & impediri: etenim hæc habere, conservare, & adaugere, nemo sine animi ac ætate & distractione potest. Quæ inconvenientia omnia cessant dum hæc haberi vetantur (uti apud nos vetatur.

Ad paupertatem tuendã, Societas exteros ad suorũ cubicula non admittit.

11. Hinc inter is alias rationes ob quas in Societate exteri ad cubicula Sociorum admitti prohibeantur (ut alia taceam incommoda, hinc sequi solita) non postrema est hæc, ut hoc pacto suo in vigore meliùs paupertas nostræ conservetur. Homines siquidem sumus: nescio autem, an, si cubiculum nostrum nobilis, mercator aut doctor, cujus confessionem excipimus, ingrederetur; tantum virtutis nobis futurum esset, ut ea, quam in ipso proferimus, paupertate contenti essemus; an non potiùs, ipsum libris instructissimum habere vellemus: nam, ob libros saltem, me visitans, ut doctum magnique nominis virum existimabit. Proinde, hoc nobis est magno ad paupertatem nostram conservandam, superfluaque nulla habenda, auxilio; ipsumque magni est faciendum, danda quoque opera, ne mos ille aboleatur, sed magis invalescat.

Signum paupertatis est si res bellas & superfluas re-

12. Optimum quoque sanctæ hujus paupertatis conservandæ, ipsumque inprimis laudandum medium est id, quo Religiosi nonnulli utun

ligiosi Superiorib. in manũ tradant.

utuntur, quòd cunctas reculas suas (quas *affectiones* vocitant) ad Superiorem deferunt, easque omes à se abdicant, tametsi eæ alioquin sint hujusmodi, ut licitè & salva obedientia haberi possint.

Exempl. *Cap. 43. Pauperes ex S. Hieronymi ordine res olim curiosas in unum collatas in Capitulo concremabant.*

13. In Chronicis Ordinis Sancti Hieronymi legitur, sub illius initia, hoc exactè solitum observari, ne quis Religiosorum superfluum aut curiosum quid possideret: hinc, cùm penes aliquem quid aut curiositatem, aut parvam religiositatem, spirans reperiretur, fratres omnes ad Capitulum convenientes, ingenti illic excitato foco, ipsum mox flammis absumebant, id genus inanias *Religiosorum idola* appellantes. Hoc ergo nostrum est imitari, & omnia, quæ nobis necessaria non sunt, cubiculis excludere, eaque à nobis omnimodis abdicare, ad Superiorem ea, sine ulla eorum redhabendorum recuperandorumve spe, deferendo, eique offerendo. Nihil verò ad hoc attinet, nos erga illa non affici; nam satis est, ea necessaria non esse.

Lib. de informat. Novitior. p. 2. c. 9.

Aliud signũ paupertatis est abdicare etiã licita donaria seu præmiola, quæ multa secum

14. Addit ad hæc S. Bonaventura amplius quid, nimirum, ne quidem ut aliis dentur (uti nonnullos facere constat) per speciem præmiorum, & ad eos lucrifaciendos, vel sub devotionis prætextu, à quoquam hujusmodi reculas possidendas videri: quia tandem cor hominis occupant, & distractionis magnæ sunt occasio: ut taceam, hominem hoc pacto se singularem facere, & inter alios velut eminere velle, ipse quippe harum rerum in domo velut officinam tenere videtur, ad quem reliqui, si quid hujusmodi petant, recurrere opus habeant. Est & aliud (inquit sanctus hic Doctor) hac in re incommodum, nimirum, quòd sæpenumerò id genus reculæ sine Præpositorum licentia aliis dentur (modò quidem, inadvertenter; modò, quòd toties ad Superiorem cum hujusmodi nugis recurrere aliquem pudeat) quod etiam in causa est, cur alii eas subinde sine licentia & facultate recipiant; tum quòd illas recusare non audeant, tum ne quem: illas danti pudorem incutiant. Inde fit, ut alii partim in illo scandalizentur, partim scrupulum & remorsum sentiant. Interdum quoque per hæc donaria & munuscula, particulares quædam foveri alique solent amicitiæ ac familiaritates, quas sancti Patres admodum sugillant, quòd hæ (sicuti suo loco diximus) in summum fraternæ caritatis & unionis præjudicium cedant. Hanc ob causam hæc nostris, ait Sanctus Bonaventura, majoribus non placent; uti & in Religione nostra. Etsi enim id in nonnullis, ob ea quibus funguntur, ministeria tolcretur; in aliis tamen, nec superioribus id mox placere, & fratribus nostris sæpe scandalo esse, in confesso est. Religiosus quippe tam debet esse inops, ut quod det, non habeat. Hoc est, quod alios ædificat: qui autem minutias & reculas quasdam habere gestiunt quas aliis dent, nec proximum ædificant, nec tanti ab aliis ducuntur. Quocirca æquum videtur, ut hac

trahunt incommoda.

1. p. tract. 4. c. 18. *Proprietarii sunt mali exempli.*

hac in parte S. Bonaventuræ consilium sequamur.

Aliud paupertatis signum & exemplũ

15. Huc quoque non parum conferet, si consuetudinem moremque illum, quo sanctæ paupertatis virtus non mediocriter removetur, & quæ in Societate per Dei gratiam, satis exactè usurpatur, promovere studeamus: habere nimirum cubicula aperta, ac sine particulari Superioris venia, nullum armarium, pulpitum, arcam, aut aliud quid quod sera clauditur, habere. Omnia quippe Superiori aperta sunt & patentia. Adeò ut & ipso modo habendi ea quæ habemus, & quibus utimur, dicere palam videamur, Accipe id inde, si lubet. Benè autem id ponderavit Sanctus Hieronymus dicens: *Neque opus sit clavibus, ut jam ex ipsis monstretur exteriorum judiciis, quòd nil habetur extrinsecum præter Iesum.*

In Regul.

Contra incommoda aperti cubiculi & scrinii in Societate est sera triplex, qua cubiculum cujusque obseratur.

16. Etsi autem omnia ita in propatulo & aperta sint, à parte tamen domesticorum ea per Dei bonitatem, tutissima sunt. Vt enim id facile & securè facere possimus. S. P.N. regula quadam particulari sanxit. *Primò* quidem, ne quis alterius cubiculum sine Superioris facultate ingredi præsumat: qua inhibitionis sera & clave cubiculum nostrum meliùs custoditur, quàm clave ferrea. *Secundò*, ne quis è domo, vel fratris cubiculo, Præpositi injussu, quidquam accipiat: quæ secunda sera & clavis est, & quidem validissima. Omnia demum mirum in modum obsignat & confirmat ipsum *paupertatis votum*, *quod tertia catena est*, eaque solidissima. Tribus hisce seris & clavibus, ita fortibus, magis & conclave, & quidquid eo continetur, à domesticorum parte tutum & clausum esse debet (etsi omnia pateant, & in propatulo sint) quàm si ferreis januis & catenis obserata essent. Omnes ergo dare operam debemus, ut id passim observetur, quò semper latiùs promanet. Magna porro castigatione dignius foret, qui audacia sua in causa esset, ut isthæc simplicitas, sinceritas & perfectio, quam Societas quoad hoc observat, violaretur, atque in causa esset, ut res tam sancta, & in qua almæ paupertatis virtus ita resplendet, immutaretur. Quos graviter, & verbis efficacissimis, Sancti Basilius & Bonaventura perstringunt.

In constit. monast. c. 35. In spec. discip. p. c. 4.

Caput VIII.

Aliud ejusdem paupertatis spiritus obtinendæ, & in eadem perseverandi, medium.

III. Paupertatis S. medium, abdicare quædam necessaria.

1. AD paupertatis spiritus conservationem, & ad perfectionem ejusdem obtinendam, non parum quoque nos juvabit, si non superflua solùm à nobis abdicemus, verùm & operam demus, ut etiam in iis quæ prorsus necessaria sunt, & quibus planè carere non possumus, paupertatis virtus non reluceat, ut in omnibus iis, pauperes cùm simus, pauperes appareamus. Hoc nobis S. P.N.

Ca.4. Exam. gen.§.26 & reg.25 Sumar. Ignatius in Constitutionibus præscribit, & sedulò commendat: *Victus*, inquit, *vestitus*, *& lecti ratio erit*, *ut pauperibus accommodata* ; *& unusquisque sibi persuadeat*, *quòd quæ*, *vilissima erunt ex iis quæ domi sunt*, *ei tribuentur*, *propter majorem abnegationem*, *& spiritualem profectum*. Et alio in loco: *Diligant omnes paupertatem ut matrem*, *& juxta mensuram sanctæ discretionis suis temporibus ejus effectus aliquos experiantur.*

3.p.Cõst. c.1.§.25. regul.24. Sumar.

Non solum affectu, sed & effectu.

2. Vult ergo S. P. ut id quod vile, & omnium pessimum est, nobis desideremus: non tamen, ut nonnisi nuda semper concipiamus desideria, sed re & opere ipso aliquos interdum paupertatis effectus sentiamus: ut, etsi nunquam desit quod ad vitam ducendam necessarium est; semper tamen sit, in quo sanctæ paupertatis virtus exerceri queat.

3.p Cõst. c.2,§.3. & littera C.6.p. Const. c.2.§.5. & in declaratio nib.

Nec solum in genere, sed & in particulari, ex. g. vestitu servanda.

3. Neq; verò satis illi fuit, id ita in genere semel & iterum declarare; nisi etiam postea in sexta Constitutionum parte, ex professo & in particulari explicares, ac qualis noster esse vestitus esse debeat, ut, cùm is una ex parte Religiosus, ac ministeriis nostris conveniens esse debeat, ex altera tamen paupertati quam profitemur, respondeat. Tria porro in illo servanda monet: *Primum*, ut honestus sit, quia Religiosi sumus. *Alterum*, ut regionis in qua vivimus, consuetudini usuique accommodatus: propterea quòd nostra vivendi ratio, quoad exteriora, communis & vulgaris est. *Tertium*, ut paupertati non adverseur. Tunc autem (ut eo loco declarat) vestis nostra paupertati adversaretur, si è panno subtiliore conficeretur. Et hunc etsi parentes, consanguinei, amici, ac benefactores nostri dare cuperent, nostrum est eum minimè usurpare: neque enim ea paupertati, & Constitutionibus nostris consentanea, vestis foret.

4. Objiciunt autem nonnulli, panno pretiosiore uti longè utilius & compendiosius videri, quòd ex eo panno confecta vestis diutiùs duret, quàm duæ vel tres aliæ, è panno secundario: proinde majorem paupertatem videri, si talis ad usum comparetur. Sed hæ mundi & carnis rationes sunt. Potius certè est, paupertatem relucere in veste quam gestamus, & in eo quòd pauperes videamur, & ad instar pauperum vestiamur (quoniam pauperes sumus) quàm in omni, quæ excogitari possit, parsimonia & compendio. Ad hæc, non in vestis materia tantùm, verùm & in ipsius forma, paupertas eluceat necesse est: nam, si quis vestem omni ex parte perfectam, laxiorem, & magnificam habere vellet; ea pauperi Religioso consentanea ac decens minimè foret.

Objectio contra paupertatem vestitûs dissolvitur.

5. Duo tantùm S. P. N. in vestitu spectari vult: *Primò*, decorem & honestatem; *deinde*, ut nos à frigoris injuria defendat, ob hæc enim duo vestis primò usurpari cœpit, & hic primarius ejus est finis. Est hæc quoque doctrina Sancti Basilii, qui ad hoc propositum adducit illud

3.p Cõst. c.2.litt. C. Duæ vestitus regulæ servandæ sunt. In reg. fusius disp. interrog. 22.

1.Tim.6.8. illud Apostoli: *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus.* Vbi sanctus quidam expositor ait: *Nota, dixisse Apostolum, Alimenta, non oblectamenta: &, quibus tegamur, non quibus honoremur.* Satis nobis esse debet necessarium; reliquum, quod magnificentiam & inanem ostentationem spirat, à Religione prorsus est proscribendum, & nullatenus permittendum, quia vanitas & profanitas est.

Damnatur vestiendi ratio regulis repugnans. Exemplum. p.7.l.1. c.19. 6. Apage procul hæc omnia: ne quis per hoc ostium & rimam, mundi nidor ad nos penetret. Quàm etiam S. Franciscus in sua Religione olim hoc timuit! Nam cum F. Elias (ut in Chronicis Ordinis scribitur) magni vir in eo nominis, quique etiam ut Generalis Ordinis Minister ei præfuit, vestem sibi oblongam, undantem, ac manicis follicantibus, & è panno subtiliore parasset; eum Franciscus evocatum jussit coram multis fratribus vestem quam indutus erat, sibi exhibere. Hanc acceptam, protinus suæ superinduens, cœpit plicas sinum eius disponere, caputium accommodare, & manicas duplicare, idque gestibus quibusdam vanitatem sæcularem spirantibus. Tum erecta cervice, pectore turgido & inflato, gressu superbo incedere: mox voce sonora, & ad gravitatem composita, fratres præsentes compellare, dicens, *Salvete gens honorata.* Stabant attoniti fratres, visis & auditis iis, quæ vir sanctus faciebat & dicebat. Hac tandem scena peracta, magno quodam fervore & zelo, indignabundus & stomachatus vestem hanc exuit, & quàm poterat contemptissimè à se procul abjecit, F. Eliæ, audientibus omnibus, dicens. *Ita quidem degeneres Ordinis filii, vestiti incedunt.* Deinde in suo humili, contemptibili, angusto & curto habitu manens, vultu ad hilaritatem & mansuetudinem composito, magna cum humilitate & benignitate fratres suos alloqui, ac summa illos mansuetudine ad paupertatem & humilitatem exhortari cœpit. Ne simus ergo, fratres, spurii ac degeneres Religionis filii, sed legitimi, ut in omnibus matri nostræ sanctæ paupertati similes inveniamur.

7. Vestis nostra talis esse debet, qualis decet pauperes, nimirum, ut in ea reluceat paupertas, & ex ea pauperes nos esse appareat. Et propterea deberet etiam adhuc minus esse, quàm decenter ipsi facere possumus; necnon aliquanto infrà eum gradum descendere, quem suo nobis mundus judicio admetitur. Neque enim in vestitu pauper ille dicitur; qui quidquid ad vestitum necessarium est, completissimè habet, nec in eo pauperem se esse ostendit; sed ille, cui aliquid etiam deest de eo quod necessarium est. Vnde etiam suprà diximus, veram paupertatem consistere in eo, quòd gaudeamus cum aliquid nobis etiam deest eorum, quæ necessaria videntur: & eum, qui nullam prorsus necessitatem pati ac perferre vult, nondum ad paupertatis spiritus perfectionem pervenisse. Ratio vestitus nostri.

8. Quod de vestitu dictum est; Vti de Vestitu, etiam est de reliquis rebus, quæ ad usum nostrum serviunt, intelligendû: sic etiam de cæte-

ris ut victu, habitatione & utensilibus est sentiendum.

nam in omnibus illis procurare debemus, ut sanctæ paupertatis virtus ubique reluceat, & deforis appareat esse nos pauperes; in cubiculo aliud non habendo, quàm quod omnimodis necessarium est, atque id etiam vilissimum, puta mensam pauperrimam, lectum contemptissimum; denique quod domi pessimum est, tibi ut cedat, velle debes.

Ratio Librorum.

9. Libros verò, qui tibi minimè pernecessarii sunt, ad Bibliothecam communem deferas, ne tibi magnificum puta quòd multos in cubiculo libros habeas. S. Bonaventura porro hac in parte satis ad particularia & minuta descendit, Religiosum etiam atque etiam monens, ne quidquam habeat præter res necessarias: atque hæ etiam procurare debet ne sint nimis curiosæ, vel elegantes; sed secundariæ, ineptæ, veteres & detritæ. Nolito velle, ut libri tui optimè & nitidè sint compacti, aut ut Breviarium vel Diurnale tuum, curiosum sit, pulchrum, scitum, singulare.

De informat. Novit. p. 2. c. 9.

Pauperi Religioso etiam à reculis abstinendum piis.

10. Ne circumferas quoque imagines curiosas, neu rosarium magni pretii & valoris. Si quem verò Agnum Dei, vel crucem, vel thecam reliquiariam, devotionis ergo habueris, conformia ea sint paupertati, quam profitemur: quanto vero in his eris pauperior, tanto Deo sanctisque omnibus eris carior. Hinc D. Franciscus dicere solebat, spiritus emortui signum esse, curiosa quædam, & quæ minimè sunt necessaria, habere.

p. a. l. 2. c. 19. Chrō. Minor.

11. Qua enim alia re, ait, spiritus tepidus, & calore gratiæ destitutus, cōtegi ac foveri meliùs potest, quàm frivolis hisce reculis? quoniam enim nullam in rebus spiritualibus consolationem invenit, hinc in exterioribus his delectatiunculis eam quærit. Est autem hæc evidentissima & probatissima quædam veritas. Atque ideò tanti nugas & inanias has Superiores nostri facere solent. Primò quidem intuitu & ratione ipsius paupertatis: deinde, quòd norint, nullum in homine esse spiritum posse, cùm id genus nugis animum applicat. Neque verò in his solùm, verùm etiam in necessariis (uti jam antè dictum est) pauperes nos esse & videri oportet, gaudentes, cùm etiam in his quid nobis deerit, quo Iesu Redemptori nostro hac ratione assimilemur, *qui cùm esset dives, propter nos egenus factus est*, & tantum (etiam in rebus necessariis) defectum ac penuriam sentire dignatus est, famem, sitim, frigus, defatigationem ac nuditatem perpessus. Vnde Sanctus Bernardus: *In cœlo*, inquit, *maxima bonorum & divitiarum erat abundantia, sed non inveniebatur paupertas: porro in terris ingens quidem mercis huius erat copia, homines tamen eius pretium & valorem nesciebant. Quid fecit ergo Dei filius? Ceu prudens mercator, erga mercem hanc affici cœpit, eamq; in humeros sustulit, ut hoc pacto & homines eam cognoscerent, magnifacerent, & multum sibi ex ea coemerent, cum tanti ipsa in regno cœlorum sit valoris ac pretii.*

Ex spiritu paupertatis revelantur multa secreta cordis.

2. Cor. 8.

Serm. 1. in Vigil. Nativit.

CAP.

CAPUT IX.

Ea quæ dicta sunt, exemplis confirmantur.

Lib. vir. illust. Ordin. Cister.

Vestis panni pretiosi instar ferri candentis ululat.

1. ABbas quidem Ordinis Cistertiensis in Saxonia, cùm non contentus esset panno, qui in terra patria texebatur, quotannis subtiliores & pretiosiores e Belgio pannos petebat, è quibus dein vestes sibi parabat. Qui cùm jam vita functus esset, monachi vestes eius inter se dividere cœperunt: Monasterii verò Priori aliquot de tunicis illius obtigerunt: quarum unam cùm nocte quadam, ratione festi solennioris, induisset, tanquam si laminas quasdam candentes corpori applicatas sentiret, clamare cœpit, toto se corpore velut aduri: atque hæc identidem vociferans, ilicò vestem à se abjecit. Quam mox omnes monachi scintillas quasdam ignitas à se emittentem viderunt, quasi ferrum candens fuisset. Hoc prodigio attoniti & perterriti omnes, qui aliquid de defuncti Abbatis vestibus sumpserant, statim id eôdem detulerunt: quibus in unum acervum congestis, ecce subitò ex omnibus partibus scintillæ igneæ, velut è fornace quadam succensa, emicuerunt. Tamdiu verò hoc prodigium duravit, ut de eo omnes vicini Abbates certiores reddi potuerint; qui quamprimùm illuc advolantes, suis rem oculis notarunt, & horrendo huic Dei judicio testimonium perhibuere.

Cæs. lib. 4. dial. c. 12.

2. Vir quidam nobilis, quoddam Benedictionorum in Gallia cœnobium gravibus modis divexabat. Statuerunt ergo monachi de suis quendam ad Regem Philippum destinare, qui de iis, quæ iniquè patiebantur, gravaminibus apud eum conquereretur, remediumque exposceret. Miserunt igitur ad aulam monachum juvenem & domi non ignobilem, quem ob parentes & consanguineos in aula claros benignè sperabant à Rege audiendum. Is ad Regem cùm venisset, dixit: Quidam monasterio nostro graves injurias intulit, cuius vim rogo Majestas vestra reprimat & impediat, & ea quæ nobis abstulit bona, restituere eum compellat. Rex, monachi vestem & agendi modum curiosè considerans, petiit, quisnam esset? Cognito verò, eum Equitis cuiusdam celebris filium esse, dedita opera alia omnia ac præter rem respondit; donec monachus denuo loqui orsus, ait; *Verè, Domine, quidquid in Cœnobio habebamus, iniquus ille nobis abstulit, vix ut quidquam nobis reliquum fecerit.* Tum Rex, *Id verò vel ex calceis tuis apparet: Nam si vel pauxillum corii vibis is reliquisset, non essent ii tam semestrati & angusti.* Quo ceteris nobilior es, eo esse debes humilior. Eum verò confusum ac subtristem lenire cupiens, addidit; Minimè tibi gravis monitio mea videatur, quia ex boni & utilitatis tuæ amore ea profecta est. Revertere ad propria; equidem dabo operam, ne quam nobilis ille posthac ampliùs injuriam vobis inferat.

Monachus ob vestitum à Philippo Rege reprehenditur.

Cæsarius l. 4. c. 13.

3. Non absimile idem Cæsarius exemplum capite sequenti refert de Philip-

Philippo Rege Romanorum, qui eodem propè modo Abbati cuidam Cistertiensi respondit. Cùm enim hic cum Rege de conventus sui necessitatibus & angustiis ageret; Rexque eius calceos scitulos & elegantes aspiceret: Satis, inquit, apparet è calceis tuis, domus tuæ res satis angustas esse, cum corio coemendo vix sufficere queant. Quo responso Abbas accepto, mire confusus recessit.

1.p.li.2. cap. 20. Chron. Minor. 4. Guardianus quidam Franciscanorum, B. P. Francisco satis familiaris, quoddam in usum fratrum oratorium construxit, & juxta illud cellam, etsi aliquantulum inde remotam, in qua vir sanctus habitaret, & orationi se daret, cùm ibidem commorari, ac diutiùs manere vellet. Erat autem cella è ligno ruditer dolato tantùm constructa. Ad quam cùm is Franciscum recens huc appulsum duxisset, ut ipsam inspiceret; ille dixisse fertur: *Si me, frater, hanc cellam inhabitare vis, intus eam viminibus ramisq; arborum circumvestias, ut in his paupertas reluceat.* Quòd cùm factum esset, ad dies aliquot in eadem est commoratus.

S. Franciscus vili cella delectatur.

lib. 4. c. 2. vita. 5. B. P. Franciscus Borgia, in omnibus rebus suis verum se pauperem, & perfectum paupertatis amatorem exhibebat in victu, cultuque corporis, in lecto & cubiculo: quin & in rebus minutis, aut in charta, qua conciones excipiebat; in foco, qui aliquando illi nec nisi in summa necessitate struebatur, & in aliis id genus rebus; hinc ab eo nulla ratione impetrari potuit, ut novos calceos, aut caligas novas indueret. Aliquando quoad hoc, illum fallere voluerunt, nova in locum veterum femoralia, antequam surgeret, supponendo: sed in irritum pia illa fraus cecidit, & decipi oculatissimus: ille paupertatis amator non potuit. Cùm eleemosynam ostiatim emendicabat, frustilla & buccellas panis, quas aut ipse aut alii deforis afferebant, maiori gustu comedebat, quàm de integro, qui in mensa domi ponebatur, pane. Ne quidem in itineribus suis, quantumvis longis & laboriosis, & quantumvis valetudo afflictissima id exigere videbatur, permittebat ut vel sindonem mundam socius circumferret, veritus ne in sanctæ paupertatis jura peccaret. Non rarò, tempore perfrigido, in saccis straminеis, sub tecto imbribus & ventis undiquaque pervio somnum capiebat: idque tanta voluptate & gaudio, ut sociis suis admirationi & confessioni foret. Illius cudo & penula viatoria tam hieme quàm æstate, non erat alia quàm pallium, quotidianum, quod invertere & duplicare solebat ne luto inquinatum deterius fieret. Et velut miraculi loco habendum videbatur, cùm aut ocreas, aut aliud contra pluviam munimentum admittebat: quod petaso suo diceret, satis solis æstum, & pluviæ injurias posse arceri. Hinc non rarò ad diversoria veniebat, totus perplutus & madidus, & frigore rigens: cùm autem hoc in statu ad hospitium veniens, ipsum vel non satis instructum, vel multis necessariis rebus destitutum inveniebat, insolito quodam gaudio perfundebatur. Nulla unquam

B. Francis. Borgia in omni re paupertatem sectatur.

Frustis panum mendicatis cum voluptate vescitur.

Methodi de paupertate tractandi ratio.

Obligatio voti paupertatis, cũ confectario.

quam ejus tanta fuit infirmitas, nullum frigus ita intensum, ut suo lecto ac cubiculo, quoddam, ad frigus arcendum, velamentum obtinendi pateretur: cùm etiam delicias sapere illi videretur, si vel parva aliqua storea ad cervical affigeretur, quæ quidem omnia eo erant in ipso gratiora & mirabiliora, quò is plura ac majora in sæculo libens volensque abjecerat.

Caput X.

Ad quid, & quomodo paupertatis voto Religiosus obligetur.

Methodi de paupertate tractandi ratio.

1. IAm reliquum est, ut in sequentibus ostendamus, ad quid nos in tigore paupertatis votum obliget, quando contra ipsum delinquatur, & quando id letale delictum futurum sit. Decet enim Religiosum nosse, quæ sua sit ex ratione status, nec non ob vota quæ fecit, obligatio. Aliàs tractavimus, quæ perfectionis sunt; nunc quæ sunt obligationis tractabimus, quæ semper primum, ac velut fundamentum esse debet, super quod reliqua omnia sunt inædificanda. Quàm ergo possumus succinctissimè, in unum hîc colligemus, quæ quoad hoc Doctores tum Theologi, tum Canonistæ tradunt, eaque ex ipsomet Iure Canonico, & Sanctis Patribus deprompta.

Obligatio voti paupertatis, cũ consectario.

2. Votum itaque paupertatis ex se Religiosum *obligat, ut nullum ullius rei temporalis, sine legitima Superioris licentia, dominium, proprietatem & usum habeat.* Hæc est communis omnium Doctorum sententia, & expressè in sacris Canonibus declarat. Hinc sequitur *primò* Religiosum ex voti paupertatis obligatione, nullam prorsus rem temporalem habere, possidere, dare, sumere, accipere posse, ad eandem aut retinendam, aut utendum, aut de illa disponendum, sine expressa Superioris facultate. Hoc namque proprium est ejus, qui rei proprietarius ac dominus, aut de facto est, aut esse potest: unde qui secùs faceret, votum paupertatis violaret. Ita id inferunt ac docent Doctores omnes, & ita in sacris Canonibus expressum & declaratum est.

Habetur c. cum ad monaster. de statu mona. c. Monachi eod. tit. c. Ex parte. de ca. & 11. q. 1. Non dicatis. c. Nolo c. Expedit. c. Scim⁹. & Clem. ne in agro Dom. de statu monach.

Consectariũ 2.

3. *Secundò*, hic consequitur, non solùm illum contra paupertatis votum facere, qui aliquid de rebus domesticis, Superiorum injussu, capit, retinet, dat, aut de eo disponit: verùm & eum, qui ab externis, ut parentibus, amicis, benefactoribus, quid, sine Superioris permissu, accipit, retinet, vel de eo disponit. Hæc quoque est communis sententia Doctorum, & in jure Canonico, velut res certissima, statuta. Hæc sunt omnis hujus materiæ principia, ac velut fundamenta; & super hæc struendum, quidquid hic à nobis dicendum est, ex hisce principiis conclusiones, ad casuum particularium, qui occurrere queunt resolutiones, eliciendo.

Quomodo eandẽ doctrinã S. Ignati⁹ inculcarit.

4. Quæ quidem omnia, S. P. N. suis in Constitutionibus, de hac ipsa materia loquens, nobis proponit & exprimit, suntque eadem in regulas

regulas relata, ut ea velut in oculis habeamus. Regula quippe vigesima sexta ait: *Intelligant omnes, quod mutuo dare vel accipere, vel dispensare quidquam de iis quæ domi sunt, minimè possunt, nisi Superior conscius consensum præstiterit.* Ne quis verò putaret, solum contra paupertatem esse, sine Superioris venia aliquid è rebus domesticis accipere & dispensare; non verò, hujusmodi quid ab externis recipere, aut de recepto ab illis, Superioribus insciis, disponere; hinc secundum hoc in alia regula declarat, dicens: *Nemo rem ullam ex domo, vel ex alterius cubiculo sibi usurpet, aut ab externo quovis modo sibi, aut alii accipiat, sine Superiorum licentia.* Hisce duabus regulis breviter S. P. N. complectitur id, ad quod in rigore ex paupertatis voto nos obligamur.

3.p.Cōst. c.1.§.8.& reg.26. Summarii.

Reg.9. Cōmun.

Aliter Regula, aliter votum obligat, & sæpe ad idem.

5. Porro nemo sibi imponere debet, cogitando, non esse peccatum, aut saltem non mortale, regulas has infringere, quòd nostræ constitutiones & regulæ ad peccatum non obligent. Fieri enim posset, aliquem quoad hoc graviter decipi, dicendo, Videbam equidem me contra regulam facere, dum illud ab alio accepi, vel alteri dedi; sed quia regulæ nostræ ad peccatum non obstringunt, non putavi peccatum esse, sed tantùm me contra regulam quandam delinquere.

Votū paupertatis obligat etiam ad mortale peccatū.

6. Fateor quidem, regulas & constitutiones nostras ad peccatum non obligare (uti id in his ipsis constitutionibus S. P. declarat;) id nihilominus certum est, vota essentialia, quæ facimus, ex se ad peccatum, & quidem mortale, obligare. Atque ita id eo loco S. P. disertis verbis declarat, ne quis ullam prætendere ignorantiam, aut inde errandi occasionem capere possit, etsi alioquin res ex se nimis quàm sit clara: Liquet enim, quòd, sicut Religiosus castitatem violans, mortaliter contra votum, quoad eam se obligavit, peccaret, & novum sacrilegium admitteret; pari modo, qui votum paupertatis prætergreditur, mortaliter contra ejusdem votum, quod concepit, delinquat. Nullum de hac re dubium est: liberum quippe tibi erat, in mundo cum tuis opibus manere, eisque ad libitum uti, nec in Religionem intrare, & votum paupertatis non facere: at jam, postquam eam ingressus es, & paupertatis voto te obligasti, in tua manu non est vel argenteum unum accipere, vel aliquid sine licentia possidere; quia ad id voto nuncupato te obstrinxisti.

6.p.cōst. c.5.

Act.5.1.

Mortis pœna irrogata violatoribus voti paupertatis.

7. Hoc est, quod Petrus Apostolus in Actis Apostolorum Ananiæ ac Sapphiræ, qui votum paupertatis (uti volunt sancti Patres) fecerant, oggessit: cùm enim agrum quem possederant, vendidissent, & ejus pretium pro more, ad pedes Apostolorum detulissent, aliquam ejus partem sibi reservarunt, pluris eum se vendidisse negantes: ait verò ad virum Apostolus: *Anania cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat*

Act.5.3.

Regula nostra quomodo ad peccatum obligent.

vat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Vix verba finierat, cùm ecce eum divina est subsecuta castigatio: derepentè enim concidens, in loco exspiravit. Uxorem quoque ejus Sapphiram, quæ fraudis hujus fuerat conscia, idem interitus excepit. Et additur in sacro textu: *Et factus est* Act.5.12. *timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hac.* Ergo & nos æquum est timere, ne quid contra paupertatis votum committamus, cum ejus prævaricatio tam à Deo acriter puniatur.

8. Ut ergo ad propositum revertar, dico, si tantum regula aliqua ad paupertatem obligaremur, contra ipsam facere, peccatum non foret: at, cùm Constitutiones vel regulæ materiam alicujus voti continent ac declarant, dicunt obligationem sub peccato: non tam quòd vim illæ habeant ad peccatum obligandi, quàm ex obligatione voti ad hoc obstringenti, v. g. dum continent & declarant materiam castitatis, aut legis naturalis, dicunt obligationem sub peccato, non quidem ex virtuté regulæ, sed ex obligatione, quam castitas aut ipsa lex naturalis includit.

Regulæ nostræ quomodo ad peccatum obligent.

9. Quoniam verò hæ regulæ voti paupertatis substantiam, & ad quid tale votum hominem ex se obliget, declarant; hinc, qui contra istas regulas faciet, peccabit; non tam quia regulam violat, quàm quia paupertatis votum, quod in illa concluditur, frangit. Quare non propterea regulas has præ oculis habere debemus, ut hinc occasionem capiamus cogitandi, id solùm regulam esse & ideò esse contemnendam: sed, ut, hoc præsupposito, cogitemus, his totam voti paupertatis substantiam, & ad quod ipsa in rigore obligat, summatim comprehensum contineri; & quidem è Jure Canonico, & ex omnibus (uti diximus) Doctoribus, depromptum. Vnde de Religiosis in communi viventibus loquens Sanctus Augustinus, ait: *Certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine Superioris licentia debere.* Quod ad litteram idem est cum eo quod regula nostra præscribitur.

De communi vita Cleric. & habetur c. Non dicatu 12. q.1.

10. Hoc est, verè pauperem esse: nam posse ex sua voluntate & arbitrio, prout lubet, & sine alterius facultate, rem aliquam temporalem accipere, dare, possidere, vel dispensare, hoc est esse proprietarium; & per consequens, voto paupertatis repugnat.

Quis sit proprietarius.

11. Vt autem hoc (quod velut primum in hac materia, principium tenendum est) meliùs intelligatur: notandum est, hanc à Doctoribus Theologis & Jurisconsultis statui inter usum & dominium rei alicujus, differentiam: quòd qui ejus dominus est, communiter de ea facere possit quod placuerit, eam dare cuicumque voluerit, &, prout visum ei fuerit, eam mutuo dare, vendere, impendere & dispensare, at qui ejus absolutè dominus non est, sed tantùm usufructuarius, non potest

Quid sit discrimē inter usum & dominiū.

de ea prout voluerit disponere neque alteri eam dare, aut vendere, aut alienare: sed tantùm ea uti ad eum usum, ad quem illi fuit concessa. Id etiam exemplo declarant. Sicut, inquiunt, qui alium ad convivium invitat, solùm ei facultatem dat illic comedendi de omni eo quod apponitur, ferculorum autem appositorum eum dominum non facit: hinc nec ea domum deferre, nec cuipiam de iis sportulas mittere, nõ item vendere, non denique de iis prout voluerit, disponere potest: sed usum dumtaxat & facultatem habet comedendi illic de eo quod voluerit. Ideo, usum distingui dicunt à dominio, etiam in rebus usu consumptibilibus, & quidem usu primo.

Religiosi privati usum rerum communiter habent non Dominium.

12. Taliter ergo, ut docent Doctores, se habent Religiosi particulares, etiam circa illa quæ Superioribus annuentibus habent: solus quippe usus eorum ipsis conceditur, ut illa usurpare, & in usum suum convertere possint: hinc certum est, te vestem, quam habes, sine Superioris facultate, alteri cuipiam dare non posse, quia non est tua: &, si absque facultate eam dares, in paupertatis votum peccaturum; ita namque te absolutum eius dominum faceres, cùm de ea facias quod lubuerit. Et quod hac de re dico, etiam est de reliquis rebus quibus utimur, intelligendum; quippe nefas est te aliis, breviarium, portifolium, aut galerum, sine venia Superioris dare: nihil enim horum tuum est. Solùm tibi datum est iis ad usum proprium uti, sicut convivæ dum invitatur, usus datur ciborum.

Bonaven. in specul. discipl. p. 1. c. 14.

Hoc vero exemplum semper in memoria habeamus oportet, quia peridoneum est, & rem de qua agimus, accommodè declarat.

13. Quòd si ne de iis quidem quæ cum licentia Superioris in usum proprium possidet, Religiosus tacere possit quodcumque voluerit, nec ea aliis dare; evidens est, multo eum minùs de reliquis quæ in domo sunt, sine Superioris venia dare, accipere ac disponere posse, aliquid è vestiario, bibliotheca, refectorio, penu, aut alio quopiam loco, accipiendo, tam ut id aliis det, quàm in usum proprium convertat. Hoc enim adhuc evidentiùs contra paupertatem foret.

Si de sibi concessis nequit disponere Religiosus minus de cæteris id poterit.

Caput XI.

Ostenditur, contra paupertatis votum esse, citra Superioris veniam aliunde quid accipere vel dare, etiamsi id de domo acceptum non esset.

Re. 3. c. 18.

1. Iam antè diximus, ex communi Doctorum sententia, non modò voto paupertatis adversari, aliquid è rebus domesticis in usum proprium accipere, alterive sine Superioris licentia dare; verùm etiam, aliunde quid, ab aliis sine hac facultate accipere: usque eò, ut, si quis amicus, vel benefactor, vel pater, vel cognatus tuus, tibi, ad vestem, ad librum, aut aliud quodcunque comparandum, aliquid elargiatur, tuque ipsum Superioris injussu recipias, vel possideas, vel eo utaris: contra votũ paupertatis peccaturus sis: sive id ipse

Etiam ab extraneis accipere aliquid repugnat paupertati.

ipse ab eo petas, sive non petas, sed non petitum ac sponte, tum amicitiæ, tum eleemosynæ, tum etiam cognationis, aut quocunque alio titulo tibi detur.

Quomodo accipiendo à sponte dante tamen peccetur?

2. At dicet aliquis, Fateor equidem, quando res illa domui propria est, eius usurpationem contra votum paupertatis videri; at, quando externus quislibet eam mihi donat, quomodo hoc pacto in paupertatem peccetur, non video: cùm de domo quidquam nõ accipiam, nec aliquam illi injuriam aut nocumentum inferre videar; sed potiùs ei prodesse ac benefacere, hac ratione parcendo iis quæ ipsa mihi dare debebat. Quodnam hac in re peccatum est? contra quod præceptum hic peccatur? Dico, ordinariè furti peccatum hic intervenire, & contra septimum Decalogi mandatum sic peccari. Id satis eruditè sua in Regula tradit S. Augustinus: *Quod si aliquid*, inquit, *detur alicui, redigatur in communem rem; & cui necessarium fuerit, præbeatur.* quibus verbis indicat, quod si quis Religioso quid dare velit, verbi gratia parentes filio vestem, vel aliud quidlibet; non id Religioso illi, abstractè considerato dari sed ut talis est conditionis. Hic vero religionis suæ professione non est suus, sed communitatis certæ membrum. Hoc autem aliquid sine facultate accipere non potest, sed Superior sive caput, sub quo membrum est. idque non ad huius solius usum, sed domus totius & communitatis, ut detur illi qui eo magis opus habere videbitur. In hoc enim consistit ratio capitis moralis.

Reg.3.c.18.

Hinc si, quæ tibi missa fuit, vestem alteri dare Superior velit, id tibi grave non videatur, quia non est tua: sed communitatis, statim enim ac domum subit, redditur communis, & tam mea quàm tua est.

3. Sed, ut ad rei caput veniatur, ilico S. Augustinus subjungit: *Quòd si aliquis rem sibi collatam*, & sine Superioris facultate acceptam, *celaverit*, nec ei declararit. *furti judicio condemnetur.* Nec diversus ab illo abit S. Basilius sic scribens: *Furtum est privata rei*, nescio Superiore, *possessio.* Cui autem eam surripi putas, cui furto tolli? Religioni toti & communitati, inquit Basilius: *Societatis*, inquit, *expilatio est, rei cuiuscunque, & undecunque in privatum usum sevocatio.*

Definitio S. Augustini & Basilii.

In Const. monast. c. 35.

4. Neque verò est, ut hyperbolicè quis sanctos illos Patres locutos hîc esse credat, ubi aliis interdum in rebus exaggerativè loqui solent, ut eum quem alloquuntur, magis percellant, & terreant. Non, inquam, hoc loco sic loquuntur, sed hæc èst plana apertaque quædam veritas, ac communis Doctorum omnium opinio, in quodam principio, in quo communiter omnes conveniunt, fundata, nimirum, Religiosum, per votum paupertatis se habendi dandive prorsus incapacem & inhabilem reddere. Nam sicut jam non est amplius suus, sed Religionis; ita quidquid acquirit, accipit, vel habuerit, statim ac in jus illius quomodocunque transit, Religioni cedit & acquiritur.

Eaq; non est hyperbolica, sed fundata in ratione communi DD.

Proventus ex officio personis religiosis obvenientes sunt ordinis.

5. Vnde, si cui Religioso cathedra aliqua Doctoralis, vel alius quislibet census obtingit (sicut Salmanticæ eos habere constat) stipendium illud scholasticum atque emolumentum, non tam Religioso, quàm Monasterio illius cedit; unde hæc Superior illius, aut eius nomine procurator recipit, perinde ac alios Monasterii redditus: Religioso verò cathedram hanc occupanti, Superior de omnibus quibus opus habet, prospicit, sicut etiam prospicere debebat, esto cathedram hanc non haberet.

Fur est qui accipit quid, aut retinet absq; licentia.

6. Vnde luce meridiana clariùs patet, Religiosum quid ab alio accipientem, & sine Superioris voluntate retinentem, furti crimen committere, statim quippe atque in jus Religiosi illud transcribitur, ipsius Religionis est: proinde si id sine præpositi veniâ sumat & retineat, contra voluntatem eius id usurpat, & religioni furatur. Furtum namque sic definiri solet: Rei alienæ contra domini voluntatem, acceptio vel retentio. Vnde consequitur, quòd, si Religiosus id alteri sine licentia, tametsi titulo eleemosynæ donet, acceptor ille nullum eius jus aut dominium acquirat; sed Religioni ipsum teneatur restituere.

Similiter qui ab extraneis donata exteris donat.

7. Hinc etiam videre erit, quàm graviter errent ii, qui se parenti, pœnitenti, amico, librum, imaginem, reliquiariam thecam, aut quid huiusmodi liberè dare posse existimant, quòd hæc se non à domo, nec à Superiore, sed ab alio quolibet externo accepisse dicant. Quare sicut furtum & voti paupertatis fractio est, aliquid quod domus est, non conscio Superiore capere, dare ac dispensare: ita non minus furtum est, aliquid ab externo sine Præpositi venia capere, recipere, aut receptum possidere ac dispensare.

Deinde esto non sit furtũ, est tamẽ violatio voti.

8. Notandum porro hîc, quòd, etsi id furtum non esset, nec aliquod hoc pacto domui, monasterio, aut alicui privato damnum noxave, inferretur (uti quopiam in casu contingere posset;) mortale nihilominus suo in genere peccatum foret, temporale quid, ignorante Superiore, accipere, sumere, uti, aut de eo ad libitum disponere. Per paupertatis quippe votum: Religioso hoc illicitum est, & ad hoc se ipse (quemadmodum diximus) incapacem reddidit: &, quicunque tale quid à Religioso acciperet, adeò eius sibi dominium non compararet, ut etiam ad accepti restitutionem obligaretur: quoniam id accipit ab eo, qui dandi inhabilis & impotens est, sicut qui ab impubere & pupillo quid acciperet.

Exemplum. Li. 4. Dialog. c. 55. *Religiosus punitur graviter à S. Gregorio accipiens pecuniam à fratre sine venia.*

9. In rei huius confirmationem facit id quod olim S. Gregorio Papæ contigit, cum Monacho quodam eius Monasterii, quod in Vrbe ipse cùm Pontificatum gereret, construxit, quodque tam ipse in libro Dialogorum, quàm in Vita ipsius Surius commemorant. Quidam ergo loci illius monachus, Iustus nomine, à fratre suo viro sæculari petiit, quandam ut sibi tunicam compararet. Frater, manu ad crumenam admota, tres inde argenteos educens, En tibi, ait,

ait, tres argenteos, ex iis ipso ad lubitum tunicam eme. Ita quidem Surius, qui hoc se ex ipso originali & autographo transscripsisse asserit; tametsi in S. Gregorii Dialogis, tres aureos fuisse nummos dicatur. Verumtamen parum ad rem nostram facit, tresne fuerint argentei, vel aurei; & sanè ad tunicam coemendam tres ea tempestate argentei satis erant, & plusquam satis. Sed veniamus ad id, quod ad propositum nostrum facit: nempe, monachum illum tres hosce argenteos, aut, si mavis, aureos, inscio Abbate accepisse, & in cella asseruasse. Contigit autem interea, ipsum in gravem morbum incidere. Fortè alius quis, casu nescio quo didicit, hunc tres illos argenteos penes se habere. Vnde, religione ductus confestim Abbatem pecuniæ huius reddere certiorē voluit: perinde atque etiam nos regula quadam jubemur, si quid grave de aliquo fratrum noverimus, statim id ad Superiorem referre. Abbati gravis hic casus videbatur, ac dignus super quo Pontificem consuleret. Ergo S. Gregorium adit, rogaturus quid sibi hic faciendum foret. Inhibet ergo Gregorius, ne quis monachorum ægrum hunc inviseret, nec alloquio dignaretur; sed omnes eum ut excommunicatum aversarentur, quòd paupertatis votum violasset. Adhæc, ne, cùm jam expirasset, cum aliis in loco sacro, sed extra Monasterii septa in sterquilinio, sepelirent, super cadaver autem tres illos nummos projicerent, illi imprecantes, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Ergo cùm ex hac infirmitate demortuus esset, omnia ex ordine, uti Pontifex jusserat, facta sunt. Addit autem Gregorius, tanto factum hoc universam domum timore & horrore complesse, ut universi monachi cellas suas & reculas, quas etiam cum licentia habebant, quæque licitè haberi poterant, excutere cœperint, & ad superiorem securitatis ergo detulerint, ne quid paupertati repugnans possiderent. Ex hoc, aliisque priscorum illorum Patrum exemplis, est hæc per sacros Canones, contra Religiosos, qui proprietarii demoriuntur, pœna constituta. *c. Monachi 18. c. Cum ad Monasterium. de statu monach.*

Caput XII.

Descenditur ad casus aliquos particulares, in quibus paupertatis votum violatur.

1. Ex his principiis & communi Doctorum doctrina, quam attulimus, particularium qui occurrere possunt, casuum resolutiones peti darique possunt. Et, quoniam moralia hæc optimè per exemplificata & casus particulares declarantur, aliquot id genus casus hoc loco afferemus, è quibus reliqui haud difficulter intelligentur, itaque materiæ huic abundè erit satisfactum. *Vtile est in moralibus ad particularia descendere.*

2. *Primò* igitur dico, & è dictis infero, si Superior Religioso cuipiam pecuniam, ad iter quoddam suscipiendum det; eum ex illa nec rosaria, nec imagines, neu quid aliud simile, sive in usum proprium, sive, ut aliis donet, comparare posse, nec Agno *Primus Casus in viatici, ab ordine suo dati, usibus.*

Dei, vel thecæ ſuæ reliquiariæ adornandæ inſumere: etſi aliàs in victu per viam ſit parcior, & tantum non impendat, quantum licitè in diverſoriis inſumere poſſet. Ratio eſt: quia hæc pecunia ei nonniſi ad eum uſum datur, ut illa per viam utatur: ideoque omne, quod in ea non inſumet, quomodocumque demum id fiat, ad Superiorem, à quo miſſus eſt; aut ad eum, ad quem proficiſcitur, referat oportet: ſi quid verò ſibi reſervet, vel in alium uſum inſumat, Religioni ſuffuratur, & contra votum paupertatis peccat. Intelligendum tamen hoc eſt, quando Religio Religioſo omnia, quæ ad iter neceſſaria ſunt (quemadmodum in noſtra fieri conſuevit) ſubminiſtrat. Nam aliud eſſet, ſi tantum, & non amplius, in ſingulos dies illi inſumendum limitatè præſcriberetur; ita quidem, ut licèt plura per viam opus haberet, plura tamen non acciperet. Id quippe ſignum eſt, eum tunc expreſſam aut certè tacitam & interpretativam, facultatem habere, id, quod ſibi è dato, parcè uſurpando, ſuperfuerit, in alias res honeſtas impendendi.

2. Caſus in eiuſdẽ, ab extraneis dati, uſibus.

3. *Secundò*, idem quoque locum habet, quamvis hoc illi viaticum non Religio, ſed parens, aut conſanguineus, aut pius aliquis benefactor dederit: quare ex eo nec Breviarium, nec thecam alterariam, nec conſpicilia, nec aliud quodcumque, tam ſibi, quam aliis dandum, emere poteſt. Nemo vero in hoc erret, dicendo: Has mihi pecunias non Religio, ſed conſanguineus amicuſve meus dedit. Nam perinde eſt, eaſne tibi Religio dederit, an conſanguineus vel amicus. Illæ enim, ſimul atque juris tui ſunt, fiunt Religionis; nec magis tuæ ſint, quàm ſi Superior, vel procurator domus eas tibi dediſſet; ut capite ſuperiore inſinuavimus. Vnde in alium eas uſum convertere non potes, quam in quem illas convertendi facultatem tibi Superior dedit, nimirùm in iter tuum; & omne quod tibi quomodolibet hinc ſuperfuerit, ad Superiorem referre debes. Si autem in quid aliud ipſum impendas, vel tibi ne ſerves in votum paupertatis peccas; & perinde facis ac ſi Religioni per furtum id ſurriperes. Quod intelligo, etiamſi has pecunias quis cum venia Superioris, accepiſſet: nam ſi eas ſine facultate eius reciperet, ut jam vel ex hac parte votum paupertatis etiam violaret, uti ante dicere memini.

Tertius caſus de rei utilis, in vel per viam datæ, dominio.

4. *Tertiò*, idem quoque locum habet, quando quis ex aliqua miſſione, vel è patrio ſolo rediens, aliquid (v. g. chlamydem aut aliquod ad iter munimentum, aut quid huiuſmodi) domum reportat: ex quo enim in jus eius id tranſit, fit communitati commune. Ergo jam domum reverſus, Superiori, vel eius nomine rei veſtiariæ præfecto, ipſum conſignare debet. Sin autem id ſibi ſine venia reſervaret, jam proprietarius fieret, & furti crimen committeret, in votum paupertatis delinquens.

4. Caſus de datis adhuc præſente

5. *Quartò*, licèt quis jam in ipſo profectionis ad aliam domum Collegiumvé articulo eſſet, imò jam equũ conſcen-

...morali-

...er su-periore.

conſcendiſſet, nihil omninò tamen ab extraneis petere vel accipere, ne quidem ad viaticum, ſine præſentis Superioris licentia poteſt: eſto, Superiorem illum, cujus domum adit, plurimum propterea gaviſurum norit, quod hoc pacto minor ejus ſit ſumptus, & impendium futurum. Ratio eſt, quia hic adhuc ejus Superior eſt, non autem ille ad quem proficiſcitur; itaque hoc ſine licentia Superioris, quem ad manum habet, & à quo eam petere poteſt, acciperet. Aliud foret, ſi jam extra domum, & in via eſſet, nec Superiorem à quo veniam peteret, ad manum haberet. Tali quippe in caſu licitè accipere poteſt id, quod Superiorem ſibi conceſſurum probabili conjectura præſupponit, cum intentione tamen eidem ſimul ac ad locum devenerit, declarandi, & de eo illum certiorem reddendi: tunc enim ipſe Superioris aſſenſus & facultas præſumitur; non verò, quando aut ſtatim Superior adiri, aut res commodo differri poteſt.

Quintus caſus, de datis & conceſſis ad certam rem comparandam.

6. *Quintò*, ex dictis conſequitur, ſi ſuperior alicui faciat copiam, pecunias aliquas recipiendi, & eas apud procuratorem domus aſſervandi, in certum finem (verbi cauſa, ad ſcripta aliqua exſcribi curanda) eum non poſſe has in aliud quid ſine Superioris ſcitu inſumere, & ne quatuor quidem regales argenteos ex iis, alicui Religioſo de domo, ad occurrentem aliquam, vel ipſius, vel pœnitentis, vel conſanguinei, vel amici ſui neceſſitatem, tam titulo eleemoſynæ, quàm ad præmiola (putà roſaria & cuniculas) emenda, aut ad aliud quodcumque, dare uti nec alterum ea ſine licentia accipere poſſe: ſed tam hunc, quàm illum, contra votum paupertatis peccaturos: quia rem aliquam temporalem, Superioris injuſſu, aut non permiſſu, dare, accipere, adminiſtrare, contra votum eſt paupertatis, uti antè oſtenſum eſt.

Sextus caſus, de mutuo, quod ſine licentia non licet.

7. *Sextò*, ſicuti Religioſo permiſſum non eſt, quid, Superiore ignorante, dare vel accipere; ita nec mutuo dare vel ſumere: quia omne genus contractûs, ratione voti paupertatis, ei prohibitum eſt, etſi in rebus minutis, quæque frequenter occurrunt, quis poſſet præſumere, ſe tacitam, vel generalem quandam, licentiam habere, ad alteri ejuſdem domus Religioſo mutuo dandas eas, quas Superiore connivente, poſſidet; ad breve ſaltem tempus, plus minuſve: prout Relgionis uſus vel praxis id faciendum judicarit.

Septimus caſus. Inſcio Superiore nõ licere Religioſo, depoſitũ admittere.

8. *Septimò*, Religioſus contra paupertatis votum peccabit, ſi inſcio Superiore aliquod, tam ab externo, quàm domeſtico, depoſitum acceperit. Depoſitum quippe verus quidam contractus eſt, & natura ſua Religioſum, qui ipſum inivit, ad rationem rei depoſitæ reddendam, & præſtandam, ſi quomodolibet ea ſibi, culpa ſua de jure requiſita, deperierit, obligat; ut taceam intricationem & ſollicitudinem, quam ipſa pecuniæ, aut rei alterius pretioſæ, ad alium

lium spectantis, custodia & asservatio secum trahit: nec non scandalum, quod haud dubiè sequeretur, si pecuniæ in Religiosi potestate, sine facultate ac licentia, & non sciendo undenam & cujus eæ sint, depositæ invenirentur. Sed in rebus ordinariis, quas cum facultate Religiosus possidet, & in cubiculo asservare potest; Religiosus usus & praxis declarat, eas etiam apud alterum de domo in custodiam dare, & deponere posse.

Octavus casus. Depositū habere apud aliū sine licentia cōtra votū est.

9. *Octavò*, sicuti cum voto paupertatis pugnat, pecunias, aut aliud quidlibet, iis æquivalens, sine facultate Præpositi accipere, vel in potestate habere: ita quoque ei adversatur, pecunias, aut aliud iis æquipollens, sine eadem potestate, apud alium quemcumque depositum habere. Eodem quippe redit, id ne in amici, an propria potestate habeatur. Proinde si quis apud clientem vel amicum suum penulam v. g. viatoriam, aut aliam quamcumque rem haberet, quam cùm hinc aliò proficiscendum esset, inde repeteret; perinde paupertatis votum in eo infringeret, ac si penes se eandem asservaret.

Nonus casus, In Societate contra paupertatem est, aliquid sine licentia de domo asportare. In instruct. & regul. 25. commun.

10. *Novò*, paupertati, quam in Societate profitemur, conforme non est, quinimò aliquam proprietatem sapit; si quis, dum alio migrat, libros, imagines, sive quid hujusmodi, secum absportat. Unde id etiam in Societate vetitum est. Sed quæcunque quis habet, ea describi, annotari, atque inter Collegii ac domus, in qua commoratur, res numerari, ibidemque (illo abeunte) remanere jubentur, nec inde ab eo auferri ullatenus permittuntur. Hinc quisquis ea absque licentia secum tolleret, perinde faceret, ac si de domo, cui jam applicata sunt, eadem furaretur, ac consequenter voto paupertatis contraveniret. Idem etiam dicendum, tametsi quis alius illa ei singillatim, non verò Religioni dedisset: tantundem quippe id est, uti supra demonstratum est.

Cap. 11.

10. Casus Religioso non licet in res vanas pecuniā collocare. Clem. 1. de statu monach. Tenetur ad restitutionem is, qui aliquid accipit à Religioso prodigo.

11. *Decimò*, contra paupertatis votum peccabit Religiosus, si quid in res illicitas, vanas aut superfluas, etiam Superiore ad hoc copiam faciente, insumpserit. Hoc enim per votum paupertatis illi prohibetur. Quod sacris Canonibus non uno loco declaratum est. Imò ne Superior quidem, id genus res pecuniam monasterii impendere potest: proinde nec alteri ad hoc licentiam dare; sed tantum in res necessarias, utiles & honestas. Unde qui eas res, in quas Religiosus inutilem impensam faceret, ab eo acciperet, ad eorum restitutionem Religioni teneretur: juxta id, quod capite superiori dictum est.

*Absconditum servare quippiam contra votū est. *Abul. to. 2. in Matt. c. 6. q. 37. Sylvest. v. Restitut. 6. q.*

12. *Undecimò*, paupertatis voto adversatur, ut absconditum quid Religiosus habeat, ne videlicet id Superior resciens sibi auferat. Nam, ut * Doctores notant, est hoc, quidam affectata proprietatis, reique contra voluntatem Superioris detentionis species.

13. *Duodecimò*, si cui ex officio aliqua distribuere vel dispensare injunctum

junctum est, non id ex suo arbitrio & voluntate, sed juxta superioris voluntatem & beneplacitum facere debet. Hinc si plus vel minus; melius, vel pejus det, quàm Superiorem velle norit, contra paupertatis votum faciet; quoniam res domesticas perinde usurpat & administrat, ac si earum dominus & proprietarius foret, nec ab alio dependeret.

...dicto ...Moli-na, to. 2. disp. 276 Lessius lib. 2. de justit. c. 18. dub. 11. num. 81. Navar. à. li. de re-stit. c. 1. n. 117 & 182. Petrus de Ledesm. 2. p. sum tract. 31. c. 2. cō-clus. 10.

14. *Decimotertio*, quemadmodum paupertatis votum Religiosus convelleret, qui datâ operâ & studio res domesticas curæ suæ concreditas, aut ad usum privatum concessas dissiparet, malè insumeret, aut ab alio malè insumi permitteret: pari modo contra paupertatis votum peccabit is, qui notabili sua culpa, aut injuria eas dissipat, aut perdi sinit. Nam id in idem recidit, cùm *culpa lata dolo æquiparetur*. Ratio hujus est. *Primò*, quia duntaxat ad eum qui absolutus rei dominus est spectat, eam posse prout libuerit consumere ac destruere. *Secundò*, quia Religioso solùm conceditur ususfructus earum rerum, quæ ipsi tum ad propriam, tum ad religionis suæ utilitatem & commodum concreduntur. Vnde si has ipsas destruat, consumat, & infructuosè impendat, voto paupertatis injuriam irrogabit. Advertendum porro hic, etsi damnum, quod hoc modo Religioni infertur, singulis vicibus exiguum sit; si tamen frequenter iteretur & repetatur, fieri posse, ut in immensum crescat.

Omnia ad mentē Superioris in religione distribuenda.

Contra votum peccat, qui aliquid sua ire sinit. *Singula multa nocent.*

Exempl. Notabile est exemplum, quod quoad hoc de priscis illis Monachis Cassianus commemorat. Obsona tor, vel procurator Monasterii, aliquando in culinam ingressus, tria lenticulæ grana, quæ coquo ad coquendum ea lavandi manibus fortè exciderant, humi jacere conspexit. Id ille mox ad Abbatem retulit, qui vocatum ad se coquum acriter primò verbis corripuit, dein publicam ei pœnitentiam imposuit, quod rem monasterii sacrumque peculium tam injuriè tractaret. Siquidem sancti illi Monachi (inquit Cassianus) non solùm se, verùm etiam omnia quæ Monasterii erant, velut rem Deo dedicatam consecratamq; contemplabantur, unde insigni cum accuratione & reverentia ea, quantumlibet exigua ac vilia tractabant.

Cassian. lib. 4. de instit. rerū. c. 20.

Minima paupertatis violatio summam meruit reprehensionem.

Caput XIII.

Objectioni cuidam occurritur, ac per quod materia hæc mirificè illustratur.

1. OBjiciat verò hic mihi aliquis, Nimis rigidum & severum hoc videri, cum passim alios Religiosos, qui votum paupertatis non minùs nobis conceperunt, sine ullo prorsus scrupulo, aliquid à propinquis, pœnitentibus, amicisve suis, ad Breviarium, portifolium, quin & vestem subinde comparandam, accipere videamus, qui tamen & docti sunt, & Dei timorem præ oculis habent, Hos ipsos quoque, cuipiam amico

Objectio ab aliorū exemplo.

 suo,

suo, tam domestico quàm externo, quendam de iis quos habent libris, nec non alia maioris valoris, nulla ad hoc petita venia dare solere; nec ideo ullum remorsum conscientiæ, quasi hoc facto votum suum paupertatis violent, sentire. Ergo nec nos Socios, idem faciendo, contra votum paupertatis peccaturos, sed tantùm ad summum in eiusdem perfectionem, Superioris obedientiam, Constitutionum ac regularum nostrarum observantiam prævaricaturos. Bona quidem hæc objectio est, ideoque etiam hoc loco eam posuimus, ut ex eiusdem confutatione manifestiora fiant, tum quæ dicta sunt hactenus; tum quæ postea dicturi sumus.

Quæ in aliis Ordinibus tacitè licēt, in Societate expressè vetantur.

2. Dico ergo, vera esse hæc omnia, & Religionum nonnullarum Religiosos sine ullo scrupulo hæc omnia passim facere, nec faciendo contra paupertatis votum peccare; hinc tamen non sequi, nos, ita si fecerimus, minimè peccaturos. Imò dico, nos talia audendo, non modò læsæ obedientiæ & regulæ nostræ, verùm & violati paupertatis voti reos futuros. Differentiæ porro hæc ratio est: quòd in aliis Religionibus hæc omnia jam, annuentibus Superioribus, licitè fiunt; quia ad hoc vel expressa, vel saltem tacita & interpretativa, aut virtualis habetur licentia: quæ, juxta Doctorum sententiam, tum esse intelligitur, cùm jam communiter & passim aliquid in illa Religione usurpatur, Superioribus consciis & videntibus, cumque contradicere & impedire valeant, neutiquam contradicentibus, nec impedientibus, sed in eo dissimulantibus & conniventibus: *quia qui tacet*, cùm loqui & impedire possit quod fit, *consentire videtur*. Religiosus ergo, qui expressam vel tacitam à Superioribus suis, rei cuiusdam dandæ, recipiendæ, dispensandæ habet facultatem; ipsum si fecerit, minimè contra votum paupertatis peccabit. Atque ideo multi Religiosi hæc faciendo, haudquaquam peccant. Verùm, quia Societas Iesu jam nuper exorta hunc paupertatis murum (quantum per divinam gratiam fieri poterit) integrum, infractum, & in suo vigore perfectum conservare gestit; nullam ad hæc facienda habet licentiam, neque expressam, neque tacitam & interpretativam: sed expressum potiùs usum & praxim planè in contrarium. Ac proinde quisquis huiusmodi quid in Societate attentaret, contra paupertatis votum delinqueret: uti & reliqui Religiosi delinquerent, nisi facultatem eius faciendi haberent. Perinde ac sanctimoniales quædam, etiamsi Religiosæ sint, & paupertatis votum conceperint; nihilominus tenues suos habent reditus, de quorum proventu ipsæ sibi vestes & alia quælibet necessaria comparant; idque ipsas licitè facere concedimus, quòd Superiorum suarum cum assensu id faciant. Liquet autem, si quis nostrum id absque legitimo cōsensu faceret, in votum paupertatis eum peccaturum. Non est ergo bona argumentatio, ut propterea quòd in aliis Religionibus aliquid toleratur (esto in iis non pauci viri sancti sint

Reg. 43. de reg. juris in 6.

ſint & docti) idcirco ipſum in noſtra putemus licitum eſſe: quia in illis ad hoc jam habetur licentia expreſſa vel tacita; in noſtra verò adeò ea non habetur, ut potius uſus & praxis in contrarium obtineat. Quamobrem, quæ antè diximus, non tam ſcrupuli angores, & quædam animorum tormina ſunt, quàm apertiſſimæ veritates in omni rigore & jure fundatiſſimæ, & doctrina communiter à Doctoribus recepta.

In ſpecul. diſcip. p. 1. c. 4. p. 2. in quodam tract. nonnull. quæſt. ſolutar. q. antepen.

Ad omnē Religioſi diſpenſationē expreſſa vel tacita Superioris licentia requiritur.

3. Siquidem S. Bonaventura, & Ioannes Gerſon (qui licèt ſint ſpirituales & ſancti, nihilominus graviſſimi ſunt Theologi) particularium illorum caſuum, quos paulò ante attulimus, non paucos in terminis & expreſſè tradunt, & univerſam de dando admittendove à Religioſis materiam ad hoc caput reducunt, nimirum an ad hoc à Superiore expreſſam vel tacitam, facultatem acceperint, nec ne. Eam enim ſi non habeant, nihil eos dare, admittere, vel diſpenſare poſſe; ac, ſi quid huiuſmodi aggreſſi fuerint, contra paupertatis votum peccaturos, aſſerunt. Hoc namque pacto deſinunt eſſe pauperes, ſeque velut proprietarios ac dominos faciunt, cùm prout libuerit, rem dent, accipiant ac diſpenſent. Quin & in ipſo monaſterii procuratore vel œconomo (qui nimirum pecuniam omnem, ad neceſſaria toti domui coemenda habet) caſum format Gerſon, rogatque, num contra paupertatis votum facturus ſit, ſi vel ſibi, vel alii cuipiam domeſtico, cultrum, cultrariam thecam, & perſpicilia emat? quin & ad minutiora deſcendit, puta acum, calamos, vel pauxillum fili. Ac reſpondet, ſi cum particulari vel generali, expreſſa vel tacita, Præpoſiti licentia id fecerit, minimè eum peccaturum: at citra eam, contra paupertatis votum prævaricaturum.

4. Idem quoque cenſet de eo, qui quid libet externis dat, vel ab iis datum admittit. Adeò ut communiter Doctores omnes in hoc conſentiant, & doceant, Religioſo ex voto paupertatis non licere, Superiore ignorante & non conſcio, quidpiam habere, dare, accipere, diſpenſare: &, ſi quibus in Religionibus ut licitum habeatur, quaſdam in cella minutias, electuaria & elegantias habere; & eadem poſſe ab amicis & conſanguineis accipere, vel etiam alteri donare, aut de aliis quibuſdam rebus licitè diſponere: ideo id fieri, quòd illa in Religione, expreſſa vel tacita ad hoc facultas paſſim cuilibet facta ſit, alioquin enim non licitum id foret, ſed apertè paupertatis voto contradiceret.

Uſus Religionis cuiuſque in omni reſolutione ſpectādus.

5. Sequitur hinc res quædam notatu digniſſima, tam quoad hanc, quam quoad ſimiles alias materias: nimirum, ut Religioſo, petenti, num in hac illave re peccet, & paupertatis votum infringat, reſponderi poſſet; neceſſe eſſe ante omnia attendere quis Religionis illius quoad hoc uſus ſit, num videlicet inibi expreſſa, vel tacita, ad hoc faciendum ſit licentia. Hoc enim ni fiat, bonum Religionis illius Religioſo conſilium reſolutioque dari nequit: multa quippe in una Religione licita eſſe pote-

runt (quòd jam in illa passim hæc tacita & interpretativa licentia vigeat) quæ in alia, quia hanc non habebit, illicita erunt.

Omnis permissio administrationis cuiuscunque rei supponit Superioris licentiã.

6. Ex hoc capite & illud consequitur, quamvis auctores aliqui sustineant, Religiosum contra paupertatis votum minimè peccaturum, si ab aliis pecuniam, ad libros, aut alia quæpiam id genus comparanda, accipiat; modò ea quæ emet, non abscondat, sed in apertum palàm proferat & exponat; animo quoque ita comparatus sit, ut Superiore præcipiente, eadem exhibere, & libenter à se abdicare paratus sit: tamen Religiosum Societatis, illud faciendo, votum paupertatis violaturum. Idcirco, enim hi auctores id ita docent, quòd jam illam, tacitam & interpretativam licentiam præsumant, & Superioribus per hunc subjectionis & resignationis modum aliquatenus satisfieri existiment.

Indifferentia paupertati necessaria.

7. At in Societate, nulla est ad hoc tacita vel interpretativa licentia, sed manifestissima voluntas de contrario. Siquidem tunicam, pallium, Breviarium; quibus bona cum Superioris licentia utimur, tali modo possidere tenemur; cum tali, inquam, subjectione, & totali à Superiore dependentia, nec non cum illa animi dispositione, ut eadem parati simus relinquere, quandocumque id nobis ipse mandarit: sin minùs, adversus paupertatis votum prævaricaremus: essemus quippe proprietarii, & rem velut propriam possideremus. Verùm, ut quid ab alio, ad sotanam, libros; aut quid simile comparandum accipiamus, esto id etiam postea palàm in cubiculo visui omnium expositum & patens exhibeamus, hancq; animi (quam diximus) præparationem quoad hoc præferamus; nullatenus in Societate licitum est, sed usus & praxis prorsus in contrarium obtinet: ac proinde id contra paupertatis votum foret. Et sanè certissimum est, siquidem in Societate ut licitum duceretur, id genus res, hoc modo, sine alia licentia, admittere & habere; omnes, quotquot sumus, in Congregationibus reclamaturos, & omni ope connixuros, ut hoc ostiolum, per quod tantum paupertas nostra posset detrimenti capere, confestim obstrueretur.

Nil in Societate sibi accipere licet.

Licentia tacita nõ est, quòd Superior rogatus permitteret, sed quòd non rogatus fieri vellet.

8. Notant præterea & aliud quid Doctores circa hanc tacitam & interpretativam licentiam, docentque ut Religiosus aliquid dare, petere, vel accipere possit, minimè sufficere, quod certò norit, quàmprimùm sibi facultatem adhoc, si modo à Superiore eam postulet, concedendam: sicut satis non est, ut sine licentia foras exire, vel epistolam ad aliquem scribere possis, te certò scire, illam, si modò petas, minimè tibi denegandam sed nosse & scire antè debes, Superiorem gavisurum & ratum habiturum, quòd, non petita facultate, ipse quippe jam des, recipias, possideas, & parum curaturum, quòd hanc ab ipso non petas. Hæc, scilicet, est tacita, interpretativa, & virtualis ad quid dandum admittendumque facultas, ut necesse non sit præterea aliam in particulari petere: ac talis in nonnullis Religionibus,

quoad

Nil in Societate sibi accipere licet.

quoad multa eorum quæ diximus, habetur.

Societas summa gaudet in sua obedientiam quàm licentiam interpretativam.

9. Verùm in Societate tantum abest, ut in Superioribus tacitum hoc beneplacitum sit, ut nihil hi magis desiderent, quàm ut omnia ex obedientia fiant: nihilque magis eos affligeret & contristaret, quàm si suorum quis sibi libertatem & audaciam ad horum quidpiam sine licentia faciendum arrogaret. Proinde longè alio modo de hoc paupertatis negotio, deque aliis casibus particularibus, in Societate loquendum est, quàm in aliis quibusdam Religionibus. Quamquam & in his id olim non minus accuratè fuit observatum: nimirum cum primum orirentur, uti è singularum Annalibus constat: quin & earum nonnullæ id in hodiernum usque diem, summa sua cum laude observant.

Licentia tacita nō est, quòd Superior rogatus permitteret, sed quòd non rogatus fieri vellet.

Caput XIV.

Votum paupertatis obligat ad peccatum mortale & quæ ad hoc quantitas sit necessaria.

Votum paupertatis ex genere suo ad mortale obligat.

1. PEtet hîc à me quispiam, num, quæ contra votum paupertatis esse diximus, semper lethale peccatum futura sint, aut quando? Iam antè communem Doctorum & sanctorum Patrum sententiam esse diximus, voti paupertatis violatorem peccatum furti committere, & adversus septimum Decalogi præceptum facere. Dico ergo, quòd, sicut septimum mandatum ex genere suo & natura ad mortale obligat, (ut Theologi vulgò docent:) quamquã ratione parvitatis materiæ, fieri potest ut nonnisi veniale fit (v. g. si quis pomum, aut obolos aliquot furetur) pari modo, etsi votum paupertatis ex natura & genere suo ad mortale obligat; in re tamen ita levi quis id violare potest, ut tantum veniale futurum sit.

2. Si instando ulterius, petas, quæ dicenda sit notabilis quantitas, ut ad mortale pertingere dici possit? Dico, sæpè hactenus à Doctoribus scholasticis in materia furti quæsitum esse, & etiamnum quæri, quænam notabilis dicenda sit quantitas, ut furtum sit crimen lethale. Et prout de furto loquuntur, ita de voti paupertatis violatione loqui solent. Adeò ut quæ quantitas esset ad mortaliter contra septimum Decalogi præceptum peccandum satis, eadem notabilis & sufficiens futura sit ad mortaliter contra votum paupertatis peccandum. Ita communiter sentiunt quotquot de hac materia scripserunt.

Quæ sit notabilis quantitas pro mortali culpa in voto paupertatis.

3. Ad maiorem rei huius declarationem & confirmationem, notant nonnulli Theologi, peccati huius gravitatem è duplici radice sumi. Prima est, quòd res aliena, domino invito usurpetur & accipiatur. Secunda, quòd in ea votum Deo factum frangatur. Et addunt, quòd, esto solùm primam eius radicem cōsiderando, maior hîc quantitas requiri videatur, ut peccatum mortale fiat, quàm in furto; quia hîc res non videtur tam aliena, nec dominus tam involuntarius, atque in furto: secundam

Corduba l. de ca. lib. q 109. Navarr. ubi infrà. Sorbus in compēd. privil. p. 1. verbo dare, in explicat. Const. Clem 8. de largit. casu 2. vers. Sed diffic. Lud, le-

pez. 2. p. summæ. 4 q.3.cõcl.5 Manuel. Rodrig. t.3.de reg. q.20.a. 19.concl. 8.Azor. l. 12. Instit. Moral. c.12. q.6.

dam, tamen radicem considerando, ea quantitas sufficiat ut id peccatum mortale fiat, quæ sufficit ut furtum peccatum mortale fiat: propterea quòd maior nostra sit ex voto paupertatis, ad nihil contra voluntatem Superioris usurpandum & accipiendum, obligatio, quàm sit ex septimo Decalogi mandato, ad nihil domino invito accipiendum.

Tres argentei fuere notabilis quantitas S. Gregor. Cap. 11. Franc. Arias p.3. de Imit. Christ. tract. 7. c. 29. Navarr. lib.3.tit. de statu monach. consil.3. dub. 3. num.18.

4. In casu illo, quem suprà è D. Gregorio retulimus, monachus ille (uti refert Surius, qui id ex ipsomet originali se transcripsisse asserit) nonnisi tres argenteos acceperat, & quidem à fratre suo, & ad tunicam coëmendam; quam si ei utique Religio dare debebat, ei frater illam non dedisset: nihilominus censuit Gregorius, hos tunc temporis sufficientem quantitatem fuisse, ad peccatũ mortale constituendum, ut videre est in castigatione & excommunicatione, qua in ipsum animadvertit.

5. Nonnulli Scriptores, qui nostra hac ætate scripsere, quantitatem notabilem, & ad peccatum mortale contra votum paupertatis incurrendum sufficientem esse definiunt tres regales argenteos; alii quatuor; alii quinque. In Carthusiensi verò Ordine minorem multo, quæ ad peccatum mortale incurrendum sufficiat, quantitatem requiri censent; quandoquidem sufficere eam dicunt ad aliquem sacra sepultura privandum & excommunicandum, uti benè id advertit Navarrus.

Religiosæ perfectionis cupido parva.

6. Sed demus, in voto paupertatis laxiùs paulò nos loqui posse, & trium quatuorve regalium valorem hac in re materiam levem esse, ac maiorem summam requiri ut ad mortale pertingat, (uti quidem nonnulli censent:) ideone se Religiosus perfectioni comparandæ studiosus, periculis & dubiis his exponet: num videlicet quod recepit, dedit, asservavit, ad eam quantitatem pertingat, quæ ad peccatum mortale constituendum satis sit necne, & num ad quatuor vel sex regalium valorem ascendat? Obsonatores & famuli, domui necessaria coëmentes, dummodò quartam regalis partem, alias duos obolos, defalcando sibi reservant, in eo mortaliter non peccant: quòd parva sit quantitas. Sed quis futurus est Religiosus, qui ad aliquid emendum destinatus, quartam regalis argentei partem detruncare & retinere præsumat, esto id nonnisi ad veniale pertingat? quod si hoc ipse facere non auderes, sed velut sacrilegium, & per quam vile & sordidum duceres; noli ergo quidpiam vel dare, vel admittere, sine Præpositi facultate, dicendo, id parvum & perexiguum esse, nec tale ut ad peccatum mortale pertingat: nam quædam, ad minimum, erit defalcatio ac surreptio.

materia magna sit.

Religiosi parva negligens in paupertate, exponit se periculo maiori.

7. Quare parva magni faciamus, maximè in re tam gravi, atque est hæc ipsa, quæ trium essentialium Religionis votorum unum concernit. Qui enim in hoc delinquere ac prævaricari audebit, dicendo, mortalem id noxam non fore; in præsentissimo voti paupertatis mortaliter violandi periculo versatur.

8. Quip-

Cupido habendi cavenda est. 8. Quippe habendi, dandi, recipiendi, cupido ac desiderium, vehemens quædam passio est, & naturæ nostræ ad hoc satis proclivi valdè conformis; ac proinde apprimè hominem excæcat & decipit.

Dubia in negotio salutis cavenda. 9. Et sæpenumerò, etsi indubitatè dicere non possimus, an ad mortale crimen prævaricatio pertigerit; id saltem certò dicere possumus, dubiū esse, mortalene sit an secùs. Religiosus autem accuratè cavere debet, ne his se dubiis & periculis exponat.

Caput XV.

Num pecuniam in pios usus erogandam sine licentia Superioris accipere, Religioso fas sit: & quando in hoc contra paupertatis votum peccaturus sit.

Regul. ... Sacerdotū. Magna puritas paupertatis Evangelicæ requiritur à Soc. sacerdote. 1. EXigit Societas, ut tantam in hac paupertatis materia puritatem & perfectionem præferamus, tamque à pecunia habenda tractandaque alieni simus, ut regula peculiari nobis vetitum sit, quidquam à pœnitentibus, aut alio quocumque petere vel admittere, quod vel in pauperes distribuamus, vel alteri satisfactionis nomine restituamus; adeò ut, esto pœnitens iniquè parta restituere teneatur, eaque confessario suo tradere velit, quò legitimo ea domino reddat, ipse sine superioris venia, ea nec recipere, nec restituendi curam in se suscipere possit.

Rationes hujus regulæ. 2. Hæc autem regula tum in summa prudentia & longa experientia, tum in doctrina & exemplo Sanctorum fundata est. Ita quippe expresse faciendum consulit S. Basilius: S. quoque P. Franciscus Xaverius unicè idipsum, ut observaremus, commendabat, illius in Vita legere est: Ita cùm S. Hilarion, (quemadmodum in ejus Vita S. Hieronymus scribit) virum locupletissimum à legione dæmonum, à qua vexabatur, sanasset, & hic viro sancto multa magnaque munera in grati animi signum offerret, Hilarion ea constanter repudiavit. Urgente verò illo, ut saltem egenis danda illa acciperet; respondit vir Dei, *Melius tu ea illis dare potes, utpote qui civitates frequentas, & pauperes nosti.* Ego *qui propria abdicavi, cur aliena appetam.* *Epist. ad Chilon. Lib. 6. c. 12. & 17. Hieron. in vita S. Hilarionis.*

Consulamus eleemosynas, non dispensemus. 3. Nostræ partes quidem sunt hæc aliaque id genus opera proximo consulere, non verò aliorum eleemosynas dispensare, hoc quippe adeò, ministeria nostra non adjuvat & promovet, ut etiam impediat.

Incommoda ex dispensatione pecuniarū. 4. Etenim hinc sequeretur, ut quotidiè catervatim plurimi domum nostram confluerent, qui juvari nostra opera pecuniaque con credita vellent; nec duo quidem janitores satis essent futuri, ad eorum postulata ad nos deferenda, responsaque vicissim referenda: & Pater ille, qui hoc in se onus susciperet, confessionibus & ministeriis spiritualibus vacare nequ ret, quo eleemosynarum distributioni vacaret. Ipsi quoque Apostoli aliàs experti sunt temporalibus se functionibus debitè non posse intendere, sine magno spiritualium, quæque majoris momenti erant

Act. 6. 2. erant, dispendio. Unde dixere : *Non est aquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, quare certos quosdam designarunt viros, qui temporalia curarent, quo ipsi se totos animarum conversioni possent impendere.

Primò querela pauperũ contra dispensatores eleemosynarum.

5. Existimant nonnulli, hanc eleemosynarum dispensationem, optimum esse ad proximum lucrifaciendum, & ad Sacramentorum usurpationem pertrahendum medium. Sed gravissimè errant : plus namq; hinc sequitur dispendii quam compendii: quia plures longè erunt, quibus ad lubitum non facias, & qui de te conquerantur, quam quibus satisfacias & placeas. Nonnulli quidem, quia nihil acceperunt; alii, quia non plura: immò omnes propè querentur, & murmurabunt, dicentes, priuatis nos in hac rei dispensatione respectibus moueri, & personarum acceptores esse; quin imò in priuatam nos rem nonnulla putarent conuertere, & quodcumque possemus, in domus nostræ vsum applicare.

Secundo pericula Sacrilegiorum.

6. Verum enimuerò, non est hæc bona proximi ad confessionem pertrahendi ratio; imò verò occasio ad fictas mendacesque confessiones instituendas, & sexcenta confessori mendacia persuadenda, quo eum ad dandam sibi eleemosynam emoueant. Quàm ergo meritò consulit Sapiens, vt seniori, presbytero ac viro prudenti & experto credamus, eiusque consilia sequamur.

Eccles. 6, 2

Quibus cautelis restitutiones sint faciendæ per confessarium.

7. Licitum quidem est interdum, bona cum Superioris venia, aliquid, quod restituendum sit, à pœnitente accipere, vti dum res occulta est, ac sine pœnitentis probro & nota restitui commodè non potest: quo in casu consulunt Doctores (& sanè non illaudabile consilium est) vt tunc confessarius chirographum petat ab eo cui restitutionem hanc faciet, quo se testetur tantum ab illo per viam restitutionis, ab aliquo sibi præstandæ, accepisse; & vt hic deinde syngrapham hanc pœnitenti, ad maiorem cùm eius, tum ipsiusmet confessarij, satisfactionem consignet. Etsi verò pœnitens nihil horum se velle, confessarioque sat fidere dicat, non tamẽ propterea hic illud facere negligat: quia gaudebit nihil ominùs restituens, vbi schedulam videbit, itaque ædificabitur, & in animo securior erit ac quietior; nec vlli exinde oborientur scrupuli vel suspiciones, vtrùm res rectè consignata sit necne, vti suboriri solent tum, cùm isthoc cautionis ac diligentiæ genus non adhibetur.

Religiosus accipiens pecunias, vt eam pauperibus det, quando & quomodo peccet.

8. Sed, quoniam de obligatione voti paupertatis hic loqui propositum est, & ad quid nos ipsa in rigore obliget; non incongruum erit ostendere, quando quoad hoc in votum paupertatis quis peccaturus sit, & quando non; sed tantum in obedientiam & contra regulas. In particulari, & ex instituto hanc Theologi quæstionem proponunt, & quærunt, Facturusne contra paupertatis votum sit Religiosus, qui, Superiore non

non consulto, aliquas ab externo pecunias accipit, non tam sibi, quàm vt alterius nomine pios vsus, aut quomodocumq; illi videbitur, dispenset ac distribuat? Hoc autem non videtur paupertati aduersari; cùm eas ipse nec in suum vsum admittat, nec suo nomine dispertiatur, sed illius, à quo easdem accepit.

Resolutio quæstionis præmissæ.

9. Quæstionis porro huius solutio est hæc; duplici, videlicet, modo aliquem posse pecuniam, aut aliud quid, ad alteri dandum, à quopiam accipere. *Primo*, quando illi mihi dat, vt eas nomine ipsius, Petro vel Ioanni, vel in tale, aut tale pium opus impendam. Atque eius generis est id, quod Confessarijs subinde datur, vt restitutionem aliquam faciant, vel in pauperes quos norunt, eleemosynam inde erogent. Qui autem in Societate hoc modo ab aliquopiam pecunias alijs postmodum dandas, Superiore non conscio, acciperet; in Regulas nostras id expresse vetantes (vt suprà demonstratum est) peccaret, non autem in votum paupertatis. quia tunc dans pecuniæ suæ manet dominus, eamque pro libitu dispensat; ego verò solùm eius minister sum & instrumentum vt eam ipsius nomine dem, cui dari iusserit. *Secundo* dico: Si vero ita acciperem pecuniam, vt liberè, prout mihi videbitur ac placuerit, etsi in opera pia, insumam ac dispertiar; tunc ipsum recipere, dare, ac dispensare citra Superioris potestatem, non contra regulas solùm, verùm & contra paupertatis votum futurum est.

Azor. lib. 12. Instit. Moral. c. 10. § vlt. Rationes pro data resolutione.

10. *Primò*, quia tunc alter pecuniæ dominium planè à se abdicat, atque illud, quantum est à parte sua, in me transcribit, vt de ea ipse prout lubuerit, disponam: huius verò rei Religiosus incapax est. *Secundo*, quia voto paupertatis repugnat, non tantum rei cuiusdam se, sine Superioris licentia, dominum ac proprietarium facere, verùm etiam vsum eius & liberam administrationem dispensationemque vsurpare. Hoc enim quidam modus est proprietatis, & peculij, quod Religioso ratione voti paupertatis planè interdicitur.

Magis usus rerũ liber nocet quam solum dominium.

11. Immò docent Theologi, magis voto huic aduersari, liberum facultatum & opum vsum, quam dominium & proprietatem habere. Magis quippe Religiosum distrahit, eique officit possessionum vsus, quàm sine eo, illarum aut dominium, aut proprietas. Vnde etiam finis, ob quẽ Ecclesia & sancti Patres decreuerunt, ne quod Religiosi rerum dominium & proprietatem haberent, fuit, vt hac ratione ab earum vsu & administratione expediti, liberiùs se diuino cultui dedicarent: hæ namque curæ magis mentem impediunt ac distrahunt, quàm ipsamet proprietas.

Azor vbi sup. c. 9. § 1. & c. 12. § 1. & 2. dicit hoc esse certi iuris.

Ergo usum prudens cauebit.

12. Proinde Religioso, ne in votum paupertatis delinquat, satis non est, pecuniæ dominio & proprietate carere, si liberum eiusdem vsum & administrationem, non rogato Superiore, vsurpet. An non (vt benè notat Dionysius Carthusianus) risu dignum se faceret pater ille, cui satis esset filio amenti quem haberet,

Opusc. de reform. claustral. art. 16.

cultri gladiive proprietatem & dominium adimere, usum vero illius ei liberum relinqueret ? Non minùs stolidi atque deridendi sunt Religiosi illi, qui cum alienæ pecuniæ dominium proprietatemque nō habeant, usum tamen & dispensationem sibi arrogant: quod enim in divitiis maximè distractivum, detrimentosum ac noxium est, id sibi sumunt & usurpant. Immò verò censent nonnulli, etiam in primo casu contra paupertatis votum peccari, quod tunc pecunia, aut aliud ei æquivalens, sine Superioris venia, possideatur, ac distribuatur: tametsi levem id materiam fore, nec ad mortale crimen perventuram, cùm statim in alios eà distribuatur, existiment.

An religiosus pro aliis mendicare, & acceptare possit.

13. Hinc inferri colligique responsio potest ad casum satis obvium; num, videlicet, contra votum paupertatis peccaturus sit Religiosus, qui, non petitâ à Superiore licentia, ab alio quopiam pecuniam aut eleemosynam, in alicuius consanguinei, pœnitentis & amici sui usum petit, accipit, & aliis per se donat, vel certè dantem, ut iis donet aut mittat, rogat? Dico ergo. Religiosum, tale quid exigentem, aut admittentem, si id sibi acceptet, eius se Dominum faciendo, vel certè eo utendo, in paupertatis votum delicturum: tametsi alioquin id sit consanguineo amicove daturus & missurus, ac de facto etiam postea det vel mittat, sive per se, sive mediante alio, & nomine tertii. At, si id sibi non acceptet, sed disertè edicat, Ego tale quid opus non habeo, neque mihi possum accipere; sed, si Petro vel Paulo id dare velis; aut mihi, ut ipse illi tuo nomine id dem vel mittam; mihi rem gratissimam feceris, tunc id dico minimè contra paupertatis votum fore: tametsi id alius intuitu illius faciat, & ipse etiam propterea danti gratias agat: quia ipse non sibi id arrogat, aut eius se Dominum facit, sed tantùm voluntatis alterius est executor, vel certè ut dans hanc voluntatem habeat, donationemque illam faciat, intercessor.

Thom. Sanchez. tom. 1. li. 6. de matrim. disp. 4. num. 7.

Potest pro aliquo rite orare citra acceptationem.

14. Multò verò minùs paupertatis voto repugnabit, si alium quis roget, ut suo proprio nomine alteri cuipiam quid det vel mittat, etsi accipiens sciat vel intelligat, id sibi Religiosi intercessione & patrocinio dari.

Etsi non esset contra voluntatem super est tamen periculosum.

15. Cæterùm, quamvis apertè contra votum paupertatis non sit, hisce in rebus Superioris consensum & beneplacitum non exquirere; negari tamen non potest, quin hoc multa secum trahat inconvenientia: ut omittam, periculum præsens esse, ne quid hac ratione contra votum paupertatis committatur, quod homo non semper ita circumspectè agat, nec tam minutè dispiciat, num dans id mihi det, vel, sicut id ego recipio: num id dem nomine meo, an illius: num alius id det, an ego. Præsertim quòd pecuniarum habendarum tractandarumque, & rerum distribuendarum dispensandarumque cupiditas ac desiderium, sæpenumero (uti superiori capite dicere memini) hominem excæcare, &, sub aliquarum rationum apparentium colore

lore & prætextu, adducere soleat, quædam ut faciat quæ directe votum paupertatis impugnant. Quamobrem tam hæc, quàm alia id genus, cumprimis timere & declinare debemus, ne de nobis dici contingat, quod olim Senatori cuidam, qui mundum & unà senatoriam dignitatem deseruerat, Monasterioque se addixerat, sed quædam de possessionibus suis pristinis retinuerat, ne suis, victus comparandi ergò, (uti cæteri monachi solebant) manibus laborare cogeretur, respondisse Magnum Basilium refert Cassianus, dum diceret, *Et senatorem perdidisti, & monachum non egisti:* Id est, nec Senator es, nec monachus.

Cassian. l.7.c.19. & in vit. SS Patrū. lib.4. de paupert.

Caput XVI.

In quo, quæ dicta sunt, exemplis quibusdam confirmantur.

I Exemplum. Pecunia Monachi proprietarii post mortem una cum cadavere terra infoditur. Epist. ad Eustoch. de custod. virgin.

1. Monachus quidam in Nitria, ex iis qui labore manuum victum sibi comparabant, peculiolæ cuiusdam coacervandæ cupidine laborare cœpit, ut refert S. Hieronymus ad Eustochium scribens. Erat hic lini textor: ergo cupiditate hac actus, suo in opere nimium quantum festinabat, & parum comedebat. Vnde post longam parsimoniam tandem centū solidos (id est nostrate moneta centum aureos) coacervavit: quibus collectis vita functus est. Vt ergo ad eum sepeliendum vicini fratres convenere, argentum hoc invenerunt. mirati, concilioque coacto consultarunt quid hîc facto opus foret, & quid de illa fieret pecunia. Habitabant autem in vicinia circumcirca, plus minus quinque monachorum millia per suas quique cellas ab invicem disiunctas distributi: quorum aliqui censebant aurum hoc inter inopes dispergi oportere, alii templis impendendum; alii parentibus illius, qui fortè indigerent, mittendum. Porro magnus Macarius, Abbas Pambo, Isidorus, & alii de cordatioribus & gravioribus (quos vulgò appellabant Patres) loquente per os eorum Spiritu sancto, statuerunt ut unà cum cadavere argentum hoc terræ infoderetur, dicentes illud Apostoli, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Atque ita factum est. Addit autem Hieronymus: Neque est, ut id quisquam crudelitatem fuisse existimet: nam nonnisi mera pietas fuit. Tantum quippe timorem & terrorem exemplum hoc in omnibus tota Ægypto monachis creavit, ut ingentis piaculi loco ducerent, si apud se in hora mortis vel unus solidus argenteusve reperitur.

Act.8.20.

II. Exemplum. *Ianuarius Monachus proprietarius impœnitens moritur. Serm.5. ad frat. in Eremo.*

2. S. Augustinus horribile de Ianuario monacho, qui vulgò sanctus ab omnibus habebatur, exemplum refert, quod ipsius verbis, quæ magnum legentibus sensum compassionis moveant, enarrabo: Sæpè, inquit, Ianuarii nostri perditio & ruina nobis plangenda & lamentanda est. Videbatur hic quoddam obedientiæ & paupertatis speculum, sed misera vitam catastropha terminavit. Cùm enim multis cum lacrymis ad nostram congregationem admitti petiisset, & toto vitæ suæ tempore pau-

pertatem servare promisisset, nobis insciis, vineam & agros in sæculo possidebat. O professionem letiferam! ô promissionem proditoriam! Ore proloquebatur, quod corde aversabatur: sanctum credebamus eum, qui omnium erat pessimus. Atque hoc in statu duodecim ipsos annos & ampliùs, Ianuarius apud nos vixit. Malè vixit; & mortuus est male. Malè, inquam, vixit, quia clanculo & occultè apud se detinebat, quod non erat suum: malè autem mortuus est, quia ne in fine quidem vitæ delictum agnovit, sed in eo obstinatus exspiravit, &, nescientibus nobis, testamento condito, filium, quem in sæculo habebat, hæredem instituit. Vtinam id in mortis saltem hora nobis dixisset, ut, orantibus nobis, veniam criminum à clementissimo Deo obtinere potuisset. Sed enim nec confessionem instituit, nec facti pænituit. Proinde nostras non est, nec erat dum in vivis ageret. Eius ergo defuncti manus colligate, iisque centum illos & undecim siclos, quos in cellæ suæ pariete clàm asservabat, in pannum injectos, inserite, plorantes,
Act. 8. 20. & dicentes, *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Nefas quippe est, illos in monasterii sustentationem, vestitum, aut alia quæpiam opera impendere, quòd condemnationis æternæ sit pretium.

Cæsar. li. 9. Dial. c. 64.
III. Exemplum.

3. Religiosus quidam de Ordine Cistertiensi, cùm in extrema ægritudine Abbati jam confessus, sacrum Altaris viaticum ore sumpsisset, ipsum deinde claudere non potuit, sacras species ad stomachum traiecturus. Quo spectaculo fratribus adstantibus perculsis, Sacerdos, viatici administer, sanctissimam hostiam, ore eius exceptam, alteri Religioso, qui ibidem æger decumbebat, porrexit: qui magno pietatis sensu eam suscepit, & sine ullo obstaculo transmisit. Non multò pòst prior ille monachus demortuus: mox autem apparuit, quænam eum causa à salute & remedio accipiendo impedierit. Cùm enim cadaver abluere fratres vellent, apud illum quinque solidos, eosque non argenteos, sed æreos invenerunt: quos illum habere nefas erat. Quo viso, unanimi omnes ore Deum laudarunt, &, Abbatem rei huius certiorem reddentes, illo jubente, in agro eum sepelierunt, & pecuniola eius cadaveri injectâ dixêre, *Pecunia tua, quam clam nobis contra professionem tuam possedisti, tecum sit in perditionnm.* Quem cùm Abbas casum in proximo Capitulo generali enarrasset, addidit: Vt autem appareat, ex aliqua infirmitate factum nõ esse, quòd sanctissimum Domini corpus trajicere non potuerit, constat integram illum eadem die gallinam comedisse.

Cistertiensis Religiosus quinque solidorum possessor hostiam sacramin morte cõstitutus deglutire non potest.

4. Frater laicus ex ordine Minorum cùm aliquatenus legendi artem nosset, sed perfectiùs addiscere vellet, Psalterium sibi comparavit: quoniam verò regula Ordinis prohibitum est', ne quis de laicis litteras addiscat; Guardianus, hoc cognito, ipsum sibi librum petiit exhiberi. Eum

p. 1. lib. 1. cap. 18. Chron. Minorũ.
Laicus Franciscan. post mortem apparens, ob Psalteriũ, quod

clam possidebat, se damnatū profitetur.

Eum se habere alter negavit. Instans ergo Superior indicari sibi librum rogat, ne proprietarius viveret. Sed laicus obedire detractat. Haud multum verò intercessit temporis, cum gravi frater ille infirmitate laborare cœpit. Tum Guardianus, ne fortè proprietarius moreretur, in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, sibi ut Psalterium proferat, aut saltem quo recondiderit loco, indicet: sed miser in negando perstans & pertinax, mortuus est, eo à se non abdicato. Prima ergo post sepulturam nocte, cum æditiuus de more ad Matutinum nocturnum pulsaret, magnam & gravem sibi incubare sensit umbram: audiit adhæc horrendam & confusam quandam, sine ulla verborum distinctione, vocem, unde exanimis in terram corruit. Fratres cùm primum campanæ ad Matutinas pulsum audissent, viderentque secundum æquo diutiùs differri, postquam jam bono temporis spatio exspectassent, templum adiere, visuri quid Sacristano factum esset, eum ergo defectis viribus, velut mortuum offenderunt. Qui postea ad se reversus, rem omnem ex ordine narravit. Cœpto jam matutino, horrendum illud spectrum denuo apparuit, terribilem fragorem adinstar raucæ & stridulæ cuiusdam tubæ edens, nihil ut eorum quæ dicebat, posset intelligi. Ad quem cùm universus fratrum cætus perculsus turbaretur; Guardianus, bene illos confidere jubens, spectrum alloquitur, dicens, In nomine Domini nostri Iesu Christi, & sacratissimæ passionis eius, te compello & jubeo, ut edicas nobis quis sis: & quid hic velis. Mox ergo respondere, Ego sum, inquit, frater ille laicus, quem heri hoc in loco sepulturæ mandastis. Aliquane, infert Guardianus, à nobis suffragia & orationes exigis? & ad quid huc veneris, dicito. Tum umbra, Vestras orationes non efflagito: quia nihil mihi proderunt, nam propter Psalterium, quod proprietatis jure possidens, demortuus sum, æternæ sum damnationi addictus. His auditis Guardianus, In nomine, ait, Domini nostri Iesu Christi tibi mando, ut, quandoquidem te juvare nequimus, ilico hinc te proripias, nec posthac ullam nobis molestiam facessas. Protinus ergo umbra evanuit, numquam exinde ampliùs visa vel audita.

5. Religiosus alius, uti Dionysius Carthusianus refert, vestem laceram cum haberet, vestiarium ingressus, pauxillum inde panni, ut vestem illo suam resarciret, sine venia sustulit. Is tandem in morbum incidit: insignis porro Dei debebat esse famulus, quòd, morti jam vicinus tantam vultus serenitatem & hilaritatē præ ferret. In nullo quippe eum remordebat conscientia, nihil in eo inveniebat dæmon, quod ad illum inquietandum depromeret. At cùm forte oculos in quendam cellæ angulum, in quo sua dependebat vestis, conjecisset, vidit ei cacodæmonem in forma simiæ insidentem, & frustum illud panni quod vesti addiderat, sapidè

V. Exempl. Loco sup. citato. *Dæmon frusto panni insidet, quo Religiosus sine venia vestē resarcierat.*

lapidè lambentem, & magna quadam delectatione in illo sibi complacentem. Tum, hoc se segmentum aliàs sine venia accepisse, recordatus, Superiorem ilicò advocat, culpam confitetur, cum illo se reconciliat: & statim inde se dæmon subduxit.

p. 1. lib. 1. c. 36. hist. F. Prædicat.

Frater Reginaldus graviter in Capitulo in proprietarium animadvertit.

6. Cùm sanctæ memoriæ F. Reginaldus Bononiæ Priorem ageret (uti Annalibus Prædicatorum fratrum proditum est) laicus quidam aliquod panni eius, quo ipsi utuntur, frustum eleemosynæ nomine, sine venia Prioris, acceperat, ut hoc suam vestem reficeret. Hunc ergo propterea vir sanctus ad Capitulum vocat, &, coram omnibus Religiosis, in eum ceu furem & proprietarium, tam verbis asperis, quàm dura verberatione animadvertit: & pannum illum eo in loco, tum ipso, tum reliquis fratribus inspectantibus, flammæ injecit.

VII. Exempl.

7. In eisdem Annalibus alia quoad hoc historia legitur. Cùm enim Albertus Magnus in sacra illa familia Provincialis munere fungeretur, severissimè & rigidissimè suis inhibuit, ne quis pecuniam tam penes se, quàm penes tertium, tam propriam, quàm alienam, tam in usum proprium, quàm alterius, haberet; idque sub gravissimis pænis edixit, & has etiam de facto inflixit. Nam, cùm in Capitulo Provinciali nonnemo certissimis conjecturis, decretum hoc & constitutum violasse convictus esset, tam severè illum Albertus castigavit, ut eum (quia nonnisi nuperrimè defunctus erat) è sepulchro effodi, & sepultura asini, in sterquilinio, sepeliri jusserit: ad imitationem, scilicet, priscorum Patrum, quibus hoc supplicii genere in fratres proprietarios animadvertere solenne erat.

p. 1. lib. 1 cap. 46.

TRA-

TRACTATVS QVARTVS,

DE VIRTUTE CASTITATIS.

CAPVT PRIMVM.

De excellentia virtutis Castitatis, & quibus gradibus, ad eius perfectionem ascendendum est.

1 Thess. 4.3. & 7. Castitas est essentialis verae religioni.

1. HÆc est, inquit Apostolus, *voluntas Dei sanctificatio*, id est puritas & munditia, *vestra, ut abstineatis vos à fornicatione ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore: non enim vocavit nos Deus in immunditiam*, ut fœdas carnis voluptates consectemur, *sed in sanctificationem*, ut ei magna cum corporis & animæ puritate integritateque serviamus.

Castitas est vera sanctitas, & virtus cœlestis. Serm. 22. in Cant.

2. Apostolus illo loco castitatem sanctitatem vocat: & vicissim sanctitatis & sanctificationis nomine, castitatem significat, uti observat S. Bernardus. Redemptor vero Christus in Evangelio cœlestem & angelicam virtutem eam indigitat, propterea quòd Angelis nos assimilet. *In resurrectione*, inquit, id est in vita beata, *neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei.* Matth. 22.30.

Castitas æquales angelis homines reddit.

3. Vnde etiam S. Cyprianus, virgines quasdam alloquens sic scribit, Quod postea habituræ estis in gloria, jam nunc in hac vita habere incipitis: quia, quamdiu in castitate & puritate vivitis, æquales estis Angelis. Idipsum confirmans Cassianus, nulla ait virtute ita homines Deo similes fieri, ac castitate: per eam namque ita purè vivunt in carne, tamquam si carnis essent expertes, & purissimi spiritus, secundùm illud Apostoli, *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu*. Ipsos quin imò Angelos hac in parte aliquo modo superamus, nam quod hi corpore carent, mirum non est, illos hac puritate præditos esse: at hominem carne hac mortali, quæ tam acre bellum spiritui movet, circumdatum ita vivere, quasi eam non haberet, sed purus spiritus foret, longè sanè maius est, & prodigio par.

Lib. de instit. renuntiant. c. 6.

Rom. 8. 9.

Deo gratissima est castitas.

4. Tantoperè verò hæc Deo virtus placet, ut, cùm unigenitus Dei filius homo fieret, & è muliere nasci deberet, nonnisi e virgine, quæque suam (ut SS. Patres notant) virginitatem per votum Deo nuncupasset, nasci voluerit.

Est privilegiata in cœlis.

5. S. Joannes in Apocalypsi vidisse se ait supra montem Sion, id est in cœlo, Agnum (id est Jesum Christum) & cum eo centum quadraginta quatuor millia, quæ canticum novum cantabant: neminem porro canticum illud canere potuisse, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hos porro esse qui cum mulieribus non sunt coinquinati, docet quos sequitur: *virgines enim sunt*. Atque hos Agnum sequi quocunque ierit. Notat autem hoc loco S. Gregorius, virgines dici cum Christo in celso monte versari: quòd ob insigne & eximium castitatis meritum, mirè in gloria exaltati sint.

Aug. li. de san. virgin. c. 4. t. 6. Amb l. 2 in Luc. Anselm. Bernard. & alii. Apo. 14 1. Li. 5. in c. 13. l. 1. Reg.

Etiam in terris

6. S. Hieronymus & Augustinus illam S. Joannis Evangelistæ prærogativam, quòd nimirùm plus cæteris discipulis à Christo Domino diligeretur (hoc enim modo eum Evangelium designat, *Discipulus ille, quem diligebat Iesus*,) Inde potissimè ortum habuisse volunt, quòd ipse esset Virgo. Quod etiam in ejus festivitatis officio Ecclesia videtur insinuare, dum canit: *Diligebat autem eum Iesus, quoniam specialis prærogativa castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum; quia virgo electus ab ipso, virgo in ævum permansit.* Atque hoc in sensu de illo nonnulli explicant illud Sapientis in Proverbiis, *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Hac igitur de causa tantopere ipse Domino in deliciis fuit: idcò quoque super pectus ejus recubuit in cœna: & quod S. Petrus, qui conjugatus erat, à Christo in eadem petere non fuit ausus, Joanni innuit, ut ab eodem sciscitaretur. Deinde cùm in die Resurrectionis Maria Magdalena Apostolis à mortuis Dominum surrexisse nuntiasset; ipse & Petrus pariter ad momentum properarunt, sed ille hoc citiùs cucurrit. Alià, cum in navicula sua in mari Tiberiadis piscaretur, & Dominum se in littore spectandum exhibentem cæteri non agnoscerent, *solus virgo*, ut loquitur Hieronymus, oculis illis aquilinis *virginem agnoscit*, *& dicit Petro*, *Dominus est*. Denique Redemptor de cruce pendens, cuinam ultimo suo testamento matrem virginem, nisi discipulo virgini commendavit?

Lib. 1. cont. Iovin. tra- ult. in Ioan. Ioa. 21. 7. *Christus ob virgin. S. Ioannē singularius dilexit* Pro. 22. 11. Lib. 1. c. 4.

7. Sed eximias castitatis laudes & præcellentias, nec non alia multa quę de ea dici possint, missa faciamus: quia hoc in tractatu quam possum brevissimus esse volo, Sanctum P. N. Ignatium imitaturus. Septem porro castitatis gradus assignat Cassianus; per quos, velut in scala, ascendere debemus, donec ad virtutis hujus cœlestis & angelicæ perfectionem puritatemq; ultimam pertingamus. *Primus* est, ut homo, super se vigilando, à nulla turpi sensualique cogitatione aut motu vinci se abripive sinat. *Secundus*, ut id genus cogitationibus diu non inhæreat, sed eas, ut primùm senserit, à se eliminet. *Tertius*, ut nullius mulieris aspectu parum vel multum moveatur concuteturve, gradus hic magnę perfectionis est, nec tam communis uti duo priores, ob magnam carnis nostræ debili-

Septem gradus castitatis Collat. 12. Abbat. Cherem. *Gradus castitatis.*

debilitatem & corruptionem, quæ similibus in occasionibus statim pronitate quadam quasi naturali concicitatur. *Quartus*, ut nullo modo patiatur, sibi ut dæmon insultet, & velut barbam vel licet excubanti, & vigilans ne vel simplicem carnis permittat motum. *Quintus*, ut, si quando, opus erit de id genus rebus tractare, illasque studii causa examinare, excutere & legere, animo subacto, tranquillo, puroque ea percurrantur: nec magis hujusmodi rerum memoria recordationeq; moveatur, quàm si de laterculis, seminando, ædificando, aliisque id genus materiis loqueretur. Gradum hunc perfectissimè & eminentissimè S. P. N. Ignatius jam inde à primo conversionis suæ tempore habuit, quemadmodum in ejus vita legere est. *Sextus* gradus est, ut ne quidem dormiens turpibus illusionibus, imaginationibus, & rerũ fœdarum phantasmatis illudatur. Atque hoc magnam puritatem innuit: signum quippe id est, ne minimam quidem spurciciei speciem memoriæ insidere: secùs verò cum fit, etsi nullum peccatum id includat (quia in somnis fit) signum nihilominus est, appetitum sensualem haud dum penitus debellatum ac subactum esse, neve earum rerum imagines memoriæ tabulis erasas. *Septimus* & ultimus gradus, teste Cassiano, paucorum est, uti Abbatis cujusdã Sereni aliorumq; similium, quibus hanc conferre gratiam Dominus dignatur: quando scilicet, ad tantam homo puritatem pervenit, ut nec vigilans, nec dormiens illos in se motus sentiat, qui è causis naturalibus habere ortum solent: usque eò, ut, per gratiæ vim, appetitus planè quietus & pacificè subjectus sit, ac natura debilis & infirma, jam tum illius felicitatis & privilegiorum, quæ in primo innocentiæ statu habuit, partem sentiat; juxta illud Apostoli. *Vt destruatur corpus peccati.* In his siquidem, per Dei gratiam, sua peccato vis & dominium (quod habere solet) eripitur, ut jam nullum inordinatum in se motum, neu quid huc aliquo modo spectans, sentiant, sed perinde in carne vivant, quasi carnem non haberent.

[Margin: Lib. 1. c.]

[Margin: Rom. 6. 6.]

8. Non id tamen dicere volumus, perfectioni castitatis adversari, aliquos id genus motus tum vigilando, tum dormiendo sentire: hoc namque naturale est, & viris etiam perfectis posse contingere asserit Cassianus: tametsi nonnullis famulis suis Deus perfectissimum hoc castitis donum concedat. Alii, per Dei gratiam, vix horum quidquam persentiscunt: alii, si quid huiusmodi oboriatur, statim ita facilè ad mentis malaciam redeunt, tanquam si nihil occurrisset. Atque hoc demum est, angelicam puritatem æmulari: quod nobis S. P. in Constitutionibus velut scopum præfigit, in quem collimare nos & oculos dirigere oportet: *enitendo*, inquit, *angelicam puritatem imitari.*

[Margin: An deplorata sit castitas eorũ, qui aliquo gradu ex prædictis carent.]

[Margin: p. 6. Cõst. c. 1. §. 1.]

9. Notanda verò vocula *enitendo*, quia *enim* non solùm significat procurare & laborare simpliciter, sed laborare cum violentia & con-

[Margin: Quanta vi procuranda sit castitas.]

X 2 tentio-

tentione, vi quadam sibi facta, sicut in rebus arduis & laboriosis fit ad illas superandas. Docere ergo hîc & commonere vult, esse nobis, vt ad angelicam illam puritatem perueniamus, omni animi contentione & viribus laborandum, & remque hanc alto à principio ducendam, in omnium, scilicet, virtutum exercitio, maxime in mortificatione, nos exercendo. Nam, etsi hoc donari à Deo debeat, & nulla diligentia humana ad hoc satis sit; vult tamen Deus, vt, quod à parte nostra huc ipsi conferre possumus, adhibeamus; atque hac demum via istud nobis donum cupit elargiri.

Caput II.

Castitati conseruandæ necessaria est mortificatio, & accurata sensuum, ac præsertim oculorum, custodia.

Lib. 4. de instit. renunc. c. 8. 1. CAssianus ait, priscorum illorum Patrum opinionem ac sensum fuisse, utpote longo multoque experimento edoctorum, neminem vitium & appetitum hunc carnis concupiscentiæque posse refrænare, & perfectè expurgare, nisi priùs omni in re mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates. S. Basilius quoque & alii sancti Patres pluribus probant, ad intimam castitatis puritatem perfectionemque cùm obtinendam, tum conservandam, omnium exercitium virtutum necessariò requiri, quòd illæ virtuti huic ancillantur, adjuvant & custodiunt. Sed quia hac de re toto hoc

Castitas in adultis non sine mediis tenetur.

S. Basil.

opere, ac præsertim in parte secunda egimus, idcirco solùm hîc particularia quædam ad id quod agimus peropportuna prosequemur.

2. Primùm sit, esse nobis, si castitatis perfectionem & puritatem consequi, eamque conservare cupimus, *sensuum, ac præsertim oculorum, portas particulari quadam cura custodiendas.* Per has siquidem malum & interitus in animum ingreditur. S. Gregorius super illud Isaiæ, *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* scribens, ideò ait, justos nubium instar dici volare, quòd se à rebus terrenis sustollant, ideoque in morem columbarum, in fenestris & foraminibus consistere, quòd egredi caventes, ad res exteriores, quæ deforis aguntur & per has sensuum fenestras prospectantur, ab iis concupiscendis securi & tuti sint.

Primum inter media est custodia sensuum.

Lib. 31. Moral. c. 2.

Isa. 60. 8.

Contra exempla custodi- torum. lib. 31. 1.

3. Qui autem levitate quadam, ad res mundi per has sensuum fenestras contemplandas, foras egrediuntur, non rarò ab earundem concupiscentia desideriisque, ceu turbine quodam transversum abripi. David Propheta, tametsi sanctus, & nubis instar ad mysteriorum sublimium ac divinorum considerationum evolate assuetus, quòd semel in videndo non sat cautus & circumspectus fuit, à re visa abstractus & abreptus est (*Ascendit mors per fenestras nostras:*) & peccati mors per illas incautorum oculorum fenestras ingressa, animam ejus despoliavit, deprædata est, & occidit. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Vnde S. Gregorius: *Intue-*

Exempla lapsorũ per sensuum evagationes.

Serm. de continẽtia Iosephi.

Ier. 9. 21.

Thrẽ. 3. 51.

Intueri non decet, quod non licet concupiscere: quia res visæ & inspectæ te post se abripient, ac cor prædabuntur: cumque minùs putabis, captum te & comprehensum deprehendes.

Contra exempla custodiorum. 4. Hac de causa ita se contra malum hoc sanctus Iob præmuniit, unde de se testatur, *Pepigi fædus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Iob.31.1. Quodnam illud, (quærit Gregorius) pacti genus est, cum oculis pacisci, ut non cogitent? cum intellectu potiùs & imaginatione hoc nō cogitandi fœdus pangendum est; cum oculis verò, non videndi. Dicit tamen, *Pepigi fædus cum oculis, ut ne cogitarem de virgine*: probè norat scilicet vir sanctus, per ostium hoc malas in animum cogitationes intrare: ac, si oculos & sensuum portas benè custodiret, fore ut & cor & intellectus optimè custodita essent. Atque ideò cum oculis suis fœdus se pepigisse ait, de nulla muliere cogitandi. Vnde si & tu ab inhonestis cogitationibus immunis esse cupis, oculos castos & honestos habeas oportet, cumque oculis tuis pactum ineas, nihil videndi, quod nefas sit concupiscere. Serm. de continētia Iosephi. S. Chrysostomus occasione horum verborum sic quærit: *Quisnam miretur, ubi viderit magnum hunc virum, qui diabolum debellavit & confudit, & pedem cum eo veluti conferens omnes eius machinas elusit, & stratagemata subvertit, mulieris vultum non audere intueri? Vt noverimus*, inquit, *quàm necessaria nobis in id genus rebus sit circumspectio, quantumlibet pii & religiosissimus.*

5. Tria inquit S. Ephrem, ad virtutes, & præsertim castitatis mundi- Tom.1. pag. 236. 87. de varia doctrina. tiem, comparandas mirificè hominem adjuvant; *temperantia, silentium, & oculorum custodia.* At quamvis Inter sensuum custodiam primaria est oculorū cura. duo prima observentur, nisi simul oculi bene custodiantur parum tuta & firma castitas tua erit. Nam, sicuti, dum aquæductus & canales fontis alicuius rupti sunt, aqua deperit & dispergitur: ita, dum oculi quaquaversum effunduntur, perit castitas. Alius Antiochus Abbas homil. 18. Biblioth. SS. sanctus scriptor visum mulieris sagittam appellat venenoso succo & cicuta infectam, quæ mox ubi cor tetigerit, ipsum enecat. Et, sicut scintilla ignis in stramenta incidens, & proserpere permissa, nisi quamprimum exstinguatur, mox ingens excitat incendium: ita & cogitatio mala, ab incauto hoc conspectu causata, nisi suffocetur.

6. S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus (uti in Vita eius refert Surius) quinquaginta & ampliùs, quibus Episcopatum gessit annis, tametsi multarum mulierum confessiones Exemplum. *Custodia oculorum in S. Hugone.* exciperet, mul aque negotia, quæ ad ipsum, non ex Episcopatu solum, sed & ex aliis orbis partibus, ob eximiam viri sanctimoniam, referebantur; nullam, præterquam unam, ita in facie mulierem conspexit, ut eam exinde nosset: quæ tamen, nesciebat, juvencula ne esset, an anus, formosa ne an deformis. Hac autem ipse quoad hoc cautela ideo dicebat opus esse, quod à cogitationibus illicitis cor præmuniri ac custodiri nequeat, nisi antè oculi custodiantur. S. Bernardus quoque in hac re ita *Ac S. Bernardo*,

fuisse legitur circumspectus, ut, cum semel levi ex incuria mulierem intuitus esset, non advertens quid ageret; postea, ubi ad se rediit, ita erubuerit & sui ipsum puduerit, ut hiberno se tempore in glacie astrictum stagnum vicinum, ad collum usque demerserit, in eoque tamdiu manserit, donec inde semianimis, & vix jam vivus eductus est.

Caput III.

In negotio præsertim castitatis, parva magni sunt facienda.

2. Mediũ cura in parvis etiam.

1. QVo virtus castitatis altior, eminentior ac dignior, eo ad ipsam conservandam maiore opus est cura & diligentia. In omnibus quidem rebus magni refert, parva & minuta maximi facere (nam, ut ait

Eccl 19.1. Sapiens, *Qui spernit modica, paulatim decidet* in maiora;) in hac tamen virtute specialiter id necessarium est: quidlibet enim, quantumvis parvum, castitatem non parum inquinat & fuscat.

Simile de cura parvorum, in pretiosis.

2. Quod communiter in rebus pulchris & pretiosis usu venire videmus, ut defectu & labecula eæ, quantumlibet exigua, valdè dedecorentur, & eo magis, quo excellentiores sunt & pulchriores: eodem modo in eminentissima & pulcherrima hac virtute fit. Et certè nulla hac virtute est tenerior ac præclarior. Vnde vir quidam sanctus castitatem speculo tensissimo ac nitidissimo comparat; nam quemadmodũ hoc flatu & anhelitu levissimo inficitur, suumque nitorem & venustatem deperdit: ita pariter castitas suum rebus levissimis decus & pulchritudinem amittit.

F. Ægidius de primis S. Francisci sociis.

3. Summa proinde cautione ad castimoniæ nitorem conservandum, opus est, sensus mortificando, inhonestum cogitatum quamprimùm præscindendo & comprimendo, omnemque occasionem declinando, nam uti flamma semper aliquod sui, ubicumque fuerit, relinquit vestigium, maius aut minus, prout diu subjectum occupat; &, si id non adussit, saltem ustulavit & infecit: pari modo hæc, quamvis non comburant, satis sunt ut infuscent: propterea quod in mente imagines & cogitationes castitati contrarias, in corpore verò fœdos & inordinatos motus excitent.

Quanta vi nitẽdum sit ad castitatem.

4. Vnde non sine ratione S.P.N. ait, ea quæ castitatem spectant, nulla interpretatione opus habere. Nefas est, hominem sibiipsi confidere, ac dicere: Eatenus si pergam, non adurar: si tantillo longiùs procedendo, periculum adibo: hactenus licitum est, paulò ulteriùs progredi, erit illicitum. Ita nec in materia castitatis dicendum: Hucusque veniam, nec ulteriùs provehar. Qui per locum declivem ac lubricum devolvi se sinit, duntaxat ad locum antè cogitatione destinatum se devolvendum existimans, sæpè suopte pondere & loci lubricitate longiùs propellitur, quam initio intenderat. Simili modo hic contingit: Locus quippe apprime lubricus & præceps est, carnis quoque nostræ pondus & huc propensio,

Exemplũ summæ custodiæ in F. Rogerio ord. Minor. in Chron. ord. p. 2. 6. c. 24.

p 6. Constit. cap. 1. §. 1. Summa videlicet.

pensio, nimis quàm magna est. Virtutis autem huius teneritudo non patitur, ut ruinæ tam vicini fiamus, periculisque tam evidentibus exponamur. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* (1.Cor.4.7.) Thesaurus hic pretiosissimus est, eumque in vase luteo & argillaceo circumferimus: unde si hoc vel leviter collisum sit, ille statim deperit. Quocirca magna solicitudine & diligentia hic utamur oportet, omnes undequaque vias inordinato cuilibet motui, per quem passio hæc cordis nostri dominium occupare queat, occludendo.

(Exemplū summæ custodiæ in F. Rogerio ord. Minor. in Chron. ord. p.26. c.24.)

5. Quidam de veteribus illis Patribus cùm ipsum castitatis donum eminenter haberet, & nihilominus miram (etiam in occasionibus parvis) diligentiam in inhonesta cogitatione sub eius exortum pellenda, in visu quoque, conversatione, & commercio cum aliis adhiberet; sciscitantibus ex eo sociis & Fratribus, Pater, cur tantopere formidas, cùm castitatis dono te ita Deus Opt. Max. communierit & circùmvallarit, respondisse fertur: Certè, fratres, siquidem ago quod in me fuerit, in his rebus parvis & minutis, mihi aderit & auxiliabitur Deus, ne unquam in maiora prolabar: at, si negligens sim, & in his intepescere incipiam, nescio sanè, an eius opem sperare possim, hoc saltem merebor, ut, suam Domino manum subtrahente, paulatim corruam. Propterea, nulla in re negligens esse aut ignavescere velim, sed quæ à parte mea sunt, omnibus in rebus, quantumvis parvis & exiguis, exactè præstare. Sic S. Thom. Aquin. etiamsi donum castitatis supernaturali, quodam modo à Deo accepisset, nullamq; eius impugnationem sentiret, Angelis denique sponsoribus didicisset, in castitate se confirmatū, summa tamen oculos cautione, tum in mulieribus aspiciendis, tum in alia re qualibet, quæ puritati posset officere, custodiebat.

(Tu quoque fac simile.)

6. Hoc ergo & nos imitari par est, si modò virtutis huius puritatem & perfectionem conservare velimus; sin minùs, timendum meritò est ne labamur. Atque hoc significat S. Iob, dum de se dicens, *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*; (Iob.31.1.) mox subjunxit, si enim id agerem, *quam partem haberet de me Deus desuper?* Perinde ac si diceret: Nisi ita seriò caverem, nisi occasiones tam studiosè declinarem, nisi malam cogitationem mox animo proscriberem, nisi denique parva magni facerem; aliquod haud dubiè sinistrum desiderium in me oriretur, per quod Deum amitterem.

(Dæmonis conatus contra castitatē magnus, nos excitat ad magnam curam.)

7. In quo cæco dæmon furem magistrum imitatur: hic namq; domum probè obseratam diripere volens, si quod foramen fenestellamve apertam videt, quàm ipse spissus pertransire nequeat, puerum aliquem furunculum eodem transmittit, ut hic domum ingressus, magistro pòst januam aperiat, ad rem suam intus agendam: pari modo diabolus pravas cogitationes, incautum oculorum jactum, & alia eiuscemodi, veluti furunculos prævios, intromittit, qui illi cordis januam aperiant, viamque sternant ingressuro. Vnde

per-

permagni interest, summa hic cautione uti, occasiones eminus præcavendo ac declinando.

Omnis conatus hic utilis est.

8. Quæcumq; autem hoc in genere diligentia adhibetur, nonnisi optimè fuerit impensa.

Lib. 6. de instit. renunt. c. 7. 1. Cor. 9. 25.

9. Ad hoc propositum expendit Cassianus illud Apostoli Pauli: *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*: Si, inquit, athletæ veteres, qui in Olympicis certaminibus luctabantur & currebant, ad vires corporis, (quæ ad hoc requirebantur) non debilitandas, nec deterendas, cibis, quibus eæ destrui possent, abstinebant, otium cavebant, exercitia verò varia obibant, quibus robur adaugerent: si adhæc, quò celeriores & robustiores essent, renes plumbea lamina exteriùs communiebant, ut, ne quidem per somnum motum aliquem inhonestum & illusionem sentirent, neu quid paterentur, quo vires & vigor corporis si non perirent, saltem imminuerentur. *Et hæc illi* agebant, *ut corruptibilem* ac transitoriam *coronam* & præmium *acciperent*: quid nos, ut angelicam & cœlestem hanc virtutem, necnon sempiternam, incorruptam, & æternùm duraturam coronam accipiamus, facere par est?

Caput IV.

In confessione potissimùm magni faciendum omne id, quod quoquo modo castitati contradicat.

In specul. disciplin.

1. S. Bonaventura de confessione loquens, generale quoddam & omnibus conveniens dogma proponit. *Omnes*, inquit, *inprimis caveant, ne qua paulò obsceniora, quæ subinde contingunt, confiteri negligant, dicendo: Hoc non est peccatum, aut saltem non erit mortale; venialia porrò confiteri non tenemur. Quia ingentium hoc malorum fuit causa, multis quoque perditionis extitit principium. Avertat à te Deus, ne quando hunc dæmoni aditum patefacias, hacq; eum via ad te intromittas: quia, ad te perdendum, plus es non est necessarium.* quamprimùm *namq;, pudore levitati materiæ patrocinante, tibi persuadebit peccatum non fuisse, quod revera fuit aut saltem de quo probabiliter dubitari poterat verene esset; ideoq; ut ipsum confiteri negligas.*

3. Media minima circa castitatem confessione explicare.

2. Porrò in bonæ vitæ hominibus, quique mortaliter peccare non solent, præpostera hæc verecundia potissimè si quando quid turpe illis evenerit, habere locum consuevit. Nam quoniam superbia & æstimationis propriæ appetitus adeò nobis connaturalis est, intimisque visceribus insitus & inhærens; hinc ille tunc suppullulans reviviscit, maximeque hominem mordet & vexat, quòd nomine ac reputatione quam apud Confessarium bonam habebat, jam excidet. Inde varias rationes conquirat, sibi ut persuadeat, rem illam vilem ac turpem, quam jam tantopere erubescit confiteri, ad peccatum mortale non ascendere, itaque ad eam confitendam se non obligari. Aliàs verò, etsi eam penitus non supprimat, tamen causat ista mala verecundia hoc, ut tam minutè, elumbatè, atque iis ambagibus circuitionibusque

Cur verecundiores in confessione probiàliàs.

busque proferat, vix ut intelligatur, aut saltem non tam gravis esse videatur culpa, quod perinde est, ac si reticuisset. Quod enim in confessione dicitur, ita clarè liquidoque dicatur oportet, ut peccati gravitatem Confessarius intelligat.

Tali verecundia multorū sæpe fit irrita cōfessio.

3. Hinc si quis rem ita declaret, ut vel peccatum non videatur, vel gravitas & necessaria circumstantia non percipiatur; idem facit, ac si confessionem nullam instituisset. Pudor, vel (ut meliùs dicam) superbiæ eos excæcat, & fascinat, ne se totos & apertè patefaciant. Parvum ille, aut nullum de culpis dolorem sentiat oportet, qui ne quidem ad eas confessori dicendas aperiendasque sufficientem virtutem habet.

Remedium contra hunc pudorē.

4. Pudorem & erubescentiam hanc homo, in aliquem culpæ, quam admisit, compensationem & satisfactionem offerre deberet, ut ea Deum Opt. Max. quem offendit, iratum leniat. Vel hoc, quòd in aperienda culpa repugnantiam ac difficultatem sentiat; satis esse homini deberet, ad se ut suspectum habendum, aperteque intelligendum id, quidquid tandem esset, aperiri oportere: etsi aliud in eo bonum non foret, quàm quòd hanc repugnantiam superet, se ipsum mortificet, atque impediat ne caro & diabolus quoddam de se victoriæ tropæum statuant.

Quare periculosum sit in materia castitatis suo judicio stari.

5. Præsertim quòd in hac castitatis materia multa occurrant, quæ imperiti & ignari peccata mortalia esse non putant, cùm tamen verè sint: alia quoque de quibus non facile est statuere verum eousque pertingant, necne; quia maximè dubia sunt & intricata. Unde etiam hæc, sub peccati mortalis reatu homo confiteri tenetur. Et verò, cùm quis dubitat, num culpa quam admisit, ad mortalem pertigerit necne, satis id est, ut ipsam confiteri sub peccati mortalis pœna teneatur, & eam non fatendo, tam confessio, quàm divinæ Eucharistiæ sumptio, sacrilega fiant. Sæpè ne confessarius quidem quantumlibet doctus & gnarus, determinare certò potest, num ad mortale culpa ascenderit, necne; quomodo ergo in causa propria eam pœnitens levi pede pertransire, & certò definire audeat illam eousque non pervenisse?

Signa pudoris nimii in castitatis materiis confitēdis.

6. Magno se haud dubiè periculo exponit: præsertim quòd ad hanc omissionem & silentium naturaliter propendere videtur; &, si posset, vellet culpam planè non esse & obliterari, nec tantam tamque gravem apparere, idque ob pudorem, quem in ea explicanda sentit. Equidem non ausim aliquam illi in conscientia securitatem præstare. Melior hic testis adhiberi non potest, quam propria cujusque conscientia: nam qui in confessione de noxis minoribus se accusat, non potest non remorsum conscientiæ sentire, cùm id se de industria retinere videt, quod majus esse novit, quàm alia omnia.

Remedium aliud cōtra istam malam verecundiam.

7. Sanè in mortis hora non auderes id omittere fateri, ergo nec omittas modo: ita quippe nos & confiteri, & universa opera peragere oportet

portet, tanquam si statim vita esse-mus excessuri. Quod si, ut ait Sanctus Gregorius, *Bonarum mentium est, ibi etiam aliquando culpam agnoscere, ubi culpa est*: certè non bonarum est, ibi culpam non timere vel agnoscere, ubi timendi materia est.

Epist. ad Augustinum. Respons. 10.

Aliud effugium declinantium cōfiteri materias castitatis. Ejusdem eversio.

8. Dicunt ad hoc aliqui, Ideò id fateri omitto, ne reddat scrupulosus. Hæc nimirùm est alia dæmonis illusio. Neque enim scrupulositas hoc est, aut dici potest: quia minora multò quàm hæc, in confessione dicunt, & dicere debent, qui virtutis sunt studiosi; non quidem quòd ad id teneantur, aut scrupulis agantur; sed ex mera devotione, & singulari erga sanctissimum Sacramentum reverentia. Tanta quippe in hoc puritate procedendum est, ut se etiam de eo quod culpa non est, hominem in hac materia accusare debere viri spirituales consulant: verbi gratia. *Accuso me, Pater, quòd ad obscœna fuerim tentatus*, & certè, si negligentem in iis repellendis fuisse te credas, ipsum indicare debes, dicens, *Videor mihi aliqualem in iis admittendis, vel repellendis, negligentiam prætulisse*, etsi nonnisi levissimam & venialissimam. Et sanè ut plurimum aliqua in iis subest culpa vel negligentia, eò quod tenaces & viscosæ sint. Verumtamen esto nulla prorsus in eo culpa tua intervenisse videatur; dicere nihilominus potes: *Accuso me, quod multas inhonestas cogitationes ac tentationes habuerim*; addendo tamen, quamquam, *Deo dante, fecisse videor quod à parte mea mihi faciendum incumbebat, nullamque in eo culpam meam extitisse.*

Consiliū de confitendis etiam innoxiè succurrentibus materiis gravibus

9. Sicut etiam consulunt, ut hoc modo se quis de blasphemis contra Deum & Sanctos & fidem occurrentibus cogitationibus accuset, necnon de iis quæ minoris momenti sunt: qualia sunt ea quæ in somniis eveniunt, in quibus nulla intervenit culpa: quia sine voluntate & libero arbitrio nulla potest esse culpa. Nihilominus salutare consilium est, ut illusionem hanc nocturnam homo confiteatur, ob eamque se humiliet: quamvis id de necessitate non sit, cùm nullam ejus dederit causam, nec ullam in eo culpam admiserit. Atque ita solent qui timoratæ sunt conscientiæ, se ante Deo per horum confessionem reconciliare, quàm communicent, idque ex magna erga tam divinum Sacramentum reverentia.

An communio propter innoxiā passionē contra castitatē omittenda sit.

10. Quærunt etiam hoc loco Theologi, num propterea sit omittenda communio? docentque, decentius ac reverentiæ majoris fore, in alium diem ipsam differre, nisi particularis aliqua ratio secùs faciendum suadeat; uti in Religioso usuvenit, tum, cum universa communitas communicat; qui si tunc una cum aliis sacram communionem non adiret, notam vix effugeret. At posito iam illi communionis adeundæ facultatem factam esse, optimum est, ante positum consilium sequi.

CAPUT V.

Quam vehemens & periculosa sit amoris passio, & quantopere ea extimenda.

4. Mediũ castitatis, oppugnatio passio Amorosæ.

1. IN iis quæ maximè timenda sunt, non postremum locum tenet passio amoris: nam, quoniam est passionum primaria & vehementissima, hinc etiam est ad regendum refrenandumque perdifficilis: itaque majori in periculo versamur, ne ab ea præcipites abripiamur, & ideò meritissimè ad eam impugnandam accendimur zelo, quali Dominus ejecit vendentes & ementes è templo Dominico.

Lib. 11. super Gen. ad litter. c. 41.

Amorosæ passionis vehementia quãtum in Adam innoxio valuerit, patet.

2. Egregiè passionis hujus vim ac vehementiam declarat S. Augustinus, quamque meritò hominibus ea timenda sit: idque duobus è sacra Scriptura depromptis exemplis. *Primum* est primogenii parentis nostri Adam. Percontatur ergo S. Doctor, quid causæ sit, quod Adam voci uxoris suæ obedierit, Deique præceptum violando, ex arbore vetita comederit? An, quia Adam deceptus fuit, credens se, si de fructu illo comederet, sicuti Deum fore, quemadmodum Evæ serpens promiserat? Verisimile, inquit, non videtur, Adamum, qui tam eminenti donatus à Deo erat sapientia, decipi potuisse, ut hujusmodi quid sibi persuaderet. Unde Apostolus: *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* Quocirca notat curiosè Sanctus Augustinus, Evam, dum à Deo rogaretur, *Quare hoc fecisti?* respondisse, *Serpẽs decepit me, & comedi.* Adamum verò dum rogaretur, non respondisse, Mulier quam dedisti mihi, me seduxit, itaque comedi; sed, *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Tanto sc. ergà uxorem suam amore & affectu ferebatur, ut, ne eam mœrore afficeret, postulatis ejus morem gesserit. Ab amore igitur Adami seductio contigit: Non quod is à sensualitate & carnis concupiscentia victus esset, ait S. Augustinus (quia tunc illa in ipso rebellio non fuit;) sed ab amore & benevolentia amicabili, ob quam interdum, quò amico placeamus, Deo displicemus. Per hanc ergo januam peccatum intravit, & cum eo mors, atque adeò mala omnia, labores, & ærumnæ.

1. Tim. 2. 14.

Gen. 3. 12.

Item in Salomone sapientissimo Rege

3. Secundum exemplum est Salomonis. Quis, quærit Augustinus, eò stuporis & dementiæ Salomonem compulit, ut idola tandem coluerit? Neque enim credendum est, virum qui tantam à Deo sapientiam acceperat, sibi persuasisse aliquam illis simulacris divinitatem aut numen inesse, aut ullum ab eorum cultu emolumentum colentibus posse provenire. Quid causæ fuit, eò cœcitatis & amentiæ ut venerit, ut eadem adoraret, incensumque supplex iis adoleret? Amor, hoc declarat Scriptura divina, dum disertè de eo scribit: *Adamavit mulieres alienigenas multas de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel, non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim avertent*

3. Reg. 11. 1.

corda vestra, ut sequamini Deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore: cumq; jam esset senex, depravatum est cor eius per mulieres, ut sequeretur Deos alienos. Quod enim Salomon huic Deo mandato non paruit; hinc illi factum quod præmonuerat Deus: nam quampiam de illis mulieribus adamans, mox idolo quod ipsa colebat, fanum ædificabat: acceptâ rursus aliâ, rursus eius idolo delubrum construebat: atque ita de cæteris. Illæ autem in his Deos suos adorabant: quibus Salomon, tametsi tanta gravitate & sapientia Rex, turpiter ancillatus, unà cum ipsis falsa hæc numina colebat, incensumque adolebat. Non quod (ait Augustinus) in illis aliquod numen adorandum colendumque crederet, sed amore excæcatus & victus: ne videlicet *suas delicias, quibus deperibat atque diffluebat, contristaret*, utque placeret iis, quæ ipsi tantopere placebant. Amor scilicet cor eius pervertit.

Ne quidē sanctorū & in sacris materiis amori fidendum est, uti securo.

4. Hac de causa sancti Patres, & vitæ spiritualis magistri, nos monent, ut ab hac passione, & omnibus quæ huc pellicere possunt occasionibus, nobis diligentissimè caveamus: &, licèt amor hic videatur bonus, & non nisi erga homines singulari virtute & sanctitate præditos feratur; conversatio adhæc, tractatioque de rebus bonis & spiritualibus sit: ipsi quoque, quibuscum agitur, multùm se tali commercio in spiritu proficere & juvari credant; nihilominus magnam circumspectionem & cautelam adhibeamus. Etenim communis Sanctorum Patrum doctrina est, (quam etiam adfert Bonaventura) Amorem spiritualem facili negotio solere degenerare, & è spirituali in carnalem sensualemque transire: ac, licèt in principio purum vinum sit, postea tamen ei aquam misceri: quodque initio balsamum erat, aliorum vilium inferiorisque notæ liquorum immistione deinde vitiari, juxta illud Isaiæ: *Vinum tuum mixtum est aqua.* Imò verò hoc, esse medium & esca solet, qua ad hominem seducendum, eumque paulatim, quocunque lubuerit, abripiendum cacodæmon uti solet.

tōm. 2. opusc. li. 2. de profect. relig. c. 27.

Isai. 1. 22.

5. Vnde S. Bonaventura, dæmonem perinde hîc facere ait, atque olim Architriclinus ille in Cana Galilæa profitebatur solere fieri ab hominibus, qui sub convivii initium bonum sapidumque vinum propinant, postea verò, quod deterius erat. Principio siquidem iis persuadet, omnia non nisi ad devotionem tendere, spiritui juvando mirum in modum conducere, atque hac è conversatione familiaritateque fore ut mirificè proficiant. At postquam eos jam ad nutum flexibiles, ac minimè renitentes reddidit, ac velut ar[r]his acceptis penitus sibi videt acquiescere; tum demùm virus suum detegit ac patefacit. Primum illud fuit velut esca, ad eos in rete suum pertrahendos accommodata. Neque verò dæmonem (ait Bonaventura) piget tædetve, escam hanc, quæ bona videatur, diu cuipiam proponere: omne quippe tempus optimè illi insumptum videtur, dummodo tandem

Process. 6. relig. c. 16.

Ioā. 2. 16.

Versutia diaboli in decipiendis hominibus per amores, uti vina.

dem amor spiritualis in carnalem ac sensualem degeneret.

Process. 4. de relig. c. 12. Exempla plurimorum deceptorũ nos terreant.

6. Quàm multi (ait Bonaventura) sub prætextu spiritus, familiaritatem & amicitiam cum aliis contraxerunt, rati eam omnem nonnisi à Deo, & spiritualem esse, & animabus suis perutilem futuram (& verò fortè in principio talis erat,) &, postea, amore illo paulatim in malum degenerante, cœperunt inepta impertinentia quædam colloquia miscere, ac res leviculas & ridiculas tractare, cùmque spiritu cœperint, carne tandem consummantur. Gal. 3. 3.

Notabile Exemplum. p. 1. tract. de distin. Verar. vision. à falsis signo 5.

7. Cùm insignis Dei servus (ut tradit Ioan. Gerson) præclaris tum doctrinæ, tum virtutis ornamentis conspicuus, cum Religiosâ quadam, itidem Dei ancilla, sanctè deque rebus ad animæ salutem spectantibus itentidem ageret; paulatim unà cum conversatione & assiduo commercio, amor & affectus hic erga illam increvit, sed non in Domino: adeò ut is se continere non posset, quin illam sæpius invisum abiret, multoque cum ea tempore colloqueretur; ab ea verò cùm abesset, non poterat non assiduè de ipsa cogitare. Nihilominùs bonus hic vir adeò cæcutiebat, nullum ut sibi in hoc commercio malum, nulla diaboli illusio, latere videretur. Dicebat enim, nullam omnino sibi rei illicitæ hinc cogitationem oboriri. Quo excusationes genere non pauci excæcari & in fraudem pellici solent. Hæc ille ita faciebat, usque dum occasione se offerente longum iter instituere coactus est: ac tum demum, in discessu ab illa, percepit, amorem hunc nec purum, nec castum, fuisse, ac, nisi per hanc profectionem & absentiam, peccandi sibi occasionem Deus eripuisset, se ruinæ & præsenti exitio quam proximum fuisse. Vnde eo loco Gerson, de ingenti, quod hoc in amore latet, periculo & illusione agens, ait: *Non quidquid resplendet, aurum est; nec caritas, omne* quod caritas esse videtur. Additque, virum sanctissimum dicere solitum, nihil esse, quod aut magis timeret, aut suspectius sibi esset, quàm amorem, etiam in personis multæ virtutis & sanctitatis: & ad hoc adfert illud Salomonis: *Est via, quæ videtur homini recta, novißima eius ducunt ad mortem & interitum.* Talis, inquit, via hæc amoris esse solet.

Caput VI.

Aliquot contra tentationes carnales remedia.

1. Secunda parte, tractatu quarto, (qui est de tentationibus) quædam adversus hasce tentationes remedia produximus: nonnulla verò in hunc locum, reservavimus, de quibus jam erit in præsens tractandi locus. Primò quidem Oratio, inter omnia, quæ à divina Scriptura & sanctis Patribus, contra omnigenas tentationes suggeruntur media, facilè princeps est. Hoc medium nos ipse Christus in Evangelio docet, dicens: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Vnde V. Beda, sicut, inquit, fur clamorem audiens, fugit,

5. Mediũ castitatis est, scire contra carnis tẽtationes Remedia quæ sunt 1. Oratio.

Matt. 28. 41.

omnesque eo exciti exsurgunt, & ad auxiliandum accurrunt: pari modo orationis clamor diabolum fugat. Angelosque & Sanctos omnes excitat, ut ad auxiliandum nobis & opitulandum accurrant. Sic S. Bernardus fertur, cùm impudica castitatis prædatrix sibi immineret, alta voce clamasse, *Latrones, latrones*; atque hoc clamore fœminam à se abegisse. Quòd si ad hominum clamorem & voces fur effugatur; quanto magis fur ille veteranus, ac veterator (qui spirituales animæ nostræ divitias furari nititur) ad clamores & voces quas ad Deum & cœlites extollimus, fugam inibit?

2\. Memoria passionis Christi. 2. Singularissimum porro & optimum adversus has tentationes remedium est, seria attentaque passionis Christi recogitatio, inque eius vulneribus absconsio. Quocirca præclarè S. Augustinus: *Nullum*, ait, *tam potens est, & tam efficax medicamentum contra ardorem libidinis, sicut Mortis Redemptoris mei memória. In omnibus rebus non inveni tam efficax remedium quàm vulnera Christi: in illis dormio securus, & requiesco intrepidus*. (in Manuali c. 32.) Vnde etiam Doctor quidam gravis curiosè observat, non dici latus Christi in Evangelio percussum aut transfossum, sed apertum fuisse. (Ioa. 19. 34) *Vnus militum lancea latus eius aperuit*. Vt noverimus, inquit, viam & aditum apertum esse, ut per hunc ad intimum cor Christi ingrediamur, ibique nostrum refugium & asylum esse debere, *in foraminibus*, inquam, *petræ* (id est Christi) *in caverna maceriæ*. (Cant. 2. 14) Hoc quoque remedium assignat S. Bernardus, dum ait, Quando tentationem hanc senties, statim passionem Christi meditari incipe, ac dicito: *Deus meus pendet in patibulo crucis, clavis suffixus, & ego voluptati operam dabo?* (De formula honest. vitæ.) Vti olim fidelis ille miles Regi hortanti, ut in domum abiret, ibique, quietis paullum capturus, defatigatum corpus lautitiis quibusdam oblectaret, respondit: *Arca Dei & Israel & Iuda habitabant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & servi Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc*: (2. Reg. 11. 11.) ita & nos dicere oportet, Ah, Domine tu in cruce hac fixus, voluptates, quas homines peccando captant, tam carè luis: nolo proinde voluptati indulgere, quæ tam caro tibi stet.

3\. Recordatio quatuor novissimorum. 3. Alii, in hisce tentationibus quatuor novissimorum considerationem & memoriam, ut certissimũ remedium, adhibent, juxta illud Sapientis: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*. (Eccl. 7. 40.) Alii enim inferni consideratione hic utuntur, recogitantes illud S. Gregorii: *Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat*. Nam in æternitatem illam, in illud semper, in illud, Quam diu Deus erit Deus, cogitatione penetrare, efficacissimum est ad minimè peccandum, medium, juxta illud Prophetæ, *Descendant in infernum viventes*. (Ps. 54. 16.) Etenim nunc & interim dum vivitur, seria in infernum consideratione descendere, plurimum

mum conferet, ad eodem post mortem non descendendum. Alii contrà ipsa gloriæ cælestis consideratione tentationem hanc expugnant; intolerabilem esse dementiam & stoliditatem rati (& eis haud dubiè) cum perbrevi & exigua voluptatula Dei possessionem mutare, & semper duratura gloria propterea in æternum excidere. Quæ autem esse maior stultitia potest, quàm nō facere quod Deus gloriâ sempiterna propositâ faciendum præcipit; & contrà, tuere ad agendum id quod diabolus, infernalibus tormentis propositis, faciendum suadet? Aliis denique ipsa mortis & judicii supremi recordatio, hac in parte plurimum prodest. Omnes hæ considerationes optimæ sunt: quisque autem eam arripiat & usurpet, è qua maiorem sibi provenire fructum sentiet, quem modò ex hac, modò ex illa percipiet: quare indiscriminatim re omni utendum est.

4. Signū S. Crucis, & nominis Iesu invocatio, & in Deiparam Virginem affectus.

4. Adversus hasce tentationes non mediocre item munimentum est, signi crucis, in fronte & pectore formatio, nec non sanctissimi nominis Iesu cum affectu & devotionis sensu invocatio. Mirabiles autem effectus, & permulta miracula, (quorum plena sunt passim veterum historiarum monumenta) hinc secuta legimus. Ipsum quoque erga Deiparam matrem studium & cultus, mirè hic proderit: nemo proinde sit qui non singulari erga eam affectus feratur, & quamprimum suo in discrimine ad sanctissimam hanc virginem magna cum fiducia confugiat: neque enim potest non esse misericors illa, quæ novem mensium spatio ipsammet misericordiam virginalibus visceribus suis complexa fuit. Est demum mater misericordiæ, ac fidissima advocata & patrona peccatorum, quos & ipsa singulari modo diligit, videns, quantopere eos suus filius dilexerit, quamque caro eos pretio compararit. Inprimis verò videt, hos ipsos peccatores causam fuisse, cur æternum Dei Verbum de corpore suo carnem assumpserit, ipsaq; Dei altissimi mater facta sit: propterea oculis clementissimis illos respicit, pro iisdem apud filium intercedit, & quidquid vult, ab eodem intercessione sua consequitur. Quid enim filius matri negare queat, & quidem talis filius tali matri? Vnde meritò mellifluus Bernardus celebri illo elogio eam compellat: *Sileat misericordiam tuam, virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* (*Ser. 4. de Assumpt.*) Porro etsi isthoc remedium ad omnia quidem tentationum genera & occasiones, efficacissimum sit; inprimis tamen ad hanc de qua in præsentia loquimur: propterea quòd purissimæ illi Virgini puritas & castitas gratissima sit ac mirè placeat.

Exempla per B. V. Mariam exemptorū ab impuritate, nos ad illam animent.

5. Hinc nonnullorum Doctorum opinio est, eminentissimam illam puritatem virginalem, quam Ioan. Baptistes habuit, ita quidem integram, ut ne veniali quidem nævo eam commacularit; ab ipsa Virginis huius visitatione, quæ trimestri integro cum Elisabetha cognata sua

commo-

commorata eſt, ei obveniſſe. Fuit quippe viſitatio hæc, tam corporalis, quàm ſpiritualis. Hinc ait Ambroſ. *Non enim ſola familiaritatis eſt cauſa quòd diu manſit, ſed etiam tanti vatis profectus.* Et ſi è prima viſitatione & ſalutatione, tantum ſecutum eſt bonum, ut infans in utero matris exultarit, & ſanctificatus fuerit, ipſa quoque Eliſabeth, audita virginea ſalutatione, repleta fuerit Spiritu ſancto; ecquem, inquit, fructum, ecquod commodum è tanti temporis præſentia & converſatione ſecutum eſſe exiſtimas? R. P. M. Avila varios effectus, & notabiles fructus vidiſſe ſe ſcribit in multis, qui cùm ab hac tentatione infeſtarentur; Virginis Deiparæ ope, ab ea mirabiliter liberati ſunt, nõniſi quotidie aliquas, in immaculatæ eius conceptionis (utpote quæ ſine peccato contigit,) nec non puritatis eius, qua unigenitum Dei filium concepit & peperit, memoriam preces recitando. Cui rei & intentioni peraccommodi ſunt verſiculi illi, quos concinit Eccleſia: *Poſt partum virgo immaculata permanſiſti, Dei genitrix intercede pro nobis: &*

Lib. 2. in Luc. c. 9.

Cap. 14. Audi filia.

Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac & caſtos.

In quibus, immaculatam & perpetuam eius virginitatem ei in mentem revocando, eam rogamus, hanc ut nobis virtutem impetret, ut per eam tam ipſi, quàm cariſſimo eius filio placeamus.

5. Remediũ contra tentationes incontinentiæ eſt Affectus pius erga SS. eorumq; reliquias.

6. Non contemnendum itidem remedium eſt, erga Sanctos, eorumque reliquias mirè affici. Refert Cæſarius rem, quam ſe ex ore eius dicit accepiſſe cui contigit, Monacho ſc. Ciſtertienſi, Bernardo nomine. Hic cùm nondum Religioni nomine dato, aliquò proficiſceretur, ſanctorum Martyrum Ioannis & Pauli reliquias de collo ſuſpenſas habebat. Ecce verò in itinere inhoneſta illi incidit tentatio: quam cùm tunc quidem parum curaret, eique non reſiſteret, nec fœdas illas cogitationes pro eo ac oportebat à ſe abigeret; ſanctæ illæ reliquiæ, thecæ ſuæ motu, pectus eius identidem tundere incipiunt ac motitare. ille tamen minimè huc reflectebat, nec quid hoc eſſet, advertebat: ceſſante verò tentatione ceſſabat & pulſus. At paulò pòſt illa redeunte, redit & pulſus reliquiarum, tanquam ſi aurem eius vellicarent & commonerent, ſuper ſe ut excubaret, ac fœdas illas cogitationes à ſe repelleret. Tum demum in ſe reverſus, cogitare cœpit ſeſe hoc pacto officii commoneri: quare fortiter ac ſeriò ſpurcæ tentationi conatus eſt reſiſtere.

6. Viſitatio frequens V. Sacramẽti, & ſumptio.

7. Salutaris quoque, & huc inprimis conducens devotio eſt, ſæpenumerò ſanctiſſimum Altaris Sacramentum viſitare, atque ab eo opem & gratiam, ad victoriam referendam, depoſcere. Maximè verò huc confert frequens eiuſdem Sacramenti ſumptio, juxta illud Prophetæ oraculum, *Paraſti in conſpectu meo menſam,* quæ ingentem mihi virtutem & robur *adverſus eos, qui tribulant me,* ſuppeditat. Adverſus omnigenas quidem

Pſa. 22. 5.

quidem tentationes (ut docent SS. Patres) sacer hic cibus præsentissimum remedium est; inprimis tamen, & singulari quadam ratione, ad carnis tentamenta superanda, castitatemque conservandam, vires subministrat. Peccati quipe fomitem mitigat, motus carnis imminuit, & ardores concupiscentiæ, non secùs ac ignem aqua, exstinguit, ut docet Sanctus Cyrillus: atque ad hoc adducunt illud Zachariæ: *Quid enim bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinas virgines?* de quo suo dictum est loco.

S. Cyrill. Zach. 9. 9.17.

p.2. tract. 8 c.10.

Caput VII.

Pœnitentia & mortificatio carnis, accommodatissima & primaria est contra hanc tentionem medicina.

7. Et præcipuum remediũ est, carnis mortificatio.

1. B. Hieronymi vox: *ardentes diaboli sagittæ, jejuniorum & vigiliarum rigore extinguendæ sunt,* inordinatique carnis motus & appetitus pœnitentiis assiduis & asperitatibus edomandi. Quod & ipse strenuè factitabat. Sanctus Hilarion quoque, referente eodem Hieronymo, cùm à titillationibus carnalibus, fœdisque cogitationibus infestaretur, sic corpus suum compellabat, *Equidem, aselle, efficaciam, ut non calcitres: avenam quippe lasciviæ illecebram; tibi subtraham ac nonnisi paleis te pascã, fame sitique conficiam, gravi pondere opprimam, æstu & frigore indurabo, ut cibum potiùs quàm lasciviam cogites.* Hoc certè gen⁹ remedii, num à sanctis Patribus maximoperè est commendatum, tum à Dei servis semper usurpatum, etiam cum illicitos in carne motus & conflictus non sentiebant.

Epist. ad Furiam. Hieron. in Vita ejus.

2. Nonnemo, (ut in Franciscanis annalibus scribitur) viro sancto quæsivit, cur Johannes Baptista, jam inde à matris utero sanctificatus, in desertum se contulerit, tantaque ibidem quidem asperitate in corpus suum, (ut in Evangelio de eo scriptum est) animadverterit? qui vicissim ab eo petiit, Cur caro, etiam recens & bona saliretur? Respondit alter, ut meliùs conservetur & non corrumpatur. Ad hunc ergo modum, inquit, Joannes Baptista asperitatis sale se salivit, quo ejus sanctitas meliùs corruptione ab omni conservaretur, uti de eo canit Ecclesia: *Ne levi saltem maculare vitam famine posses.* Quod si igitur, etiam antequam hæ tentationes sentiantur, atque in tempore pacis, hoc severitatis ac mortificationum exercitium usurpari convenit; quanto magis belli tempore ipsum adhibere par erit? Hinc castitatem, ait D. Thom. Aristotelem secutus, à castigatione dici, quòd corporis castigatione vitium contrarium refrænandum sit: additque inhonestatis vitia, ceu pueros esse, qui quòd ratione prudentiaque careant, virgis coercendi sunt.

Exempl. 1.p.l 6.c. 32. Chrõ. Minor.

2.2.q.155 a.1.& 3. Arist.3. Ethi.

3. At, quid si ex hac corporis castigatione quædam sequatur debilitas, languor, ac valetudinis corporalis detrimentum? Huic objectioni respondet, sed alio in loco, Hieroni-

Objectio contra mortificationẽ dissolvitur.

mus: *Melius est*, dicens, *eis stomachum dolere, quàm mentem.* Satius quoque est præ infirmitate pedes claudicare ac tremere, quàm ut vacillet castitas: tametsi in omnibus & semper adhibenda sit discretio. Ideoque omnia hæc secundùm cujusque vires, ac tentationis & periculi magnitudinem commensuranda sunt. Quia aliud est, tentationem tam vehementem esse, ut castitatis amittendæ periculo hominem exponat: ac tum quidem cuilibet discrimini corpus exponendum & objiciendum est, quò anima salutem consequatur, juxta illud medicorum definitum: *Extremis morbis extrema & exquisita sunt adhibenda remedia.*

Simile à morborum cura. 4. Sicut enim quando morbus mortalis est, & homo in præsentissimo vitæ perdendæ discrimine versatur, extraordinariæ usurpandæ curationes, & extrema tentanda sunt: pari modo in tentationibus & spiritualibus infirmitatibus, cùm eæ vehementes sunt, usu venire debet. Aliud verò est, nonnisi cum mediocri tentatione, cujus tantum non est periculum, & ad quam vincendam tam acris contentio non requiritur, decertare.

Variæ origines tentationum carnis. Varia exigunt remedia. 5. Notant verò hîc vitæ spiritualis magistri, tentationes has *interdum quidem ab ipsamet carne enasci*, & à corpore deinde in animam redundare: uti fit in juvenibus, iisque qui bona validaque corporis constitutione ac valetudine sunt, carnemque suam delicatè habent. Ac tum quidem perutile fuerit, id quod dictum est ei remedium adhibere, & carnem macerare, cùm in ea mali radix sit. *Aliás verò ab anima*, ortum habere, & ab anima deinde redundare in corpus: quod tum fieri constat, dum homo magis, cum tentationibus & fœdis imaginibus, quam cum turpibus, sensibus, & motibus corporis confligit: si autem nec illi deesse comperiuntur, non inde est quòd tentatio ab iis incipiat, sed quod à cogitationibus incipiendo, sensus hi & motus in carnem deforis resultent: atque etsi hæc subinde valdè flaccida, debilis, ac velut mortua sit, inhonestæ tamen cogitationes vivacissimæ sunt: prout sibi Hieronymus contigisse: commemorat, quamvis enim corpore esset evigorato, exhausto, & intensis rigoribus asperitatibusque quas assiduè usurpabat, penè emortuo; nihilominùs se lascivis puellarum Romanarum choreis ac lusibus subinde putabat per imaginationem interesse. Alias denique à dæmonio eas ingerente ortum habent fœditates. Id ex hoc signo colligere est, scilicet quòd valde importuno tempore se ingerant, nimirum dum id minùs homo vult, ac minùs ad hoc occasionem habet: nullum quoque temporis respectum habeant, insinuantes se tum, cùm & incumbit orationis, & tremendo sacrificio Missæ interest: imò nec locis abstineant sacris, quibus tamen homo, quantumlibet scelestus & improbus, deferre respectum ac reverentiam solet, & ubi isthæc cogitare veretur. Illud quoque certum signum est eas à dæmonio proficisci, quando

I. Remedium contra tentationes est bona occupatio.

Exemplum I. S. Hier. Epist. 4. ad Rust. Monach.

II. Exēp

quando tam extravagantes hæc cogitationes sunt, ut nihil penitus homo vel audierit, vel sciverit, vel cogitarit eorum, quæ suggeruntur. E violentia quoque, quâ adveniunt, & rebus quas introrsum audit, haud difficulter percipit homo, eas, non tam à se, quàm ab alio dici & fieri.

I. Remedium contra tentationes est bona occupatio. 6. Omnia hæc, evidentissima signa sunt, hoc nonnisi dæmone motore & incentore contingere, non autem à carne proficisci, etsi in ea contingant. Vnde tunc planè alia adhibenda remedia sunt. Nihil autem ad hoc, ex omnium sententia, melius, quàm bonæ alicui laudabilique occupationi intendere, quæ scilicet hominem ita exerceat, solicitum habeat, & labore distineat, ut sordidarum harum imaginationum hoc pacto obliviscatur.

Exemplum I. S. Hier. Epist. 4. ad Rust. Monach. 7. Et hoc fine S. Hieronymus, (ut ipse de se scribit) linguæ Hebrææ addiscendæ, magno cum labore, etsi non sine fructu se applicuit, nam dum stridulas voces peregrinæ linguæ meditaretur ut Magistro bene referret, tentatio evanuit.

II. Exêpl. 8. Idem Doctor de Monacho quodã juvene natione Græco, in Ægypto commorante, & á carnalib. hisce tentationibus graviter divexato, scribit, cũ, tametsi frequẽter jejunaret, magnasq; pœnitẽtias subiret, nihilominus hanc à se vexationẽ abigere non potuisse: hoc autẽ ei sanando curandoque Superiorem medium adhibuisse. Cuidam de antiquissimis monachis, natura tetrico, gravi & severo, mandat, ut juvenem hunc identidem exagitaret, objurgaret, & verbis asperis contumeliosisque reprehenderet; cumque eum jam verbis pessimè accepisset, etiam ad Superiorem prior eum deferret & accusaret, quasi injuria ab illo monacho affectus esset. Senex egregiè personam hanc egit: nam ad singula propè momenta, undeundique occasionem ejus severè reprehendendi captabat; apud Superiorem præterea eum insimulabat: quin & testes ad hoc subornatos & præmonitos habebat, qui monachum seni immorigerum & inobsequentem esse testarentur. Illum ergo Superior acriter reprehendere, in eumque, quasi gravioris culpæ reum & promeritum, severis modis animadvertere. Quotidianum ei hoc erat: unde cùm ita malè se haberi, falsa insuper contra se testimonia procudi cerneret, valdè animo affligebatur. Quamobrem tristitia oppressus, identidem cum lacrymis in cella ad Dominũ cæli clamabat, sui curam ut susciperet, suum patronum ageret, quòd omni patrocinio ac favore humano se destitutum videret. Omnes quippe uni illi adversabantur, nihilq; in domo mali à quopiam committebatur, aut peccabatur, quin id capiti ejus affingeretur; mox duo tresve monachi ad hoc suppositi, qui contra eum innocuũ adhæcaderant testimonium perhiberent, unde reprehensiones & castigationes in caput ejus velut pluere videbantur. Annum integrum hoc in statu exegit: quo exacto petiit ab eo monachus quispiam, quomodo carnis tentationes se haberent? Cui ille, *Papæ*, ait, *vivere mihi non licet, & fornicari licebit? Nulla dum tentationis hujus mihi superest memoria.* Hoc ergo modo eum pater

spiritualis ab hac carnalis titillatione curavit, ac labore maiori ablatus est minor.

Periculosa solitudo religiosorū. 9. Addit autem eo loco S. Hieron. in laudem socialis religionis. *Hic si fuisset solus, quis ei in tentatione hac superanda auxilio fuisset?* In ipsa quoque monachorum regula, inter alias rationes, quas sanctus ille vir adfert, ad probandum, quam sit in Religione, & sub obedientiæ jugo & in communitate conveniens, vivere, est hæc: *Vt non facias quod vis, comedas quod juberis, vestiare quod acceperis, & operis tui pensum persolvas. Lassus ad stratum venias, necdum expleto somno surgere compellaris.* itaque sibi invicem succedentibus exercitiis, rebus à Superiore injunctis, sic occuperis & distinearis, ut nullus tentationib. admittendis locus sit reliquus, nec tempus aliis, quàm quæ tibi ex officio facienda & præscripta sunt, cogitandis suppetat.

Reg. monach. quā è scriptis D. Hier. collegit Lupus de Olivet. c. 2.

1. p. l. 1. c. 21. *Chron. Minor.* 9. Remediū paupertatis rigor. 10. Vsu se & experientia didicisse dicebat S. Franciscus asperitate, rigore, severitate dæmones terreri, & in fugam agi: acriter verò continenterque ab iis impeti eos, qui delicatam mollemque vitam ducerent. Idem quoque discipulis suis proposuisse Abbatem Antonium, testis locuples est S. Athan. *Mihi credite, fratres, pertimescit satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem.* Adfert ad hoc propositum S. Ambros. illud Prophetæ regii: *Operui in jejunio animam meam, & posui vestimentum meum cilicium.* Hæc, inquit, egregia est armatura, & validissima adversus inimici huius violentiam panoplia. Huc quoque spectat doctrina, quam Christus Dominus nobis dedit, dum spiritum illum immundum, quem discipuli pellere non poterant, sua ipse potentia ejecit: *Hoc genus*, inquit, *dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio.* Addit porro orationi pœnitentiam & jejunium, ceu convenientissimam ad hoc dæmoniorum genus effugandum, rationem. Proinde, cùm huiusmodi tentationibus exagitabimur, satis nobis esse non debet, ad orationem interdum recurrere, aut actus & proposita tentationi cōtraria concipere; sed & peculiari quodam modo corporalibus pœnitentiæ & mortificationis operibus nobis est insistendum, non tamen sine confessarii vel Superioris consilio directioneve, ut in omnibus securius procedamus.

In Epist. scripta in Conc. Tolens. ad Papam Siricium. *Ps. 68. 11.*

11. Religiosus quidam ab hac tentatione mirum in modum oppugnatus, F. Ægidium rogavit, quo illam remedio abigendam censeret. Respondit vir sanctus: Quid faceres, frater, si te canis mordere vellet? Arrepto, inquit, saxo vel fuste, eum tamdiu percuterem, donec à me recederet. Pari modo fac, ajebat Ægidius, carni tuæ te mordere & impetere cupienti: & hæc à te fugiet tentatio. Tam salutare porro hoc remedium est, ut nonnunquam qualis, qualis labor, afflictio & dolor, etiam perexiguus, isthanc vexationem avertat & auferat; putà brachia in modum crucifixi distendere, in genua procumbere, pectus tundere, verbera tergo infligere, carnē ungue com-

1. p. l. 7. c. 7. *Chron. Minor.* Exemplū 1.

compungere, crimen vellicare, uno pede aliquantisper subsistere, aut alia id genus.

Exempl. 2. De Nicolao quodam, qui jejunio vitâ turpem expiavit.

12. In vita S. Andreæ Apostoli legitur, senem quendam Nicolaum nomine, ad eum tunc Corinthi agentem venisse, ac dixisse, septuaginta & quatuor anni sunt, ex quo lascivè vixi, plenas inordinatis appetitibus habenas laxando, & omnigenis me libidinibus dedendo: cumque haud ita pridem lupanar publicum libidinis expellendæ ergò, habito penes me Evangelio, adiissem; quædam de mulierculis illis perditis, qui cum peccare statueram, velut perterrita & stupens, me illico facessere jussit, rogans ne se tangerem, neve loco, in qua ipsa erat, propriùs accederem, quòd mirabilia & mysterio plena in me videret. Exinde Nicolaum illum à S. Andrea petiisse, ut sibi aliquod in tanta hac sua infirmitate, & inveterata carnaliter peccandi consuetudine, auxilium suggereret. Andream deinde ferventer orationi institisse, & quintitudo jejunasse, Dominum rogando, ut prioribus misero huic senecioni delictis condonatis, donum castitatis concederet. Quinque diebus jam elapsis, & Apostolo nihilominus in oratione perseverante, vox ad eum de cœlo facta est, dicens: Concedo tibi, quod seni à me dari postulas, at, sicut tu, pro eo jejunasti, volo, ut & ipse cibis abstineat, seque affligat, si quidem salvus esse velit. Suadet ergo Nicolao Apostolus, ut jejunio carnem maceret, Christianis quoque omnibus indicit, ut pro eo Dominum precarentur, divinamque misericordiam exposcerent. Eorum postulata audiit Deus: nam Nicolaus domum reversus, quidquid facultatum habebat, in egenos distribuit, magnaque carnem suam asperitate emaceravit, toto semestri nonnisi panem aridum comedens, & pauxillum aquæ bibens. Qua pœnitentia tandem expleta, ex hac vita migravit, & salute donatus est æterna, uti S. Andreæ, (qui tunc temporis casu inde aberat,) cœlitus fuit revelatum.

13. In Prato spirituali monachus tentatus, unum de senioribus scribitur adiisse, petiisseque: Quid faciam, Abba, quia tentationes, à quibus impetor, ultrà sustinere non valeo? cui senex: Atqui ego, ait, nunquam ab id genus tentationibus divexatus fui. Quo audito, monachus scandalizatus & offensus, alium de seniorib. Patribus accessit, dixitque. Abbas ille se nunquam ullis cogitationibus illicitis impetitum fuisse dixit, quod audiens ego, non mediocriter fui offensus, cum id mihi naturam humanam videatur transcendere. Tum Pater, non sine causa, fili, ille vir Dei hæc dixit: quare iterum eum adi, causamque cur ita locutus sit, aperiet. Rediit ergo eodem Monachus, & Ignoscas, inquit, mihi, obsecro, Pater, quòd nuper insalutato te, nec dicto vale, tam stolidè à te recessi: rogo itaque mihi dicas, quo fiat modo, ut minimè tenteris? Respondit senex, Ex quo Monachus factus sum, numquam panem, aquam, somnum ad satietatem cepi: & per hanc abstinentiam factum est, nullum ut mihi

Exempl. 3. Tom. 2. Biblioth. SS. pp.

cum inhonestis cogitationibus, de quibus mecum agebas, fuerit certamen.

Caput VIII.

De aliis contra carnales, turpesque cogitationes remediis.

Li.12.Moral.c.38. 1. S. Papa Gregorius docet, nonnunquam tentationes inhonestas, & quòd à carnalib. cogitationibus & motibus sensualibus quis exagitetur; inordinatæ vitæ prioris vestigia, & velut reliquias, nec non liberioris licentiæ, pravæque & inveteratæ consuetudinis pænam esse & castigationem: ac tum quidem ignem illum pristinum, nonnisi lacrymis extinguendum videri, lasciviam præteritam incessanter irremediabiliterque deplorando. S. Bonaventura singulare in tentationibus remedium esse censet, quòd tentatus se afflictione & labore illo dignum ducat, castigationem illam & flagellũ ob culpas & præteritam licentiam se satis promeruisse agnoscat, ipsamq; magna cum humilitate & patientia suscipiat, cum fratribus Ioseph dicendo: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Hoc quippe modo, inquit Bonaventura, & citiùs placabitur Deus, & tentatio ei nonnisi in bonum & proventum spiritus convertetur. Dum enim quis se castigatione & flagello immisso dignum æstimat, solent piissima illa & affectuosissima Dei clementissimi viscera mirè ad misericordiam provocari. Vnde etiam in sacra pagina legimus, filios Israel castigatos hoc medium identidem usurpare consuevisse, ut sic Deum cœli ad misericordiam faciendam excitarent, sibique propitium redderet.

10. Remedium est, Humilitas.

proceſſ.4. relig.c.13.

Gen.24.21.

Dan.3,28

Dan.9,1.

2. Medium apprimè efficax ad divinam gratiam opemque impetrandam, victoriam de adversariis nostris in omnibus tentamentis, ac specialiter in his referendam, illisque debellatis triumphum agendum est, si nobis ipsis planè diffidentes, omnem in Deo fiduciam ponamus. De qua re & alio in loco egimus pluribus, & postea, ubi de Dei timore dicendi locus erit, acturi sumus. Hoc tantùm in præsens dixisse sufficiat, humilitatem singulare esse contra omnigenas tentationes remedium. Notissimum porro est, quid hac in parte B. Antonio, cælitus fuerit responsum. Cùm enim is in spiritu mundum laqueis & pedicis plenissimum cerneret, exclamavit cum lacrymis, *Ah Domine quis effugiet?* Vox autem ad eum facta, dicens, *Humilis.* Esto igitur humilis, & ab hisce laqueis & tentationibus te Dominus eripiet, *Custodiens parvulos Dominus; humiliatus sum, & liberavit me.* Summi montes fulminis telis & tempestatibus impetuntur, arbores proceriores à ventis convelluntur; sed arundines, virgulta, & plantæ humiles, (quæ se submittunt, incurvantur, & hanc illamve in partem inflectuntur accedunt) post tempestates & ventorum turbines infracta perdurant.

11. Remedium Diffidentia sui, confidentia in Deum.

p.2 tract. 3. c.35. & tract. 4. c.9.

Psal.144.

3. Bonum, salutare & fructuosum cumprimis erit, si ex his ipsis inhonestis tentationibus, sui humiliandi,

Pium stratagema.

liandi, suumque nihilum agnoscendi, occasionem homo sumat, &, cum talia se mente revolvere & cogitare videt, dicat verbi gratia. Vides hinc, Domine, quis sim: quid ex hoc sterquilinio & cloaca aliud quàm id genus fœtores, sperandum erat? quid ex hac terra, cui male dixisti, aliud, quam tribuli, vepres & spinæ? talem scilicet ex se illa fructum dare potis est, nisi à te, Domine, fuerit excaudicata. Hæc ergà tentationes, & malæ quas habemus inclinationes, bona humiliandi nostri sunt occasio: si enim vestes viliores & contemptibiles mirè ad comprimendam superbiam (uti docent sancti Patres) conferunt; quando ad ipsum potentiores & efficaciores sunt tam viles & spurcæ cogitationes, quæ nobis & imaginationi nostræ jugiter obser-
1. par. Chronic. Francis. lib. 7. c. 7. vantur? Hinc B. Fr. Ægidius, carnem nostram esse dicebat, ceu porcum immundum avidissimè & sapidissimè, ad cantum & volutabrum accurrentem, eoq; se immergere gaudentem: vel ad instar scarabæi, cuius vita & voluptas omnis est in fætido stercore volutari. Hæc nobis consideratio in primis auxilio erit, ne ab hisce nos cogitationibus transversum abripi patiamur.

12. Remedium cōtemptibilitas rerum ad quas allicimur.

4. Atque adeò generaliter in quacunque tentatione, consultissimum est, hominem non curare, sed parui facere id, ad quod tentatur; sed quàm primum ad se ipsum reflexione facta, sese humiliare ac dicere. Tamne ego scelestus & improbus sum, ut talia cogitatione voluam & agitem? Hoc pacto namque & omnis tentationis vis eliditur, & dæmon confunditur. Nam mediocriter quoque cōfert, si quis se ob tentationem, spurcas cogitationes, & motus oborientes, confundat: quasi mera sua illi culpa obvenissent, esto nimis quàm procul à consensu in easdem absit. Insanit quippe, frendet & ringitur præ dolore diabolus, tantam humilitatem videns; quoniam superbissimus est, hinc illam ferre nequit. Nullam verò probrosiorem infringere illi alapam potes; nec convenientius, ut à te quam longissimè fugiat, medium usurpare, quàm dum inde te videt fructum & lucrum facere, unde ipse tibi pernitiem & exitium errare procurabat. Vt taceam, hac hominem ratione satis ostendere, quàm à Dei sui offendendi voluntate sit remotus: quæ quidem res magnæ satisfactionis & securitatis concipiendæ occasio est.

13. Remedium insultare & confundere dæmonem.

5. Sæpè quoque conducet ipsi dæmoni insultare, contumeliosè exprobare, eumque confundere dicendo, v. g. Apage hinc immunde spiritus, pudeat te sceleste: valdè spurius & sordidus sis oportet, quòd tam turpia mihi in memoriam reducas, ac menti repræsentes. Quoniam igitur tanta superbia est, hinc cùm despicitur, ridetur, & prout revera meretur, probrosè habetur; id ferre nequit ac fugit.

11. Exemplum. *lib. 3. Dial. 4.*

6. Dacius Episcopus Mediolanensis (ut scribit Greg.) Constantinopolin petens, cùm Corinthi nullam ad quam diverteret domum reperire posset, præter desertam & inhabitatam, quòd lemures & terra dæmonū spectra.

spectra eam ab annis plurimis incolere & infestare dicerentur, haud invitus eam cum suis ingressus est. Ecce verò nocte media cum vir sanctus requiesceret, diaboli pro more horrificum ciere strepitum, diversarum bestiarum voces imitando, nam balare ut oves, rugire ut leones, porcorum instar grunire, & serpentium ritu sibilare cœperunt. Ad inconditum hunc strepitum Datius excitatur, & dæmones stomachabundè subsanans, Quàm, inquit, bellè hoc vobis cecidit? quam è vestro hoc apparatu egregiam scilicet laudem retulisti? Altissimo quidem voluistis esse similes, sed facti estis bestiæ, dracones & serpentes, quare optimè repræsentatis id, quod revera estis. Quibus verbis ita confusi sunt dæmones, ut, teste D. Gregorio, protinus disparuerint, nec amplius exinde ad domum illam reversi sint, unde ea ab quibuscunque posthac incoli tutò potuerit.

2. Exemplum. S. Athan. in vita. 7. S. Antonius, ut de eo D. Athanasius commemorat, cùm maiorem in modum ab impuris tentationibus divexaretur, quadam die subito dilapsus est ante pedes eius ater quidam puer, specie horrenda & tetra, qui permultos se expugnasse gloriatus, ab illo solo victum se derisumque querebatur: Petiit ex eo Antonius, quisnam esset? Ego sum, inquit, spiritus fornicationis. Hoc audito, Parum te inposterum, respondit Antonius, curabo vel timebo, cùm tam vilis sis & despectibilis. Atque hoc dicito spectrum evanuit. Sic & Redemptor IESUS in Evangelio spiritum fornicationis, immundum vocat: *Cùm immundus spiritus exierit ab homine.* Luc. 11. 24. Hoc ergo modo nos diabolum confundere, & ei insultare possumus, eum, prout revera meretur, tractando ac deridendo. Quod ipsum interdum etiam irrisorio ac sarcasmico gestu, ac nullum ei verbum loquendo, ceu cum eo ratiocinando, fieri potest.

CAPUT IX.

De timore Dei.

1. CUm *metu & tremore*, inquit Apostolus, *salutem vestram operamini.* Phil. 2. 12. 14. Remedium. Nihil est ad castitatem tuendam, ac generaliter ad gratiam Dei conservandam, potentius & efficacius, quam ubique & semper sanctum quendam timorem, metum, & cautelam præferre, cùm nobis ipsis diffidendo, tum ad Deum recurrendo, omnemque fiduciam nostram in eo reponendo. Timor Dei castitatem & gratiam Dei conservandū plurimū valet. Ostendit id S. Bernardus in hunc modum scribens: Ser. 54. in Cantic. *In veritate didici, nihil æquè efficax esse ad gratiam Dei promerendam, retinendam, & recuperandam, si amissa sit, quàm si omni tempore coram Deo inveniaris, non altum sapere, sed timere, secundùm illud Salomonis, Beatus homo qui semper est pavidus.* Prov. 28. 14. Vt contra unum ex iis, quæ illustres etiam Sanctos ad graves ruinas, & deplorabiles elapsus perduxerunt, est nimia sui ipsius fiducia, exiguus timor, & parva circa seipsum circumspectio: *Sapiens enim timet, & declinat à malo: stultus audacter transilit & confidit*, Prov. 14. 16. atque ideò non rarò impingit.

2. Qui

Luc.11.14. Simili declaratur.

2. Qui pretiosum liquorem subtilissimo tenerrimoq; vitro contentum per ea gestat loca, in quibus magna hominum multitudo ultro citroque concurrat, quæque à vehementibus ventorum flatibus & tempestatibus perflantur; nisi vitri sui norit & timeat fragilitatem, non qua par est circmspectione ipsum deferet, itaq; haud ægrè id frangetur, & liquor quem gestat, in terram effundetur. At contrà qui probè novit, quàm vitrum fragile sit, ac metuit ne quo ipsum casu rumpatur, cautè ipsum custodit, ac sollicitè defert, ac proinde securus incedit. Eodem prorsus modo nobis contingit; nam prætiosissimum gratiæ ac donorum divinorum liquorem & thesaurum in luteis fragilibusque (ut ait Apostolus) vasis continemus; quæ facili collisione frangi possunt, itaque omnis liquor effundi & disperire. Adhæc, in loco plurimorum ventorum procellarumque turbinibus, necnon casibus, impulsibus, & periculis variis obnoxio incedimus.

Phil.2.12. 14. Remedium. Timor Dei castitatem & gratiam Dei conservandū plurimū valet. *Ser.54.in Cantic.* *1.Cor.4.7.* *Prov.28.14.*

Sine timore hoc multi perierunt.

3. Hinc, qui eorum fragilitatem non sat norunt, imò nec timent, falsa quadam ac mendaci in securitate vivunt, sicque haud difficulter pereunt: atqui perspectam eam habent ac metuunt, valdè circumspectè cauteque incedunt, ut seipsi conservent; proinde majori in securitate degunt, ac, si quæ hac in vita haberi ab homine certitudo ac securitas potest, hanc illos habere constat.

Prov.14.16. De ordine vitæ & morū institutione.

4. Unde factum putas, inquit S. Bernardus, ut nonnulli, qui in flore ætatis & juventute, tametsi assiduis gravibusque carnis tentationibus pulsi, castimoniam integram servarunt; jam in senio & ætate decrepit naufragio sanitatem miserè in ea prolapsi sunt probra & dedecora, ut se ipsi mirarentur? Causa unica hujus rei fuit, quod in juventute, sancto quodam in timore & humilitate viverent, cumque se in præsentissimo impingendi periculo, ac velut in præcipitii crepidine, agere viderent, quamprimum Dei Opt. Max. opem implorarent, quam etiam mox propropinquam experiebantur. At posteaquam divino castitatis dono ac possessione jam superbire, nimium sibi ipsis confidere, continuamque, ob securitatem negligentes esse cœperunt; mox eo ipso momento, à divina manu derelicti sunt, sibique solis relicti, fecerunt, quod ipsorum erat: turpiter, inquam, prolapsi sunt. plurimi salutati sunt.

Epist.4. ad Demedriad. 15. Remedium Meditatio.

5. Hanc esse D. Ambrosius asserit causam, cur multi, qui Deo serviunt, die ac nocte in ejus lege meditantur, carnem suam cum vitiis crucifigunt, ac carnis concupiscentias & inordinatos sensualitatis appetitus coërcitos & edomitos habent, quin & insignem in magnis quæ passi sunt detrimentis, patientiam, & raram in persecutionibus illatis constantiam prætulerunt; tandem omni hac constantia & animi generositate amissa, in maximas prolapsi sint miserias. Quia, scilicet, in sua ipsorum virtute & sanctitate, necnon in bonis, quæ faciebant, operibus confidebant, inordinatè de iisdem præsumendo, ac nimiopere iis nitendo. Et quos ad mani-

manifesta diabolus mala pertrahere, & intolerabili propè injuriarum persecutionumve violentia de statu mentis deturbare non potuit; hos blandè leniterque, magna de semetipsis præsumptione, jam in sublime elevatos, in lugendum præcipitium allexit.

16. Remediū Fuga securitatis malæ. 6. Id genus exemplis plena est tum sacra Scriptura, tum omnes propè sancti Patres. Quod infortunium ac malum meritò deplorat Sanctus Augustinus, *Vidimus*, ait, *multos, & audivimus à Patribus nostris (quod sine magno timore non recolo) ascendisse primitus usque ad cælos, & inter sidera nidum suum collocasses; postmodum autem recidisse usque ad abyssos & animas eorum in malis obstupuisse: Vidimus stellas de cœlo cecidisse ab impetu ferientis cauda draconis, & eos qui jacebant in pulvere terræ, à facie sublevantis manus tuæ Domine, mirabiliter ascendisse.* Quot, eheu! qui ad mensam divinam recumbebant, & panem comedebant Angelorum, eo venêre indigentiæ, ut etiam siliquis porcorum ventrem implere posse desiderarint? Quot castitates ebore antiquo nitidiores, fulgentiores & pulchriores, in atros carbones conversæ sunt, suoque nitore pristino exciderunt? Quem non perterrefaciat triste illud exemplum, quod de Jacobo Eremita refert Lipomanus? Ad illum, postquam in eremo quadraginta ipsis annis, magno in rigore vixisset; & carnem suam durè admodum habuisset, jam sexagenarium, & plurimis miraculis patratis clarum, ut etiam Dæmones ab energumenis expelleret; puellam adduxere, ab ea ut dæmonem inhabitantem effugaret. Quo expulso, cum qui eam adduxissent, domum eam secum abducere non auderent, ne egressus spiritus ipsam invaderet; Jacobus eam apud se manere est passus, de sua continentia securus. At enim quia sibi ipsi fidebat, & nimis de se præsumebat, Deo permittente, relapsus est. Et, quia peccatum unum advocat alterum, jam strata ad malum viâ, ne fortè dedecus id vulgaretur, puellam occisam in flumen abjicit. Ad omnium verò scelerum complementum, de misericordia divinæ desperans, ad sæculum reverti, totumque se vitiis & sceleribus, quibus se jam seriùs implicare inceperat, mancipare constituit. Tametsi ei pia Dei misericordia pòst minimè defuerit: quia ad seipsum conversus, per decennium rigidissimè asperrimeque vixit, & pristinam sanctimoniam recuperavit, ut etiam Sanctorum sit Catologo adscriptus.

Cap. 29. soliloquior.

Lipomat. tō. 5

7. Quis non consternetur lapsu alterius illius monachi, de quo Sanctus Antonius inaudiens; exclamavit: *Hodie magna & alta columna ad terram concidit?* Quis hoc audito non contremiscat? quis sanctitati suæ confidat? quis Religioso nomine tutus erit? Ceciderunt enim qui te erant meliores, majoribusque virtutibus ac Dei donis pollebant. Vnde monebat S. Hieronymus: *Nec sanctior Davide es, nec sapientior Salomone, nec Samsone fortior;* hi tamen omnes fœdè prolapsi sunt.

Aliud exempl. male secuti.

Integri monast. capite cassi.

8. Quin & de Apostolico collegio

Aliud lapsi exemplū. legio nonnemo cecidit, cum tamen tali in ludo, sub tali magistro, tales inter condiscipulos egisset, tales quoque prædicationes & conciones audisset, tot denique tamque illustres virtutes ac miracula ante oculos vidisset.

Aliud. 9. Vnus quoque de septem Diaconis, Nicolaus nomine, super quem Spiritus sanctus non minus descenderat, quam super alios, postea non hæreticus modò, sed & hæresiarcha, & hæreticorum parens, & author factus est. Quis ergo serpentem illum antiquum non metuat?

Aliud. 10. Memento, inquit Hieronymus, etiam primos humani generis parentes, prolapsos esse, & paradiso (in quo tamen amplissimis Dei donis, & justitia originaria donati agebāt) expulsos, in terra novercali exulare debuisse: idque è superbia. Non fuisset enim teste Augustino, protoplastus Adam à serpente incantante seductus, si se ipse primò in corde per superbiam à Deo non sequestrasset. Verissimum namque est illud Sapientis pronunciatum, utpote à Spiritu sancto perfectum: *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus*, & alio in loco: *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis.*

(Lib. 1. cōtra advers. leg. & proph. cap. 15. — Proverb. 16. 18. — Prov. 18. 12.)

Angelorū casus ob superbiam. 11 Quod si hominum exempla tibi satis non sunt, transi ulterius, & in cœlum usque ascende: & videbis quomodo ibi Angeli, præ superbia & præsumptione, à summa illa, in qua à Deo conditi erant, eminentia & dignitate exciderint. De quib. loquitur Iob: *Ecce qui serviunt ei, non stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem: quanto magis qui habitant domos luteas* (lutum namque facilè dissolvitur, friabile est & rumpitur) *qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea de mane usque ad vesperam succidentur.*

(Iob. 4. 18.)

12. Quæ verba Sanctus Gregorius excutiens & ponderans accuratius ait. Si in auro illo obryzo & purissimo tanta reperta scoria est; quomodo non timebit, vel de se præsumere audebit anima, quæ in corpore adeò fragili commoratur, ut vel à seipso tineam ac detrimentum procreat, quique ipsam perditionis nostræ radicem intra nos ipsos habemus? *Consumentur velut à tinea.* Scitè, nec immeritò, inquit Gregorius, corpus hoc tineæ assimilatur: nam velut tinea ex ipsa enascitur veste, & hanc ipsam è qua enata est, tandem corrumpit ac demolitur, ita caro nostra (quæ animæ velut vestis est) suam etiam tineam procreat; ex ea siquidem carnalis provenit tentatio, quæ acre nobis bellum movet: itaque homo quasi à tinea consumitur, quando à tentatione, quæ ex ipsamet carne oriri solet, corrumpitur ac deteritur. Rursus benè dixit, *Velut à tinea*: nam, uti tinea vestem sine ullo strepitu destruit: simili ratione, hæc malæ illius inclinationis carnis nostræ, ac fomitis peccati, quē in nobismetipsis fovemus, tinea ita sine ullo strepitu, ac propè imperceptibiliter nos consumit, ut sæpè eā nec advertamus, nec antè percipiamus, quam plena secuta sit destructio. Jam si spiritus illi an-

(Greg lib. 3. moral. c. 27. & 28. — Quis nō timebit in tantis ruinis. — Greg. li. 5. moral. c. 28. & li. 11. c. 35. — Simile.)

gelici & cœlestes, corporis (in quo tinea hæc ipsis enascatur, quodque bellum ac contradictionem ipsis moveat, ipsosque destruat) expertes, in bono non perstiterunt, nec perseverarunt, quis hominum tanta futurus est præsumptione, ut de se confidat, cum tamen suæ intra se tentationis ac perditionis causam contineat?

Necessitas & utilitas Timoris Domini.

13. Discamus hinc ergo, semper & in omnibus timorem & circumspectionem hanc præferre. Væ autem illi, qui eo carebit: qui etiam verè lugendus & deplorandus est, quia statim proruet. Nam ut dicit Spiritus sanctus, non ego, *si non in timore Domini tenueris te instanter*, periculum fugiendo, occasiones evitando, malas cogitationes statim à te abjiciendo, teque adversus tentationem præmuniendo, *citò subvertetur domus tua*. Nemo verò sibi blandiatur atque imponat, dicendo: Equidem has tentationes, hos motus, hæc conversationis aspectusque muliebris pericula minimè sentio: nullam hæc spiritui meo impressionem faciunt. Noli fidere: hoc namque pacto te dæmon torpidè securum reddere vult, ut aliquanto pòst, ubi jam fidentior, negligentior, ac minùs instructus & communitus eris, te supplantet, atque in terram, vel potiùs infernale barathrum, dejiciat.

Eccl. 27. 4.

Nemo sine Dei timore diu stabit.

Quo plura beneficia accepimus, eo magis timendū.

14. Quinimò notant hoc loco sancti Patres, eo majori hominem in timore & tremore incedere debere, quo plura à Deo beneficia & gratias accepit, ac majoribus ab eo donis ornatus est: quia tanto dæmones ad eum subvertendum ac supplantandum sollicitiùs ac contentiosiùs connituntur. Eorum quippe (ut loquitur Abacuc) *cibus electus est* hominum ruina: hanc esuriunt, ad hanc aspirant, huic toto conatu inhiant, pluris quoque faciunt, aliquem Dei servum, Religiosum, perfectionis candidatum, ad lapsum pertrahi, quàm multa mundanorum hominum millia: uti liquido patebit in exemplis, quæ paulò pòst adducemus. Atque hinc D. Hieronymus Eustochium exhortatus, ut super se vigilet, & ob eminentem virginitatis statum, quem habebat, non clanguescat aut torpeat, ait: *Nolo tibi venire superbiam de proposito*, & statu sublimi, ad quem evecta es, aut quod plura Dei dona nacta; *sed timorem; onusta incedis auro, hinc latro tibi* magis *vitandus est*, locaque periculosa, latronibusque infesta, diligentiùs cavenda. *Stadium est hæc vita mortalibus, hic contendimus ut alibi coronemur: pacem arbitraris in terra quæ tribulos generat & spinas?* Nulla est hac in vita securitas, sed continuum bellum; hinc perpetuis opus est excubiis. In procelloso mari navigamus, & quidem fragili rimosaque carnis hujus cymba, nec non pluribus circumcincti prædonibus, sagaciter quanam ex parte ventus spiret, subolfacientibus, & quascunque possunt, tempestates cientibus, quo misellam & exarmatam scaphulam nostram demergant, nulla sibi indulta quiete, somno nullo; sed undecunque aliquam, qua nos subvertant & aggrediantur, occasionem captando. Unde Apostolus neminem

Cap. 1. 16.

Epist. ad Eustochium Cap. 11.

minem non commonefacit, dicens: *Evigilate justi, & nolite peccare. Qui se existimat stare, videat ne cadat*, undequaque circumspiciat, semper vigilet, ne quid detrimenti in anima accipiat. Nulla autem re melius securi reddi, & in statu confirmari ac stabiliri possimus, quàm si hunc timorem anxiam sollicitudinem & vigilantiam semper præferamus.

1.Cor. 15. 35. 1.Cor. 10. 12.

Timor Dei est velut herba, castitatis conservandæ amuletũ.

15. Audivi aliàs de Societate nostra narrari rem, quæ huic, quam in præsens tractamus, mirè quadrat, quam eo prorsus modo, quo accepi, commemorabo. Sub prima Societatis primordia, cum PP. Petrus Faber, & Antonius Araozius, è Lusitania in Castellam, à Rege Lusitano Ioanne III. in comitatu filiæ eius Mariæ, Regi nostro Philippo II. tunc Hispaniarum Principi nupturæ, missi venissent; ita facilem jam inde ab initio in aulam accessum habuere, ut omnium propè matronarum ac puellarum aulicarum confessiones exciperent, ea verò tempestate tot in Societate veterani non erant, quot modò sunt: sed plerique erant juvenes. Mirabantur autem aulici; nec sine ratione (quod & in vita B. P. N. Ignatii velut prodigiosum quid refertur) tantam in nostris juventutem, tantam nihilominùs castitatem. Videbant enim eos, hinc inter tot labendi pericula & occasiones assiduè versantes, illinc verò tam gratum ubique castimoniæ odore spargentes: quod Curialibus, sermonis obloquiisque ansam dedit. Certè Rex ipse, quodam die cum P. Araozio agens, ei dixisse fertur: *Intelligo Societatis vestræ homines herbam quandam, quocunque pergunt, circumferre, quæ contra carnales appetitus ipsis sit amuletum, & optimum castitati inviolatè custodiendæ remedium.* Cui Araozius (ut erat Vrbanus in paucis) *Rectè*, ait, *Majestas vestra intellexit.* Rex responso hoc Araozii ad ulteriùs rogandum provocatus, *Amabo*, inquit, *ede, quod id herbæ genus sit.* Infert Araozius, *Herba, quam Socii nostri, castitatis custodiendæ ergò, circumferunt, timor Domini est; illa miraculum istuc operatur: eius namque hæc potentia ac virtutis est, ut dæmones à se longè repellat & effuget, sicut olim piscis Tobiæ prunis superpositus.*

Lib. 5. c. 13.

Tob. 6. 8.

16. Huc facit illud Sapientis pronunciatum: *Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione illum Deus conservabit, & liberabit à malis.* Et illud, *Timor Domini expellit peccatum, & per timorem Domini declinat omnis à malo.* Hanc ergo herbam semper & omni in loco circumferamus, semper in timore hoc ambulemus, nobisque persuadeamus, nullam castitatem, vel sanctitatem, nisi sancto Dei timore circumvallatam, posse esse securam. Vnde etiam Scriptura suadet, ut in illo senescamus. *Serva timorem illius. & in illo veterasce.* Vt hinc pateat, non initio solum, sed & in fine vitæ eum requiri; non incipientes dumtaxat, verùm etiam antiquos domus Dei servos, hoc in timore vivere oportere: & non tantùm iniquos & prævaricatores sibi malè conscios quique timendi occasionem habent; sed etiam justos, qui nihil fecere ob quod tantopere eos

Eccli 33. 1. Eccli. 1. 27. Prov. 15. 27.

 metuere

metuere necesse sit. Illi timeant, quia lapsi sunt; hi verò, ne prolabantur: illis mala præterita, his futura pericula afferre timorem debent. *Beatus homo, qui semper est pavidus*, & nunquam non sanctum hunc pavorem circumfert.

Proverb. 28.14.

Caput X.

De ingentibus bonis in hoc Dei timore inclusis.

Ex Dei timore nascitur primò fortitudo & robur.

1. Ut autem sanctum hunc timorē pluris faciamus, eumq; semper præferre satagamus; nonnulla hîc (sunt etenim ea numero plurima, & magnitudine singularia) quæ in ea continentur, bona producemus. Primò, timor hic Dei adeò nullam diffidentiam, & inertem languorem causat, adeò non segnes, aut pusillanimes homines reddit; ut etiam magis corroboret, ac fidentiores, constantiores, animosiores reddat: quemadmodum de humilitate sancti Patres asserunt. Pavit enim, ut homines & sibi diffidant, & omnem fiduciam collocent in Deo. Egregiè id ostendit S. Gregorius super illud Iob. *Vbi est timor tuus, & fortitudo tua?* Non sine ratione, inquit, timorem fortitudini combinat; nam in via Dei, planè ali incedendi ratio, atque in via sæculi: in mundo enim audacia parit fortitudinem, timor infirmitatem & inertiam: at in via Dei, & ex adverso audacia debilitatis, timor verò ingentis mater est fortitudinis, juxta illam Salomonis sententiam, *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Ratio est, quia, dum quis singulari quodam modo Deum timet, nullam in ulla re timendi occasionem invenit, omnia temporalia generosa mente despicit. & alio in loco habet: *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipse est spes eius.* Nempè timor quædam subjectio est, respectu illius rei, quam timemus, tanquam si quod ab ea damnum, id ni faceremus, timeremus. Qui autem Deum singulariter timet, & eum solum magnificat ac suspicit, omnem quoque suam in eo spem ponit; nihil prorsus est cur à mundo, tyrannis morte, dæmone, inferno denique, sibi metuat: Nihil quippe horum illi nocere, imò ne quidem pilum de veste eius tollere, Deo non permittente, potest. Tanta certè ea fortitudo est, ut ne in omnibus mundi fortibus pacem sit reperire. *Firmamentum* quippe est *Dominus timentibus eum.*

Tract. 3. 6. 10 lib. moral. c. 13. Iob. 4. 6.

Prov. 14. 16.

Eccli. 34. 16.

Psal. 24. 14.

2. Dulcedo & jucunditas.

2. Adhæc, hic sanctus Dei timor nullum progignit angorem, nullam cordis amaritudinem, nullum dolorem, nullam denique molestiam; quinimò dulcissimus est & jucundissimus. Timor mundanus, de honore vel opibus amittendis conceptus, nec non servilis inferni mortisve metus, tristitiam creat & melancholiam: sed sanctus & fidelis, quo boni beneque morati filii patrem carissimum offendere & ad iracundiam provocare metuunt; exhilarat animam, cor emollit, viscera quoque liquefacit: hominem namque dulciter exstimulat, ut ferventes amoris

amoris Dei actus continuò excitet & concipiat, dicendo, v.g. Ne me permittas, Domine, unquam à te separari, antè moriar potiùs quàm te offendam. *Timor Domini, gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis: timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum: timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Vide, qua verborum copia, qua affectuum varietate, gaudium & exultationem, quam timor Dei includit, Sapiens exponat.

Eccl. 1.12.

Timor servorũ à metu pœnæ, timor filiorum ab amore parentũ oritur.

3. Non est hic timor, qui nos, velut mancipia, suppliciorum & verberum infligendorum metu, trepidare faciat; sed qui ex amore Dei enascatur: proinde quo maiori quis erga eũ amore fertur, hoc magis eum offendere, & ad indignationem provocare veretur. Perinde ac bonus amansque filius patrem, prudens & honorabilis uxor maritum timere solent: quo enim maiore illos amore prosequuntur, eo contensiosiùs & enixius cavent, ne quid domi sit, quod eos exacerbare queat & iritare.

Eadem sunt Humilium & timentium Dominum elogia.

4. Vt autem pressiùs, ac velut uno rem omnem obtutu spectandam demus; notandum est, omnes, quæ humilibus in Scriptura dantur laudes, elogia, prærogativas & præeminentias, etiam Deum timentibus, & quidem iisdem propè verbis & sententiis attribui. Nam uti Scriptura Deum ait respicere, & oculos suos dirigere ad humiles & pauperculos, pari modo est de Deum timentibus locuta: *Oculi Domini super timentes eum.* Vt ab eo humiles exaltati, & omnigenis ait bonis repleti, ita & timentes eum: nam sacratissima Angelorum Regina suo in cantico ait: *& misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum,* & sancta illa vidua Iudith: *Qui timent te, magni erunt apud te per omnia.*

Eccl. 34.19. Luc. 1.50. Iud. 16.19.

Amb. l. 3. de virgin.

Symbola Timoris Domini.

5. Atque ut sancti Patres, humilitatem omnium esse virtutum custodem, & sine ea nullam fore virtutem dicunt; ita etiam sine timore Dei nullam futuram asserunt. Atque hac de causa sanctus hic timor ab Isaia dicitur thesaurus Domini: *Timor Domini ipse est thesaurus eius:* in eo namque, velut in arca, virtutes optimè custodiuntur & asservantur. Et vice versa, quemadmodum navis quæ saburra, & pondere degravante caret, neutiquam est à naufragii & submersionis periculo secura; quilibet enim ventus vehementior, eam subvertere, & sursum deorsum versare potis est, ita & animam securam fore negant, quæ timoris huius pondere destituta est. Ille namque animæ nostræ pondus est, cordis levitatem tollit, eamque solidat ac stabilit, ne humani divinique favoris ventus eam sustollat, & invertat: etsi enim sit opulentissima, hoc pondere si carebit, in præsentissimo pereundi periculo versatur. Hinc S. Gregorius timorem hunc cordis nostri anchoram nuncupat: *Anchora cordis est pondus timoris,* & D. Hieronym. *Timor, virtutum custos est;* securitas autem lapsui & ruinæ viam sternit, eamque velut facilitas. Tertullianus verò hoc ei elogium dedit. *Timor fundamentum est virtutis: timendo cavebimus,* caven-

Isa. 33. 6.

Timor Domini arca virtutum.

Earundẽ saburra & anchora.

Lib. 6. moral. c. 27.

Epist ad Fabiolam de mansionibus.

Lib. de cultu fœmin. c. 2.

cavendo salvi erimus: qui solicitus est, is verè poterit esse securus.

6. Denique Sapiens magnas quidem passim, in quibus de sapientia edisserit, eius excellentias & mirabilia enumerat; tamen ut omnium elogiorum eius maximum, & velut complementum, addit, ipsam timorem Domini esse. Idem quoque sentit S. Iob: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia; & recedere à malo, intelligentia.* Quocirca quidquid de sapientia dicitur, etiam timori Dei accommodare possumus. Addit praeterea Sapiens, hunc ipsum timorem, omnis esse sapientiae esse plenitudinem & consummationem: *Plenitudo sapientiae est timere Deum; &, plenitudo à fructibus illius:* fructus autem illius plurimi sunt & copiosissimi. Denique tandē in haec verba concludit: *Quàm magnus qui invenit sapientiam & scientiam? sed non est super timentem Dominum: Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei, qui tenet ullum, cui assimilabitur?*

Iob. 28. 28.

Timor Domini & sapientia Symbolirant.

Eccl. 1. 34. & 20.

Eccl. 25. 13.

Caput IX.

Superiora exemplis confirmantur.

I. Exēpl. Magnus triumphus daemonum est, si religiosus prosternitur.

1. In Prato spirituali sic scribitur: Quidam de priscis illis Thebaidis Patribus narravit nobis, se, quòd esset sacrificuli cuiusdam Ethnici filius, adhuc puerum, pro more cum patre fanum idoli adire consuevisse, & sacrificia, quae ibidem pater offerebat, saepiùs spectasse. Quadam verò die clanculò, post patrem delubrum ingressum esse, ac satanam sublimi quodam in suggestu considentem vidisse, magna infernalium satellitum corona in circuitu cinctum atque unum de principibus propriùs accedentem, eum adorasse supplicē: petiisse verò Satanam, unde tu nobis? dixisse verò alterum: In tali provincia varia & internecina bella, ac dissensiones suscitavi, & causa fui plurimus ut sanguis effunderetur: & hoc ipsum tibi nuntiatum veni. Rogasse mox Satanam; Quantum rei huic conficiendae temporis impendisti? Triginta, dixisse, dies. Tum Satanam flagris eum cedi jussisse, dixisseque: Multum impensum temporis, at parum praestitum rei. Accessisse deinde alium, & tartareo huic principi supplicem factum, interrogatum ab eo esse, Et tu unde venis? Respondisse autem, Ego in mari multas concitavi tempestates; unde factum multae ut mersae sint naves, plurimique hominum interierint, & horum te veni certiorem facturus. Rogatum verò, quot dies in opus hoc insumpsisset, dicentemque viginti, etiam jussum esse flagellari, quòd tam pauca mala tot diebus patrasset. Advenisse mox tertium, & daemone adorato, rogatum, Vnde autem tu nobis ades? dixisse: Ego è tali venio civitate, & me auctore atque instigante ortum est tale jurgium, ut convivae in se invicem insurrexerint, & non pauci interfecti sint, & inter caeteros sponsus ipse. Rogasse autem Diabolum, quanto haec tempore facta sunt? esto verò audiret, non nisi decem dies tot malis patrandis impensos; nihi-

Daemones bellorum autores.

Tempestatum & naufragiorum causa.

II. Explum. Li. 3. c. 7. Vit. Pa. Incentores contentionū & jurgiorum.

Ruina religiosi, triumphus Satanae.

Iurati hostes Religiosorū daemones.

nihilominus eum dirè cædi mandasse, dicendo, Decem diebus multo plura tibi facienda erant. Hæc dum fiunt, advenisse demum quartum, & facta principi suo adoratione pariter rogatum, Tu verò undenam venis? dixisse verò: Ex eremo jam primùm venio, in qua unum quadraginta continenter annis Monachum tentavi & oppugnavi; & hunc tandem aliquando post longam expectationem, hac ipsa nocte expugnavi, &, ut fornicaretur induxi. Quibus auditis, diabolum solio exsurgentem, in amplexus & oscula ejus ruisse, ablatam de capite coronam hujus capiti imposuisse, sibique vicinum in sede ad hoc parata assidere fecisse, dicendo, Næ tu magnum & generosum facinus fecisti. Ego verò, inquit eremita, hæc audiens, intra memetipsum dixi, Religio haud dubiè magnum quid est, & status monasticus sublimis & excellens. Atque hæc agitans, domo paterna relicta, monasterium sum ingressus. Notandum hoc loco per transennam, unde alii Religiosorum vilipendendorum occasionem sumunt (quòd fortassis ex fragilitate quis in aliquem defectum lapsus sit) inde hunc, & non sine fundamento, Religionem pluris faciendi, quin & ejusdem amplectendæ, occasionem sumpsisse.

Ruina religiosi, triumphus Satanæ.

II. Exemplum. Li. 3. c. 7. Vit. Pa.

Iurati hostes Religiosorũ dæmones.

2. Aliud huic simile exemplum refert D. Gregorius in Dialogis. Eremita quidam, (ut in Vitis Patrum proditum est) ab Angelo quendam ad locum, in spiritu abductus fuit, in quo Religiosorum cœnobium erat vidit hic infinitam dæmonum multitudinem, qui muscarum ictu per omnes Monasterii officinas & loca volitarent: dum autem ad forum publicum civitatis duceretur, in universa civitate, nonnisi unum dæmonem conspexit, atque eum in porta urbis etiam otiosum desidentem. Rogans verò Angelũ ductorẽ, quænã hujus rei causa esset; audit ideo fieri, quòd in civitate omnes dæmonis imperiis ac nutui parerent, itaque unum omnibus tentandis diabolum sufficere: at quòd in cœnobiis omnes illius instinctui obluctarentur, & jussa abnuerent; ideo tam multos iis tentandis, & ad lapsum provocandis dæmones tam operosè distineri.

III. Exemplũ. In Lausiaca c. 44. & in vita Ioannis Ægyptis.

3. Memorabile etiam est exemplum quod Palladius narrat, & in Vitis veterum Patrum quoque refertur, de Monacho quodam, qui cùm multos annos bonis operibus, sanctisque ac Religioso convenientibus exercitiis sedulo institisset, atque ideò magnum in spiritu profectum fecisset, tandem vanè sibi in illis complacuit, & inaniter gloriatus est. Vnde factum ut illum in turpe peccatum cum cacodæmone, in forma mulieris pulcherrimæ, per desertum se errare mentientis, apparente, Deus prolabi permiserit. Nam dum hanc nimis facilè & incautè ad se ingredi sinit, pluribus cum ea colloquitur, jocatur, etiam manu tangit, sensim veneno gliscente capitur: sed cùm jam plenum ad cum illa peccandum consensum præbuisset, & opere etiam ipso exequi vellet; ecce de sub amplexibus ejus evanuit, incondita voce cachinnans; subsecuti haud procul

Vana cõplacentis pœna.

procul inde, per aera festivi multorum dæmonum plausus & irrisiones, eum subsannantium & dicentium. *O Monache, Monache, qui te ad cœlos usque efferebas & extollebas, jam ad usque profundum abyßi prolapsus es. Disce ergo hodie, eum qui se exaltat, humiliandum.* Quibus verbis illum dæmones irrisisse & exsibilasse videntur. Nec verò hic miser stetit: nam, cùm hanc & sequentem plangendo, suiq; confusione excitanda noctem traduxisset, de reditu ad meliora & venia desperans, ad mundum reversus est; ubi omnibus cupiditatibus ac probis frænos laxavit.

IV. Exemplū. Climacus gradū 15, c. 9.

4. Quod suprà obiter insinuavimus exemplum, pluribus sic refert Climacus: Adolescens quidam, de quo in Vitis Patrum, ad tantam virtutis perfectionem venerat, ut feras bestias verbo suo mansuetas & obsequentes redderet, inque monasterio fratribus ministrare cogeret. Meritò proinde eum S. Antonius navi pretiosissimis mercibus onustæ, & in medio mari adhuc constitutæ, (cujus ideo finis & eventus adhuc incertus erat) comparabat. Hic, inquam tanti fervoris & sanctimoniæ juvenis, postea turpiter & probrosè laps⁹ est.

Qui stat, videat ne cadat.

Qui cùm peccatum suum amarè plangeret, Monachis quibusdam illac fortè transeuntibus ait: *Renunciate seni* (S. Antonium designabat) *Deum ut pro me deprecetur, quò decem mihi ad pœnitendum dies concedere dignetur.* Quibus auditis, Antonius ingemiscens, casum ejus amarissimè planxit, magnoque cordis cum dolore dixit; *Hodie, prô dolor, magna Ecclesiæ columna corruit;* sed quinque post diebus supradictus ille Monachus vitâ functus est. Ita, inquit Climacus, qui antè belluas obsequentes sibi reddiderat, tandem à bestiis feris, dæmonibus, inquam, dejectus & illusus est: quique paulò ante nonnisi pane cœlesti enutriebatur, postea stercore, luto, fœdoque cæno se sustentavit. Quis autem illius lapsus fuisset, prudentissimus Antonius aliis indicare noluit, sciebat enim ipse in fornicationem eum prolapsum fuisse. Tom. 3. epi.

5. R. P. M. Avila scribit, sanctum quendam Anachoretam, Deo revelante didicisse, quanto agant periculo quotquot vitam hanc humanam vivunt, quod cùm is identidem consideraret, lugubri pulloque cucullo suam ita faciem obtexit, nihil ut præter terram, quam calcabat, respiceret; nec ullum ex eo tempore hominem alloqui voluit, imò nec oculos à terra unquam avertere, amarè plorans, quòd tam præsenti in periculo (in quo quicunque vivimus, continenter agimus) assiduè versaretur. Quem cùm deinde multi in cella commorantem inviserent, magnamque hanc in eo motum mutationem mirantes, novitatis hujus ex eo causam, & cur subitò ad tantam extremitatem descendisset, sciscitarentur; iis ille aliud non respondit, quàm, *sinite me, quia homo sum.* Alius verò sanctus dicebat, *Væ mihi, quia adhuc mortaliter possum in Deum offendere.* V. Exēpl.

TRACTATVS QVINTVS,

DE VIRTUTE OBEDIENTIÆ.

CAPVT PRIMVM.

De excellentia virtutis obedientiæ.

1. Reg. 15. 22. Obedientia sacrificiis præstare dicitur.

1. *Melior est obedientia quam victima, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.* Notissima est historia, cuius occasione hæc verba à Samuele dicta sint: Scilicet cùm Saul Rex Deo imperanti, ut Amalec usque ad internecionem exscinderet, nullique rei viventi parceret, non obedivit, sed meliora prædæ in sacrificium reservavit; Propheta Samuel, Dei nomine ait illi: *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?* minimè quia *melior est obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis* & obedire Deo, *quàm offerre adipem arietum.*

Hinc SS. PP. obedientiam efferunt.

2. Sancti Patres, hoc aliisque sacræ Scripturæ locis, in quibus obedientia mirificè commendatur, & quantopere eam Deus faciat ostenditur, nitentes, multa virtutis huius elogia depromunt. S. Augustinus multis in locis quærit, cur hominem Deus de ligno scientiæ boni & mali gustare vetuerit? Ac respondet Primò, ideò id factum, ut sic hominibus declararet, quanta virtutis huius obedientiæ excellentia sit, bonum ac dignitas, quantum verò ex adverso malum obedientia. Quod etiam ex ipso effectu secuto liquidò patuit: nam mali & laboris, quæ post peccatum consecuta sunt, causa, non ipse arboris fructus fuit, quia ille ex se malus aut noxius non erat, sed bonus. Nam qui omnia creaverat valdè bona (*Viditq́ Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*) nihil sanè mali in paradisum induxisset: sed inobedientia, & mandati jussique divini transgressio, mala fuit.

Lib. 1. cōtra advers. leg. & Prophet. c. 14. & lib. 2. de peccat. merit. c. 21. Gen. 1. 31.

Inobedientiæ malum ostenditur in Adami lapsu clarissime.

3. Vnde nulla re meliùs ait Augustinus, potuit ostendi, quantum malum inobedientia sit, quàm si consideretur, ecquod homini è sola rei, quam Deus tangi vetuerat, commestione malum sit secutum; rei, inquā, quam nisi prohibitum esset comedere, nullum, eam comedere, malum fuisset, nevē ullum id alicui malum intulisset. Vnde patet quàm graviter errent, quantamque culpam admittant illi, qui, quòd res levis sit,

obedientiam infringere, & contra eam facere audent: quia peccatum non tam in ipsa re, quàm inobedientia consistit. Unde etiam hæc in rei levis transgressione invenitur.

Lib. 8. de Gen. ad litteras.

Aliam quoque rei hujus rationem idem dictat Augustinus. Nam quoniam homo ad serviendum Deo conditus erat, hinc aliquod illi præceptum, quo aliquid ei vetaretur, dari par erat, ut sic habere se Dominum, cui pareret, agnosceret, seque proinde ut subditum gereret. Nisi enim ei quidpiam vetitum & mandatum fuisset; nihil prorsus habuisset in quo se subjecisset & Dominum habere agnovisset. Voluit hic ergo, ut obedientiæ virtus quoddam esset ad Deum agnoscendum & promerendum medium. Varia autem virtutis hujus bona & laudes idem Doctor prosequitur.

Obedientia Christi aperit cœlum quod inobedientia Adami clausit.

Lib. de incarn. verbi, & lib. 12. de Trinit. c. 17.

4. Vnam è rationibus, ob quas humanam Deus naturam assumpsit, fuisse ait, ut hanc obedientiæ virtutem nos doceret, &, ad eam suo exemplo invitaret. Homo siquidem ad mortē usq; inobediēs fuerat: venit ergo Dei filius, ut ipse contra non minus ad usque mortē obediret. Adami inobedientia cœli & gratiæ nobis januam obseraverat, Christi obedientia eam nobis reseravit. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionē, justi constituentur multi.* Quin & in ipso humanitatis Christi præmio & gloria, obedientiæ valorem & meritum ostendere nobis Deum voluisse, idem Doctor ait. Vtpote quam tam eminenti singulariq; gloria coronavit. *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, &c.*

Rom. 5.

Phil. 2. 8.

Obedientia inter ordinū religiosorum vota primum.

5. Multa quidem virtutis hujus præconia & elogia sancti Patres adferunt, sed in præsenti unum tantum hîc afferemus, quod nobis omnium instar erit ac sufficiet: hanc nimirum convenientissimam, & maximè propriam ac primariam Religiosi virtutem esse. S. Thomas, qui ad trutinam scholasticam singula examinat, quærit: Num votum obedientiæ, inter tria illa quæ in religione nuncupamus, primum sit & præcipuum? Ac respondet affirmativè, cujus responsionis etiam tres, easque prægnantes & utiles cum primis, rationes assignat.

2.2.q. 186. a.8.

Prima ratio.

6. *Prima* est, quia voto obedientię plus Deo quis offert & dat, quàm per alia duo. Per paupertatis quippe votum, suas homo possessiones & res exteriores; per castitatis, corpus proprium; at per obedientiæ votum propriam voluntatem & judicium, nec non seipsum totum, (quod plus est quàm priora illa) Deo defert. Vnde præclarè S. Hieronymus: *Aurum deponere, incipientium est, non perfectorum. Fecit hoc Crates Thebanus fecit Antisthenes: seipsum offerre Deo, proprium Christianorum est & Apostolorum.* Hoc namque est Apostolos, omnia sua relinquentes, imitari. Notat ad hoc propositum egregiè S. hic Doctor, & observat, non dixisse Christum Apostolis: *Amen dico vobis, quòd*

Epist. ad Licin. Hispan.

Matt. 19. 28.

quòd vos, qui reliquistis omnia, sedebitis super sedes duodecim, sed, *Vos, qui secuti estis me.* Christum enim sequi, longè perfectius est: atque in hac sequela ipsum obedientiæ cōsilium includi, S. Thomas docet. Nam qui obedit, alterius voluntatem, nutum, ac judicium sequitur.

2.2.q.186. art.8.ad 1

Secunda ratio.

7. *Secunda* ratio est: quia votum obedientiæ alia Religionis vota includit & in se complectitur; ipsum tamen in aliis minimè includitur, nec continetur. Etsi enim particulari se Religiosus ad castitatem paupertatemque servandam voto obstringat, hæ tamen virtutes, etiam sub obedientia continentur, utpote cuius est tam hæc, quàm infinita alia observare. Et adeò quidem veritas hæc in confesso est, ut quædam religiones antiquæ (uti Carthusiana & Benedictina) sua in professione & votorum emissione, dumtaxat, voti obedientiæ expressam mentionem faciant, dicendo, *Premitto obedientiam secundùm regulam*: & sub hoc & ipsum castitatis, nec non & paupertatis votum, juxta Religionis cuiusque statuta & consuetudinem, intelligendum venit.

Tertia ratio.

8. *Tertia* ratio est: quo quid fini suo magis accedit & propius fit, magisque nos illi conjungit, hoc melius est & perfectius. Porro obedientia est, quæ arctiùs & magis Religiosos Religionis suæ fini conjungit: hæc namque eis præcipit & injungit, ut iis in rebus, quæ ad finem eiusdem obtinendum ordinantur, se exerceant. v.g. nobis, quibus tum nostri ipsorum, tum proximi bonum curare & promovere propositum est, mādat, ut orationis & mortificationis studio naviter incumbamus; deinde in confessionibus excipiendis, concionando, doctrinæ Christianæ rudimentis tradendis, nec non aliis quibuscunque ad animas juvandas destinatis functionibus ministeriisque, impigrè nos exerceamus. Idem de reliquis omnibus Religionibus judicium esto.

Obedientiæ votū Religiosorum ordinū statui maximè essentiale.

9. Atque hinc primariam maximique momenti conclusionem D. Thomas infert, videlicet, ipsum obedientiæ votum Religioni maximè essentiale esse, perque hoc aliquem verè Religiosum fieri, & in statu Religionis constitui. Etsi enim paupertatem voluntariam, & castitatem perpetuam quis servet, imò voto ad illa se obstrinxerit; nisi simul obedientiæ votum faciat, non idcirco Religiosus est, nec in statu Religionis constituitur: necesse est ergo obedientiæ votum faciat; atque illud est, quod eum maximè & præcipuè Religiosum facit, & in statu religionis constituit. His suffragatus S. Bonaventura, omnem Religiosi hominis perfectionem in eo sitam ait, ut voluntatem suam planè à se abdicet, & alienam sequatur, Superiorique pareat: atque idcirco ipsa paupertatis & castitatis vota à nobis fieri, ut substantia, possessionibus, carnis voluptatibus, necnon rei domesticæ ac familiaris cura relictâ & exutâ, liberiores, promptiores & expeditiores, ad votum obedientiæ, (utpote quod præcipuum est & primarium) adimplendum reddamur. Quocirca pa-

Castitas voluptates, paupertas rerū proprietatē resecat, ut obedientia sit promptior.

rum inquit, tibi profuerit, opes & facultates dimisisse, nisi pariter propriam voluntatem relinquas, & sequaris alienam.

1. Tom. I. Ianuar. Religiosum non vitæ asperitas, sed sincerius obediendi in omnibus alacritas ostendit.

10. Notabiles aliquot S. Fulgentii Episcopi & Abbatis sententias refert in eius Vita & gestis Surius: quarum una, quæ de obedientia est, sic habet, *Illos veros Monachos esse dicebat, qui mortificatis voluntatibus suis, parati essent nihil velle, nihil nolle; sed Abbatis tantammodò consilia vel præcepta servare.* Non, tum demum verum te ait Religiosum fore, cùm acriter in corpus flagris sævies, aspera cilicia diu gestabis, valenti eris corpore & valetudine ad tota die laborandum, non denique cùm scientia pollebis, & prædicandi talentum nactus eris; verùm cùm obedientia clarebis, propriamque voluntatem exues.

Mater omnium virtutum obedientia.

11. Quocirca obedientia maximè essentialis Religioso ordini est virtus, quæque aliquem verè Religionis facit: hæc, Deo longè gratior est, quàm sacrificia & victimæ: in hac quoque paupertas, castitas, & reliquæ virtutes includuntur: quia si verè sis obediens, eris & pauper, castus, humilis, silentii amicus, patiens, mortificatus, atque adeo omnes omnino virtutes assequeris. Itaque verò hoc est hyperbolicè vel exaggerativè loqui, sed ipsissimam & simplicissimam veritatem. Virtutes namque per frequentem sui ipsarum actuum exercitationem comparantur: atque hoc illas modo nobis Deus concedere vult. Hanc autem exercitationem nobis dat obedientia. Omnes enim regulæ quas habemus, & universa superioris jussa, quid sunt aliud, quàm quoddam virtutum exercitium? Ab obedientia te conduci patiare, & quæcunque eius exercendæ tibi se offerent occasiones, ex animo amplectere: quia modò in patientia, modò in humilitate, aliàs in paupertate, aliàs in mortificatione, subinde in temperantia, denique in caritate te exercebunt: itaque fiet ut tantum in omnibus virtutibus profectum facias, quantum in obedientia proficies. Atque hoc significare S. P. N. voluit, dum ait: *Hac dum virtus floruerit, florebunt procul dubio reliqua, edentq; fructus, quales & ego in animis vestris exopto.* Atque adeò hæc communis sanctorum Patrum doctrina est: qui idcirco eam virtutum omnium matrem & originem vocant. Vnde sic loquitur S. Augustinus: *Quæ (obedientia) maxima est virtus, &, ut sic dixerim, omnium origo materq; virtutum.* Et Gregorius: *Obedientia sola virtus est, quæ cæteras virtutes menti inserit, insertasq; custodit.* Atque hoc in sensu exponunt illud Salomonis in Proverbiis, *Vir obediens loquetur victorias*: quomodo id legunt S. Gregorius & S. Bernardus: Non unam, scilicet, sed multas consequetur victorias, id est omnigenas virtutes obtinebit, is qui verè obediens fuerit.

In Epi. de obed. §. 2.

Lib. 1. cõtra ad. ver. leg. & Prophet. c. 14.

Lib. 35. moral. c. 10.

Lib. 35. moral. c. 22.

De ordin. vitæ & morum instit.

Obedientia compendium ad perfectionem.

12. Si ergo breve quoddam & compendiosum habere documentum ac viam velis, ad multùm in parvo tempore proficiendum, & perfectionem ipsam assequendam, hoc, quod dicam, accipe: *Hac est via, ambulate*

Isai.30.21 Deut.5.32. *bulate in ea; & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram:* Obediens esto, & obedientia fac excellas: quia hæc, brevis est via, & mirabile ad hoc compendium, unde sic exclamat D. Hieronymus: *O felix & abundans gratia! In obedientia summa virtutum clausa est: nam simplici gressu hominem ducit ad Christum;* dum, scilicet, simpliciter obedit ad omnia quæ obedientia præscribit, brevissimo tempore perfectum se & virtutibus plenum esse comperiet.

In regul. Monach. c.6.

13. S. Ioannes Climacus se scribit, cum ad quoddam monasterium venisset, quosdam vidisse in eo senes, canitie venerandos, & annis senioq; graves, ita ad obediendum, hucque & illuc discursandum promptos & dispositos, ut pueri agiles viderentur: quorum nonnulli, & jam quadraginta annos in sancta obedientiæ militia & castris militarant. Et addit, hos à se rogatos, quemnam è singulari hac sua obedientia & labore fructum consolationemque retulissent; nonnullos quidem respondisse, hac se via & adminiculo, ad profundissimam humilitatis abyssum pervenisse; qua fieret ut à plurimis tartarei inimici insultibus & incursibus tuti forent: alios verò, hinc se consecutos, ut omnem ad injurias & opprobria sensum amisissent. Obedientia ergo medium est ad omnigenas virtutes assequendas, convenientissimum. Hinc apud priscos illos Patres; ut clarum jam adeptæ perfectionis indicium ac nota ducebatur, si quis patri spirituali apprimè subditus esset ac per omnia obediret.

Cap.4.de obedien. Exemplum.

14. S. Dorotheus refert de discipulo suo Dositheo, quòd, cùm juvenis esset nobilis & delicatus, quidam ei divini judicii, rationisque exactæ Deo reddendæ metus incidit, adimplente in eo Domino id, quod aliàs petierat Propheta, dicens: *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui:* Hoc ipse timore confixus & compunctus, Religionem iniit, quò bonam Deo judici de factis rationem reddere posset, quòd autem naturâ debilis, & tenere complexionis esset, communitatis consuetudinem sequi non poterat, non summo manè surgere, non eis vesci cibis, quibus alii. Quæ cùm exequi ipse non posset, in horum compensationem decrevit, obedientiæ totum se & quàm exactissimè dare, magna promptitudine & accuratione in Nosocomio, & reliquis humilitatis officiis, famulatum præstando, quibus in obsequiis etiam quinquennio pòst phthisi demortuus est. Abbati autem Monasterii revelatum fuit cœlitus, adolescentem Dositheum eâdem in cœlo gloriæ corona donatum esse, qua Paulus & Antonius. Quo audito, monachi reliqui cum Deo expostularunt, dicentes, *Vbinam ergo justitia tua, Domine? ut hominem, qui nunquam jejunavit, quique in deliciis educatus sit, parare & æquiparare velis nobis qui totum Religionis onus, diei & æstus pondus ferimus? quid nos omni, quem exantlavimus, labore, plus profecimus?* Respondit autem Dominus, obedientiæ meritum & valorem ipsos nescire; per hanc enim adolescentem illum, parvo tempore plus, quàm

Aliud Exempl. In Biblioth. Patrum to. 3. doctrin. 1. de renunt. Psal. 118. 120.

Obedientia suppleat, quod vires præstare non possunt.

Matt. 20. 12.

quàm multis alios asperitatibus & pœnitentiis, meruisse.

CAPUT II.

Quantopere nobis obedientiæ virtus ait necessaria.

In regula quam ex eius scriptis collegit Lupus de Oliveto.

1. B. Hieronymus, quo meliùs Religiosos ad Superioribus suis seriò obediendum excitaret, obedientiamque ipsis persuaderet; multis allatis exemplis ostēdit, quàm sit omni in re, Superiorem aliquem sequi & parere, necessarium. In sæculari & politico regimine: *unum esse videmus*, inquit, *Imperatorem, unum Regem, unum supremum provinciæ cuiusdam judicem. Roma vix dum orta ne duos quidem fratres, simul in reges habere potuit: nam alter alterum ferro de medio tollit; itaq; parricidio dedicatur. Iacob & Esau fratres, etiam matris in utero inter se confligebant, ac veluti bello decertabant, uter alterum in nascendo perverteret.* Ipsam quoq; Hierarchiam Ecclesiasticam ad unum Christi in terra Vicarium universam redactam videmus. In singulis quoque territoriis & diœcesibus unus duntaxat præest Episcopus & Prælatus. Omni demum in re quandam requiri cōstat subordinationem, qua unius imperio multi pareant. Sic in exercitu quantumvis copioso, semper generalis aliquis est imperator, quem omnes sequantur & audiant. In singulis quoque navibus unus est præfectus & navarchus: Magna enim inter navigantes discordia, turbatio & confusio oriretur, nec unquam petitum ad portum appellerent, si unusquisque gubernaculo assidere, & navem pro libitu dirigere vellet, nec unus foret quem omnes sequerentur. Imò & in quantalibet parva familia, in rusticana licèt casula, unum necesse est esse, cui reliqui pareant, quod nisi sit, nec domus, nec civitas, nec regnum, integra conservari & stare poterunt. *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur & domus supra domum cadet.* Luc. 11. 17

Inter ratione præditis Regimen Monarchi cum optimū est.

Obedientia prompta maximè in Societate Iesu curā.

Etiam inter ratione carentia.

2. Atque hoc in omnibus rebus creatis cernere est, non in iis solùm quæ ratione prædita sunt, hominibus, inquam, & Angelis, in quibus una alteri hierarchia subordinatur; verùm etiam in brutis, animalibus, quæ suum semper habent ducem & ductorem, quem sequantur. Apibus suæ sunt magistræ & præpositæ, & una inter eas princeps & regina, quam omnes reverentur, agnoscunt & obtemperant: grues quoque unam sequuntur ordine litterato, volatu scilicet imitando Græcum Y. itaque unam præeuntem consequuntur omnes. Ipsi quoque cœli sub uno primo mobili continentur, & ad eius motum rapiuntur. Ne verò exemplorum plurium adductione fastidio sim, inquit Hieronymus, quod te ex omnibus eliicere volo, illud est, ut hinc intelligas, quantopere tibi conveniens sit, sub Præpositi alicuius obedientia, & in multorum fratrum Religiosorum, servorum Dei, congregatione vivere, qui exemplo te suo ad finem tuum assequendum adjuvent & animent.

Societatis homines prompti ad suppetias ferēdas, ubi obedientia vocat.

3. Tam-

Obedientia prompta maximè in Societate Iesu cura. 3. Tametsi verò nos S. P. N. magna in omnibus quidem virtutibus & gratiis spiritualibus incrementa facere vilit; specialiter tamen in hac, de qua loquimur, insignem à nobis perfectionem exigit: Vult inquam, ut sicut aliarum Religionum quædam paupertate, quædam pœnitentiis & asperitatibus, aliæ choro, aliæ clausura eminent & excellunt; ita Societas maximè obedientiæ virtute clarescat, & quotquot sumus, ea resplẽdere & nitere procuremus: perinde ac si ab illa sola universum Societatis bonum dependeret. Non sine ratione autem, hoc à nobis S.P. exigit. Nã Societatis finis est, ut, postquam proprium ac privatum quæsivit profectum, proximi utilitati impensè studeat, & ad animarum salutem, toto qua patet orbe terrarum comparandam, enixè cooperetur.

Societatis homines prompti ad suppetias ferẽdas, ubi obedientia vocat 4. Vnde omnes eam profitentes parati, dispositi, ac velut in procinctu continenter esse debent, ad toto orbe, ministeriorum suorum exercendorum causâ, peregrinandum & discursandum, perinde ac levis armaturæ equites, ut ubicunque major animatum vocat necessitas, eòdem accurrant & suppetias ferant. Atque hic quarti voti, quod Professi nostri faciunt (quo summo Pontifici, quibuslibet in missionibus suscipiendis, obedientiam spondent) finis est & intentum, ut scilicet, quocunque terrarum eos ipse ablegare voluerit, sive ad fideles, sive ad infideles & hæreticos, sine excusatione & cunctatione ulla, & non petito viatico, abire sint parati. Nec modò hanc in missionibus, ad quas à supremo Christi vicario, verùm & in iis, ad quas ab immediatis Superioribus destinabuntur; promptitudinem & indifferentiam omnes præferre debent, item ad quodcunque officium ac ministerium exequendum; ad omnia denique alia, quæ à Præposito ipsis præscribentur.

Ratio, cur obedientia adeò Societati sit necessaria. 5. Et quoniam tanta in Societate occupationum, ministeriorum, graduum est diversitas, quorum unus altero est altior & eminentior; hinc etiam mogno opus est obedientiæ apparatu & commeatu. Atque hoc, S.P.N. spectavit, dum tantopere in obedientia commendanda insistit, in eaque ut emineamus & excellamus, petit. Sciebat enim, difficilia & ardua sæpè nobis oblatum iri, nosque susque deque, sursum ac deorsum versandos, & omnigenas in formas efformandos.

Vir obediens loquitur victorias 6. Quidam de Patribus nostris de se dicere solebat, quod etiam omnes nos & ore dicere, & animo sentire desiderabat: *Equidem*, ajebat, *nullam obedientiam imperiumve Superioris pertimesco: nam quidquid obedientia mihi præscripserit, exequi paratus sum.* Optimè quidem. est namque hæc apertissima & probatissima veritas.

Obediens liber est à timore & lætatur. 7. Religiosus, qui ad quælibet à Superiore injungenda, mortificatus, promptus, & indifferens est, nullum jussum, nullumque Superiorem perhorrescit; ac parum ejus interest, Petrusne suus Superior sit an Joannes, hujusne conditionis ac naturæ sit, an illius. Bonus Religiosus ab his dependere rebus non debet: & evidens

dens imperfectionis signum est, hinc dependere, & isthæc timere: S. Chrysostom. explicans illud Apostoli: *Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa; si autem malum feceris, time*, ait: *Timorem non fecit princeps, sed vestra malitia.*

Rō. 13, 3.

Propriū est malorum pavere.

8. Fur & maleficus judices capitales timet, & prætorem rerum criminalium venire cùm videt, sanguis illi præ metu congelascit, ratus sui comprehendendi causa ipsum adesse: hūc verò illi timorem non princeps vel judex, sed maleficium & scelerata conscientia causat. Regem ergo & judicem timere non vis? Sanctè vive: & adeò eum non timebis, ut etiam magnopere sis ab eo laudandus & celebrandus. Eodem porrò modo se res habet hîc in Religione: hosce timores & angores non obedientia parit, non Superior, sed tua imperfectio & parva mortificatio. In Religione non timere & securus esse si velis; obedientiam seriò cole, & ad omnia indifferens & resignatus esto. Hoc modo qui ambulabit, mira pace, summa quiete & securitate gaudebit, ipsaque Religio ei paradisus quidam terrestris futura est.

CAPUT III.

De primo obedientiæ gradu.

Obedientia habet gradus. 3. p. Constit. c. 1.

1. S.P.N. in tertia constitutionum parte de obedintia loquens: *Expedit*, inquit, *inprimis ad profectum, & valdè necessarium est, ut omnes perfectæ obedientiæ se dedant.* Quibus verbis S. vir indicat in obedientia, uti etiam in aliis virtutibus, quosdam inesse gradus, minori majorique perfectione distinctos. §. 23. Reg. 31. sūmarii.

Primus obedientiæ gradus.

2. Atque eodem in loco ostendit etiam quæ qualisve perfecta sit obedientia: nimirum, non solum in exteriori rei injunctæ executione & effectu (qui *primus* obedientiæ gradus est) eam consistere, verum etiam in voluntate & corde, nostram scilicet ut voluntatem cum Superioris conformemus, unum cum eo velle & unum nolle habere procurando. Atq; hic *secundus* est obedientiæ gradus. Neque verò etiam sit sistendum, sed adhuc ulterius ascendendum, ut nimirum judicium nostrū judicio Superioris accommodemus: idem ut videatur nobis, quod Superiori, quodq; ipse fieri jubet, benè id juberi judicemus. Qui *tertius* obediētię gradus est. Quando ergo istæc in opere, voluntate & intellectu conformitas erit, tum demum integra & perfecta futura obedientia; si quid autem horum defuerit, manca & imperfecta.

Secundus

Tertius.

Quid I. gr. obedientiæ deposcat ex S. Basilio. In regulis brevior. interrog. 166.

3. A primo itaq; gradu initium ducendo, necesse nos est in ipsa præcepti executione quàm diligentissimos & exactissimos esse. Huc facit quod S. Basilius quæstionem proponit, qua res à Superiore imperatas oporteat diligentia & accuratione exequi? Nō minori, inquit, quam quanta qui vitæ conservandæ apprimè studiosus est, ad ejus conservationē integritatemque necessaria omnia comparat: nec minore etiam, quàm quanta qui esurit, ad cibum anhelat, quin etiam eo majori, inquit, quo vita ęterna, quam obediendo promeremur, nobilior & excel-

excellentior est temporali. Quare præclarè S.Bernardus: *Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præcipit præcipientem; parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi itineri pedes: totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatē:* eamq; ita exactè punctu aliterq; exequitur, ut eā prævenire, & manu verba jubētis prævertere velle videatur.

Sermon. de obedien.

4. S.P.N. de exacta executione & promptitudine, quam in obedientia nos adhibere oportet, agens ait: *Ad signum campanæ & Superioris vocem, perinde ac si à Christo Domino egrederetur, quàm promptissimi simus, re quavis, atque adeo littera à nobis inchoata, nec dum perfecta, relicta.*

6. p. Constit. c. 1. §. 1. regul. 34. Summarii. Quia ex S.Ignatii Sensu.

5. Duo porro nobis hîc præscribit: *Primum*, ut, dum campanæ signum, vel Superioris vocem audimus, Dei nos vocem audire credamus. Vtile porro & pium in primis est, hic considerare trium Magorum in obediendo promptitudinem: nam uti hi, visa apparente sibi stella, apud se quisque dixerunt: *Hoc signum magni Regis est, eamus & offeramus ei munera: aurum, thus, & myrrham*: Ita nos, auditâ campanulâ, vel voce Superioris, dicere oportet: *Hæc vox Dei est, eamus quantocyus, & obediamus ei.*

Primo Vox superioris vere obedienti, signum magni Regis.

6. *Secundum*, ut litteram inchoatam, vocati imperfectā relinquamus. Cassianus de veterum illorū Monachorum, (qui toti & semper occupati erant, hic quidem suas describendo devotiones, ille medicando, alius libros in aliam linguam transferendo, vel alia opera manualia operando) occupationibus loquens testatur, eos, mox ut signum campanulæ, vel Superiorem vocantem audirent; certatim & invicem prævenire conando, cellis suis egredi consuevisse, & tanta quidem promptitudine, ut, qui scribendo distinebatur, literam inceptam non perfectam relinqueret, propterea quod pluris obedientiam, quam alia omnia facerent, eiq; non manuaria modò opera, verum etiam lectionem, orationem, recollectionem, atque adeò reliqua opera posthaberent, itaq; omnia à se abdicabant & interrumpebant, ut ne latum quidem unguem ab obedientiæ perfectione descifcerent, perinde ac si vocantis Dei vocē audissent. Hanc certè doctrinam in Regulas suas etiam retulit S.Benedictus, & à duobus his eam S.N.P. est mutuatus.

Lib. 4. de institut. renunt. c. 12. Veterū monachorum obedientia. S.Benedictus in reg. c. 5.

7. Ut autem nobis ostenderet Dominus, quātopere sibi hæc exacta & punctualis obedientia, in littera inchoata abrumpēda, placeat; sæpiùs id per miracula dignatus est cōfirmare: uti illo in monacho, qui cum inter scribendum per campanæ signum quopiam vocatus, litteram semiperfectam reliquisset, eam post ad cellam reversus, perfectam reperit, parte illa media, quam perficiendam reliquerat, aureo colore inducta.

Exempl. Refert S. Catharina Senēs. in dialogis, c. 165.

8. Nec non in alio illo, qui ut se, dum suavissimè cum puero Jesu, sibi in pulcherrima & fulgentissima forma apparente colloquebatur, campanæ signo ad Vesperas vocari audiit; ilico puero relicto, eōdē se contulit; qui, illis peractis, ad cubiculum revertens eundem, quem antè puerum, ibi invenit, à quo mox etiam audivit;

Aliud exemplū 1. p. l. 7. cap. 39. Chron. Minorū.

divit: Quia me reliquisti, invenisti: nisi enim tu me reliquisses, ilico ego reliquissem te.

Ruisbroch. tract. de quibusd. virtutib. c. 9. & refert Blosius c. 7. monial. spirit.

9. Ruisbrochius scripto prodidit, alteri cuidam hunc ipsum, quem abiens puerum reliquerat, post obedientiam expletam, in pulcherrimum adolescentem mutatum visum esse, eique dixisse, *Tantum ego in anima tua, ob exactam obedientiam tuam, incrementum feci.*

Satanas primitias obedientis per morulã modicã quasi prælibare gestit.

10. Ex adverso cacodæmon, tametsi efficere non queat, ut prorsus nõ pareamus; id saltem evincere allaborat, ut in parendo adeò non simus serii, quò sibi aliquam ex obedientia partem vindicet, ac tantillum illud interstitium de opere auferat, quod à prima campanæ auditione, ad usque dum surgis, interfluit: florem, scilicet & principium operum nostrorum suffurari, ac primitias eorum quodammodo prælibare gestiens. Sic satagit veterator ille, ut, postquam ad surgendum manè, audisti signum dari, paululùm in lecto torpeas; inter scribendum verò, cœptam litteram absolvat; interdum etiam argumentum ac conceptum quẽ prę manibus habes, vel cœptam conclusionem perficias, per speciem, ne fortè è memoria effluat.

Huic nos resistamus generosè.

11. Nostrum verò est, totum opus, una cum principio eius & flore integrè Deo offerre: quo addito, fructus ipse esse solet quàm gratissimus. Quare vide, ne eum defloratum atque emarcidum des Deo omnium Domino.

6. p. Constit. c. 1. §. 1. & reg. 33. summarii.

12. Pergo in explicanda mente quam S. Ignatius circa primum obedientiæ gradum nobis scripto reliquit, qui non solum 1. ad vocem superioris vel signum campanæ statim moveri, atque etiam 2. literam imperfectam relinquere docuit, sed etiam amplius quid à nobis circa obedientiam hanc exteriorem requirit, nimirum *tertio* etiam ad minimum voluntatis eius signum & nutum hac promptitudine obediendum esse præscripsit. *Omnes*, inquit, *obedientiam plurimum observare, & in ea excellere studeant: nec solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis; licet nihil aliud quam signum voluntatis Superioris sine ullo expresso præcepto videretur.* Hinc Albertus Magnus de obedientia scribens, ait: *Verus obediens nunquam præceptum exspectat: sed solum voluntatem Prælati sciens, vel credens, ferventer exequitur pro præcepto.* Idque ad exemplum, inquit, Redemptoris ac magistri Iesu Christi, cui pro hominibus mortem oppetere, instar præcepti & mandati sint, quòd hanc Patris sui æterni voluntatem & complacentiam esse sciret.

Verus obediens non exspectat prçceptũ cùm habet Superioris nutum.

Lib. de virtutib. c. 3.

Exempla.

13. Veterum illorum Monachorum (ut scribit Cassianus) tanta erat in obediendo promptitudo, ut non solum ad Superioris vocem ac jussum, verum & ad qualemcunque voluntatis eius nutum & signum, exactissimè obsequerentur. In tantum, ut eius voluntatem quodammodo divinare & prænosse viderentur, facientes quod fieri is volebat, etiam antequam fieri juberet. Atque hoc est quod suprà S. Bernardus dixit: *Fidelis obediens præripit præcipientem,* quod

Serm. de obedien.

quod hic fieri vult, exequendo etiam antequam voce jubeatur.

Lib. 5. c. 4. Vitæ eius.

Tres huiusmodi accipiendi mandatum Superioris.

14. Opportune ad hanc rem magis declarandam S. P. N. tres obediendi, quoad primum obedientiæ gradum modos statuebat; *Primum*, quando quid mihi in virtute obedientiæ præcipitur: & hic bonus est. *Secundum*, quando hoc illudvé mihi faciendum simpliciter à Superiore præscribitur: atque hic melior est; quòd maiorem subjectionem & promptitudinem declaret, qui rem simplici quadam ordinatione & præscriptione exequitur, quam qui exspectat, donec eà sibi in sanctæ obedientiæ virtute mandetur. *Tertium*, denique, quando tantùm voluntatis Superioris voluntatem, nutum, significationemque percipiens, hoc illudvé promptè exequor, licèt id mihi expressè non jubeat vel præscribat.

Quis modus horũ melior & similè declaratur.

15. Atque hanc obedientiam longe esse ait perfectiorem, Deoque gratiorem. Quemadmodum etiam in familiis servus ille qui vel medio nutu domini sui voluntatem percipit, eamque opere exequi satagit; acceptior est, magisque placet, quàm cui omnia expressè mandanda sunt: Nam teste Salomone, *Acceptus est regi minister intelligens*: ita pariter hîc fit in obedientia Religiosa: longè enim est melior, perfectiùs obedit, ac Superiorib. Deoque gratior & acceptior est, qui ad solam voluntatis Præpositi significationem movetur & obtemperat, quam alius. Estque adeo hæc doctrina S. Thomæ: qui de obedientia loquens, qualitercunque demum Superioris voluntas à quoquam percipiatur, tacitum id præceptum ac mandatum fore ait; itaque meliùs obedientiæ subditi promptitudinem percipi.

Prov. 14. 35.

2. 2. q. 104. art. 2.

Ad hunc meliorẽ gradum eniti oportet.

16. Igitur huc usque obedientia nostra se extendat necesse est. Interdum namque, imò etiam sæpè, contingit, ut Superior quod præcipiendum habet, expressè imperare nolit, idque ut maiori cum suavitate procedat, subdituque non mortificet, vel quod ignoret, quo suum hic modo sit præceptum admissurus. Subditus porro, cum talem Superioris esse voluntatem intellexerit, graviter hunc delinquet, jubentem non prævertens, & huic se obedientiæ ultrò non offerens. Quæritabat olim Deus virum, quem Ierosolymam ad prædicandum mitteret, & ait (unde id inaudiit Isaias) *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Isaias ergo cognito voluntatem Dei esse, ut ipse se ad hanc missionem offerret; statim se obtulit, dicens, *Ecce ego, mitte me.* Pari ratione nos oportet, cùm vel verbo, vel signo voluntatem suam Superior declarat, nos ipsos offerre & sistere.

Isai. 6. 8.

Exemplũ insigne Samuelis.

17. Multa afferri possent exempla, è quibus manifestissimè colligamus, quantam nos in obediendo promptitudinem habere sit necesse; inter quæ singulare, id est, quod de Samuele etiamnum puero, & in templo sacerdoti Heli, æditui in morem, ministrante, Scriptura divina commemorat. Hinc ergo nocte quadam in templo dormientem vocavit derepentè Dominus, *Samuel, Samuel*, revelaturus illi quo Heli sacerdo-

1. Reg. 3.

cerdotem modo esset castigaturus. Ad vocem hanc excitus Samuel, at undenam, & cuius esset hæc vox, ignarus, (hactenus enim ei Dominus non fuerat locutus, nec quidquam revelarat) ab Heli sacerdote vocari se credens, quantocyus exsurgit, ad eum abit, & ait, *Ecce ego*: quid me vis? *Vocasti enim me.* Heli verò lectum eum repetere jubet, dicens, *Non vocavi te fili mi, revertere, & dormi.* Ergo unde venerat rediit, & ad dormiendum rursus se composuit. Sed adjecit Dominus secundò vocare Samuelem. Qui excitatus, iterum se ab Heli vocari credit; quòd ab alio, præterquam ipso, eo se loco vocari non posse putaret. Surgit itaque & abit, uti antè, ad herum suum. Heli eum somniare ratus, lectum repetere jubet. Sed ecce vix dum lectum petierat, cùm tertiò ad eum vox Domini facta, qui eam etiam tertiò experrectus, protinus sacerdoti se sistit, ab eo se evocatum rursus existimans, & ait: *Ecce ego, quia vocasti me.* Tum demum Heli in mentem venit, eum nonnisi à Deo, aliquid ei revelare volente, vocatum fuisse: & ait, *Vade, & dormi; & si deinceps vocaverit te, dices, Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Abiit ergo Samuel, & dormivit in loco suo, quem jacentem Dominus iterata voce vocavit, *Samuel, Samuel.* Ille ad eam excitatur, &, ut edoctus erat, respondit: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Tum demum alloquitur illum Dominus, & quod voluit, ei revelavit. Minutiùs hîc Samuelis obedientiam, magnamque in parendo promptitudinem consideremus, nam esto se prima & secunda vice deceptum fuisse vidisset; ipse ad hæc Heli à se eum minimè vocari dixisset, utque cubitum concederet jussisset; putaretque adhæc Samuel, ab aliquopiam se evocari non posse; nihilominus secundò & tertiò exsurgit, & sacerdotem adit, rogans num quid vellet? Pari ergo saltem nos promptitudine & diligentia nostris obedire Superioribus par est, in plenitudine gratiæ, quam ille in parsimonia Legis Mosaicæ monstravit.

18. Huc quoq; facit exemplum, quod in eadem Scriptura, de prompta Abrahæ obedientia legimus, quam exhibuit tum, cùm illi mandavit Deus, ut filium suum unigenitum Isaac immolaret. *Igitur Abraham de nocte consurgens.* Non expectavit enim usque manè, sed statim de nocte antequam diesceret, eo ipso quo mandatum accepit, momento ad jussum, & quidem arduum, exequendum se accinxit. Notat ad hæc Scriptura, eum famulos ad montis pedem reliquisse, nec secum in montem ducere voluisse, ne quis ipsi in obedientiæ suæ executione impedimento, & obstaculo foret.

Aliud in obedientia Patriarchæ Abrahæ.

Gen. 22. 3.

Caput IV.

De secundo obedientiæ gradu.

1. Secundus obedientiæ gradus in eo situs, ut suam quis cum Superioris voluntate conformet, & aliud velle & nolle, aliam voluntatem non habeat, quam quod Superior velit

Primum Religionem intrantis principium alterius

...ere vo- ...tatem ...o pro- ...um.

velit ac nolit. Nihil hoc in Religione est communius, tritius nihil, nihil magis obvium; cum hac enim intentione & præsupposito omnes in eam ingredimur. Atque hoc primum principium est, quod velut fundamentum omnibus Religioni nomen dare volentibus statim in initio prælegitur ac proponitur: Non venisti huc frater ut propriam, sed ut alienam voluntatem facias. Et nemò non dicit: Equidem id novi. Porro sicut id & ipsi dicimus, & alii nobis dixere, ita etiam verè se res habet. Atque hoc est, esse in ordine aliquo Religiosum, & sub obedientia vivere. Vnde S. Ioannes Climacus. *Obedientia est sepulcrum propriæ voluntatis, & excitatio humilitatis.* Cùm ergo Religionem primùm inimus, statuamus oportet, propriam esse nobis voluntatem quodammodo sepeliendam & terra obruendam; ac posthac in omnibus unam Superioris voluntatem sequendam.

...adu 4.

...eg.13. & ...Summ. ...tiam in ...duis & ...nsui ...gnantibus. ...eg. li. 35. ...ral. c. 1 ...rnard. ...ordine ...ite. ...b. Mag. ...virt. ...ct. de ...dient. ...citat: ...ugust. li. ...o. c. 26. ...onfess.

2. Addit S. P. N. ad hoc ipsum quoque nos dispositos debere esse, *licèt difficilia & secundùm sensualitatem repugnantia* nobis jubeantur: imò erga illa, si quando nobis injungentur, potissimum & ante omnia magna nos promptitudine ferri debere demonstrat. quia in illis maximè vera & perfecta obedientia, prout communiter Sancti Patres docent, relucet.

3. Hinc si quando quid præcipitur, quod nobis placet, sapit, quodque inclinationi voluntatique nostræ conforme est; qualis obedientia sit, egrè videri potest: propterea quòd fortasse magis huc propria feramur propensione & affectu privato, quam ut Dei voluntatem & Superioris jussum in eo exequamur. At, quando quid difficile, arduum, & sensualitati carnique repugnans mandatur, & ipsum nihilominus quam promptissimè explemus & amplectimur; tunc, inquiunt, optimè apparet obedientia. Siquidem in hoc securi & tuti sumus, non tam nos ipsos, quam purè Deum & obedientiam ipsam, à nobis quæri.

In talibus probatur vera obedientia.

4. Vnde nonnisi bonum & laudabile est, quòd nonnulli Religiosi, dum ipsis officia & ministeria sensualitati placentia præscribuntur, seipsos suspectos habeant, & magna quadam cordis amaritudine, & sancta querimonia dicant: *Nescio utrum aliquid in hoc promereat, quòd propriam in eo voluntatem facere videar.* Vnde hoc ipsum Superiori anxii semel iterumvé proponunt. E diverso cùm quid iis injungitur, erga quod naturaliter non propendebant, sed à quo alieniores erant, & in quo magnam animi repugnantiam sentiebant; magna in quiete sunt, & miram consolationem sentiunt; quòd securi ac certi sint, quoad hoc se suam voluntatem non facere, nec seipsos quærere, sed purè Deum solum. Atque hæc bona securaque in Religione agendi ratio est. Vnde S. Gregorius: *Debet*, ait, *obedientia in adversis ex suo aliquid habere, & in prosperis ex suo aliquid omnino non habere.* Quando nimirum, sublimia & honorifica nobis imperantur, nihil in eis nostrum esse debet; sed purè simpliciterque ideo acci-

Virtutis studiosi obedientiam suã in sensui gratis suspectam habent.

Lib. 35. Moral. c. 13.

accipienda ea sunt, quòd nobis mandentur, & hæc Dei sit voluntas. At, contrà dum difficilia, abjecta, humilia præcipiuntur, aliquid in iis esse debet nostrum: erga illa namque mirificè propendere, & animo acclinare nos oportet, magnaque eadem promptitudine & voluntatis affectu amplecti. Ita qui fecerit, meliùs persuadere sibi potest ac credere, se etiã in aliis mandatis inclinationi naturali conformibus Dei se voluntatem facere, non propriam. At qui in rebus vilibus, abjectis & laboriosis, in quibus exequendis magnam difficultatem & repugnantiam experitur, promptè expediteque non obedit; timere non immeritò potest, ne etiam in gustui, sensualitati atque inclinationi conformibus exequendis, nõ tam Dei, quàm propriam voluntatem adimpleat.

Signum an Religiosus, in opere obedientiæ, se ipsum an Deum quærat.

5. Atque hoc unum è signis est, ad dignoscendum an quis in eo quod agit, seipsum quærat, an purè voluntatem Dei. Vnde consequitur, eum, qui omnimodis procurat & exambiendo desiderat, ut sibi à Superiore præscribantur quæ exequi sibi voluerit, utque ille suæ voluntati morem gerendo condescendat, quique ad hæc exequenda promptus est, non autem ad alia, obedientem non esse dicendum.

Error est gravis superiorem ad sua placita trahere.

6. Quocirca benè S. P. N. in Epistola de obedientia: *Sanè quàm magnus est, error, & quidem eorum quos amor sui obcæcavit, obedientes existimare sese, cùm superiorem ad quod ipsimet volunt, aliqua ratione pertraxerint.* Ad quod adducit illud S. Bernardi: *Quisquis vel apertè, vel occultè satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater injungat: ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obedientia blandiatur: neque enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit*, nec ipse Superioris voluntati, sed Superior vice versa ipsius voluntati obsecundat.

Serm. de tribus ordin. Eccles. ad Patres in capitul.

Punctum Notandũ Religioso, ne Superioris voluntatem, suã factam, ad meritum credat.

7. Communissimum ac tritissimum quidem hoc punctum in praxi hominum versatur, neque est de raro contingentium numero, & idcirco id levi pede & obiter pertransiri nollem. est namque unum de præcipuis & maximi momenti punctis, quæ hac in materia quæant adferri. est unum de iis, quæ Religioso maximè sunt timenda. Time inquam frater, ne ideo tibi Superior officium, ministerium, functionemvé aliquam injungat, quòd eam ipse prius desideraris, ambiveris, vel ab alia quam tibi imponere volebat, cuique te applicare maluisset, alieniorem te commonstraris. & hinc fortasse fiet, ut, cùm aliquid te fecisse, &, eò quod multum laboraris, multa opera bona ac merita coacervasse credas, postea frustra te laborasse, & deceptum esse, & meritis coram Dei judicio vacuum prorsus visurus sis, quòd tuam, & non Dei voluntatem feceris. Vnde ipse, respondere tibi poterit quod impiis Iudæis apud Isaiam ait: *Quare jejunavimus & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.*

Isai. 58. 3.

8. Etiam materiæ præsenti hunc ipsum Isaiæ locum S. Bernardus accommodat, & addit: *Grande malum*

Serm. 71. in Cantic. Grande malum

propria

propria volūtas. *propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint.* Et alio loco uberiùs hoc ipsum declarans ait: *Cùm Redemptor IESVS Paulum Apostolum, in via ei apparens, & dejiciens, ad se convertit, ceciderunt ab animæ ejus oculis tanquam squamæ: unde ipse à luce illa, quam cælitus accepit, illustratus,* dixit: *Domine quid me vis facere?*

Serm. 1. de cōver. S. Pauli. Act. 9. 6.

Domine quid me vis facere? Verbū breve ad compendiosum & sensu plenum.

9. Hinc, inquit Bernardus, colligi queat, perfectè aliquē jam ad Deū conversum esse, revera mundo renuntiasse, ac Christum sequi statuisse, si cum Apostolo dicat, *Domine quid me vis facere? O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Quàm pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant; ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione, Domine quid me vis facere? paratum cor meum. Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quàm novi Apostoli imitatores. Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, ut faciam tibi? quanta est miseratio tua? Siccine Dominus servi quærit, ut faciat voluntatem? Verè cæcus ille quia non consideravit, non expavit, non exclamavit* (ut quondam Simon Petrus, cum ei Dominus lavare pedes, nec ut Joannes Baptista, cum ab eo baptizari vellet) *Absit hoc Domine,* Nisi fuisset cœcus, expavisset haud dubiè, cùm petentem Dominum audivit: *Quid tibi vis faciam?* & exclamare magis debuisset, ac dicere: *Quid me facere vis? sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem.*

Ps. 56. 8. Mar. 10. 51. Luc. 18. 41.

Multi hodieq; cæci sūt.

10. Tales, inquit Bernardus, Religiosos multos hodie videre est, quos interrogare Superior debet, & petere: *Quid vis ut faciam tibi?* ut Superiorem antea considerare & præmeditari oporteat. Quid huic placebit? quid est quod libenter facturus est, hoc ut ei injungam? ad quod aliqua propensione inclinatur & afficitur? Cùm ipsimet contra voluntatem Superioris exquirere, & ad quid ipse propondeat, nosse satagere deberent, quò ipsum agere proponant. Hoc enim fine ad Religionem venerunt, non autem ut ipsorum voluntati Superior condescendat, & quæ ipsis placent, injungat. Hæc namque, non est obedientia, non religio.

Caput V.

De tertio obedientiæ gradu.

In quo consistat tertius gradus obedientiæ.

1. Tertius obedientiæ gradus in eo consistit, ut intellectum & judicium nostrum cum judicio Superioris conformemus, non solùm unum velle, sed & unum sentire cum eo habētes, ita ut credamus, id quod ipse mandat, rectè mandari: nostrum quoque judicio illius judicium subjicientes, ipsumque ut proprii judicii regulam ac normam accipientes. Vt autem clarius hujus obediētiæ necessitas intelligatur, satis esse debuerant ea, quæ initio dicebamus, nimirum nisi ita obediatur, perfectam veramque obedientiam eam non fore. *Cap. 3.*

Obedientia ut

2. Vulgò sancti Patres asserunt, obedientiam perfectissimum quoddam holocaustum esse, in quo, nimi-

holocaustum sit perfectum, requirit subjectionē proprii judicii.

rum, homo se totum, integrum, indivisum, non sectum, nihilque sibi reservando, suo creatori Deo, caritatis igne cremandum, per ministrorum ejus manus, offert. Hæc porrò in lege, veteri erat inter holocaustum & alia sacrificia, differentia, quòd in his pars una Deo offerretur, altera verò in sacerdotum & ministrorum templi sustentationem cederet ac reservaretur: at holocaustum, totum ac penitus, in honorem Dei cremaretur, nihil ut ejus servaretur, aut cuiquam cederet. Si ergo intellectu non accesseris & te cum judicio tui Superioris non conformaveris, non eris obediendo holocaustum, cùm principalem & nobiliorem tui partem, ipsum inquam intellectum & judicium, de sacrificio demas. Unde S.P.N. dicere solebat, eos qui solùm voluntate, & non judicio, obediunt, nonnisi unum in Religione pedem habere.

Insignis S. Bern. Allegoria pro obedientia. *Serm. de convers. Pauli. Act. 9. 7.*

3. S. Bernardus autem pluribus edisserit, qualis & quomodo obedientia intellectus esse debeat, illam conversionis S. Pauli historiam in sensu morali prosequendo, & huic materiæ applicando. Postquam ergo Paulus cœlesti luce perculsus, conversus est, & dixit, *Domine quid me vis facere?* respondit ei Dominus, *Ingredere civitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Quod exponens S. Bernardus. Hoc eodem, ait, fine & intentione Religionem es ingressus, idque non sine alto & divino quodam consilio: etenim Deus tibi quendam salutis comparandæ timorem ac terrorem injecit: ardens adhæc majestati ejus serviendi desiderium in corde tuo accendit: hoc denique fine tibi inspiravit, ut civitatem hanc, hancq; virtutis scholam ingrederis: ibi tibi dicetur, quid à te requirat Deus, quidque facere te oporteat, ut ei placeas. *Paulus* autem (ut in historia seriе pergamus) civitatem ingrediens, *apertis oculis nihil videbat: ad manus autem trahebatur ab his, qui comitabantur eum.*

Obedientis vetus, apertis oculis nihil videt.

4. *Hæc*, inquit Bernardus, *planè, fratres, perfectæ conversionis*, & obedientiæ religiosæ, *forma est*; in hoc hujus perfectio consistit, ut, nimirum, apertis oculis nihil videas, aut dijudices, sed à Superioribus te tuis conduci trahique finas, totum te in manus eorum resignando. Vide autem, ne tibi oculi aperiantur in malum, uti olim Adamo aperti sunt. In Genesi quippe legimus, primis nostris parentibus, quamprimum ut peccarunt, oculos adapertos fuisse, & cognovisse se nudos esse, atque invicem ad alterutrius conspectum magnopere exhorruisse. Quid enim? an non & ante prævaricationem nudi erant, & oculos apertos habebant? Maximè: neque enim eos cæcos Deus condidit. Sed suam ad nuditatem neutiquam attendebant, nec eam advertebant: vivebant quippe in sancta illa justitiæ originalis simplicitate, & puritate, perinde atq; Angeli quidam terrestres. Hanc porro innocentiam & perfectionem, quam illi per inobedientiam perdiderunt, par nos est nostrâ, in hoc Religionis paradiso, obedientiâ recuperare; ne, videlicet, ad alienos defectus maximè in suo Superiore intuen-

Gen. 3. 7.

Oculi obedientis clausi ad defectus aliorum, maximè in obediendo.

intuendos, oculos apertos habeamus; sed ut, (licèt etiam sponte quis vitium & nuditatem suam patefaciat) oculos animumque ab ea avertamus, nec ullam eôdem reflexionem facientes, cribro examinis & judicii nostri ventilemus, & exagitemus, nedum lingua percutiamus, sed multo magis rebus ad obedientiam spectantibus intendamus, quod nostri est officii.

5. Climacus de diligentia & accuratione quæ in hoc nobis adhibenda est, loquens, ait, si quando nobis contra obedientiam & jussa Superioris cogitationes aliquæ & judicia oboriuntur, ita nos in iis gerere oportere, atque in cogitationibus blasphemis contra Deum ac res fidei, aut tentationibus contra castitatem, & turpibus præsentationibus: scilicet eas planè excludere, & omnem iis aditum locumque denegare: imò verò quandam inde nos magis confundendi & humiliandi occasionem arripere.

S. Hier. prçclarũ monitũ pro obedientia. *Epist. 4. ad Rusticum.* *Exod. 6. 3* *In constit. Monast. c. 10.*

6. S. Hieronymus monacho cuidam rectè in cœnobio vivendi formulam præscribens, inter cætera hoc illi documentum dedit: *Non de majorum sententia judices.* Superiorum jussa decretaque non examines, cur videlicet hoc illudve mandarint, & num melius id hoc, quam illo, modo imperassent: subditi quippe *officii est obedire & implere quæ jussa sunt, dicente Moysi, Audi Israel & tace.*

Discipuli est credere magistro, & ejus ordinationes honorare.

7. Eôdem nos invitans S. Basilius: Ait, cùm artem aliquam mechanicam in sæculo quis, victus comparandi ergo addiscere vult, magistro alicui se in disciplinam tradit, ut ab eo præcepta artis ediscat: Hujus ipse manus gestumque attentè considerat, eique exactè in omnibus quæ dicit, sine ulla contradictione, dijudicatione, aut curiosiori præcepti examinatione obedit: itaque tandem peritus artifex evadit.

Laert. li. 8. c. 1. Cicer. de nat Deorum. E Pythagoræ schola religiosi discant subjicere judiciũ.

8. Pythagoras, si quod discipulis dogma aut placitum proposuisset, id ab eis ulteriùs examinari excutique, per speciem dubitationis, nolebat. Quod & illi adeò sanctè & inviolabiliter observabant, ut, cùm diceretur, *Ipse dixit,* nullus de eo ultrà dubitandi locus esset. Quanto potiùs id nos servare oportet erga eum qui Pythagora multò dignior est & major, eò quod Domini nostri Jesu Christi vicarius est? nimirum, ut, cùm quid ab illo præscribi viderimus, amplius nihil, ad judicium nostrum quamprimum ei subjiciendum, credendumque id nobis maximè conveniens esse, requiratur.

De præpar. Evang. ex Platone lib. 1. de Legib. E Spartana quoque Rep. discant Religiosi subjicere suũ judicium, &

9. Apud Lacedæmonios, referente Eusebio Cæsariensi, lege cautum erat, ne, si quis juvenum recenter gubernaculo urbis admoveretur, disputãdo examinaret leges ne Reipub. bonæ essent an pravæ; nec omnino, quænam inde inconvenientia sequi possent, inquireret; sed suum illis judicium simpliciter subjiceret, easque velut donum deorum intueretur: satis autem ad eas ceu æquissimas admittendas, esse debere, quod à majoribus illæ ac prædecessoribus latæ essent: &, si

decreta ac jussa Superiorum ne examinum.

quis è senioribus aliquid in iis, quod ob mutatam temporum ac morum rationem minùs placeret, inveniret, non id coram junioribus proponeret; sed ad seniores, qui remp. regebant, referret, ut viderent hi quid factu consentaneum foret, ne qua hoc pacto junioribus legum contemnendarum, minorisque faciendarum, magno haud dubiè cum reip. detrimento, occasio daretur. Si gentiles illi Philosophi tanto leges à majoribus latas in honore & reverentia haberi volebunt, hocque adeò ipsis necessarium videbatur; longè sanè erit æquius, eandem nos Christianos & Religiosos erga Prælatorum nostrorum spiritualium decreta, jussa, ac præcepta reverentiam & venerationem exhibere, cùm non solùm in ratione naturali, sicut illorum philosophorum, sed in fidei luce & gratia Evangelica fundata sint. S.P.N. in aurea illa, quam de obedientia conscripsit, Epistola plurib. aperteque demonstrat, nisi isthæc judicii obedientia interveniat, fieri planè non posse, ut voluntatis obedientia & operis executio talis sit, qualis oportet: ubi & varia damna & inconvenientia, ex huius obedientiæ defectu sequi solita enumerat.

Caput VI.

De Obedientia cæca.

Lib. 5. c. 4. vita eius. Duplex vitæ Christianæ

1. IDem S.P. Ignatius dicere solebat, quemadmodum duas in Ecclesia militante Deus hominibus ad salutem consequendam vias aperuit, unam quidam communem & vulgatam, quæ est ipsa divinorum mandatorum observatio: alteram verò, quæ ad priorem illam insuper Evangelica addit consilia (Religiosorum hæc propria est:) pari modò in hac ipsa Religione duo esse obedientiæ genera: quorum alterum minus perfectum & commune, alterum perfectum & omnibus numeris absolutum sit, in quo ipsa obedientiæ vis, & perfecta Religiosi virtus maximè eluceat.

perfectio, ex mandatis & consiliis: duplex item vitæ Religiosæ ex obedientia dispari.

3.p. Constit. c. 1. §. 23. & p. 6. c. 1. §. 1. litt. B. & in Epist. de obedient.

2. Imperfectam obedientiam, oculos habere sed in perniciem suam: perfectam cæcam esse; & in hac cæcitate magnam cõsistere sapientiam. Priorem in eo quod imperatur, judicio uti; posteriorem minimè. Illam magis in alterutram partem inclinare, hanc in neutram: quia semper in medio, sicut libræ æquamentum, recta consistit ad omnia quæcunque injungentur, æqualiter disposita & præparata. Priorem obedire opere, sed corde reluctari, itaque nomen obedientiæ non promereri; posteriorem & jussa exequi, & Superioris voluntati ac judicio suum submittere, admittendo ut bonum quidquid à majoribus & præpositis decretum ac statutum est: nullas item quibus ad obediendum emoveatur, rationes conquirere, quin &, si quæ occurrant, neutiquam iis acquiescere, sed hoc duntaxat, intuitu imperata arripere, quod hoc obedientia sua requirat.

Comparatio utriusque obedientiæ.

Quid sit obedientia illa cæca.

Lib. 4 de institut. renunt. c. 10. 24. 25. 26. 41. & lib. 12. de spirit. super. c. 32. & collat. 18. c. 3. & collat. 2. c. 10. Climac. Grad. 4. initio. In constit. Monast. c. 18. Ioa. 21. 17.

3. Hæc sc. est obedientia cæca, tantopere & à sanctis viris usurpata, & à sanctis Patribus, ac vitæ spiritualis magi-

Quomodo obedientia perfecta

[*ſima dicatur cæca.*] magiſtris, commendata. Dicitur verò *cæca*, non quod qualibet in re, quæ mandari nobis poſſet, ſive peccatum ea ſit, ſive non, temerè & indiſcretè ſit obediendum (inſignis enim id error foret: uti expreſſè S.P.N. in conſtitutionibus declarat.) Verùm ideo cæca nominatur, quod omnibus in rebus, in quib. manifeſtè peccatum contineri non apparebit, ſimpliciter, ſincerè, rotundè, nec ullas præcepti rationes, inquirendo indagandoque nos oporteat obedire: præſupponendo, id quod mandatur, & ſanctum eſſe, & divinæ voluntati conforme: & unam hanc rationem inſtar omnium ducendo, quòd ab obedientia ſive à Superiore mihi aliquid, quod non apparet eſſe à Deo prohibitum, præſcribatur. [*3.p. Conſtit. c.1. §.13. & p. 6. c.1. §.1. litt. B. & in Epiſt. de obedient.*]

4. Vnde obedientiam hanc Caſſianus vocat *ſine diſcußione*, *ſine examine*: quia tibi minimè diſquirendum, diſputandum, diſcutiendum, examinandum eſt: *cur? ad quid?* ſed ſimpliciter maiorum juſſis parendũ. Et S. Climacus ſic eam definit: *Obedientia eſt inexaminatus atque indiſcuſſus motus, ſpontanea mors, vita curioſitate carens, diſcretionis depoſitio inter divitias diſcretionis.* S. Baſilius, declarans quo modo Redemptor Chriſtus, ſuas Petro Apoſtolo, & in eo omnibus Superioribus, oves paſcendas commiſerit, addit. Quemadmodum oves ſuo paſtori obediunt, & quocumque eas ipſe duxerit, eò haud invitæ ſequuntur: ita Religioſus Superiori ſuo obſequi, &, qua ille ducere via voluerit, magna cum ſinceritate & ſimplicitate, ſicut bona & obſequens ovicula, incedere debet, juſſa eius non diſcutiendo, nec in ipſa curioſius inquirendo. [*Quid ſit obedientia illa cæca. Lib. 4 de inſtitut. renunt. c. 10. 24. 25. 26. 41. & lib. 12. de ſpirit. ſuper. c. 32. & collat. 18. c. 3. & collat. 2. c. 10. Climac. Grad. 4. initio. In conſtit. Monaſt. c. 18. Ioa. 21. 17.*]

5. S. Bernardus de cæca hac obedientia nullo non loco egregiè diſſerit, eamque ſolam perfectam eſſe obedientiam ait. *Perfecta*, inquit, *obedientia eſt (maximè in incipiente) indiſcreta: hoc eſt, non diſcernere quid vel quare præcipiatur. ſed ad hoc tantum niti, ut cæcis oculis fideliter & humiliter fiat quod à maiore præcipitur.* Et S. Greg. *Vera obedientia nec præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit: quia qui omne vitæ ſuæ judicium majori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, operatur: neſcit enim judicare, quiſquis perfectè didicerit obedire: quia hoc tantum bonum putat, ſi præceptis obediat.* [Encomia illius. *Tract. de vita ſolit. ad fratr. de monte Dei & de ord. vitæ & morũ inſtit. col. 12. Greg. ſup. li. 2. Reg. c. 4.*]

6. Caro, prò dolor, primis noſtris parentibus ſtetit, quòd præcepti à Deo lati rationem inquirere & examinare voluerint: hac namque rima in ipſos gliſcens diabolus, eos proſtravit, hocque primum omnis, tum ipſorum, tum noſtri mali fuit principium. Petit ergo ab iis diabolus, *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradiſi?* cui reſpondit Eva, *Ne fortè moriamur.* Expreſſè & categoricè illis dixerat Deus: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et, ecce, Eva præceptum hoc in dubium revocat, arbitrata, hanc Dei ſententiam, non abſolutam, ſed tantùm comminatoriam fore. Quod manifeſta fuit ad deceptionem & fraudem (quæ etiam ſecuta eſt) inducendam diſpoſitio. Vnde dæmon, arrepta occaſione; Ne- [Diſcuſſio præcepti Superioris, rima qua Sathanas ſe ſinuavit primis parentibus. *Gen. 3. 1. Gen. 2. 17.*]

quaquam, ait, *morte moriemini, sed eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*: nam idcirco tantùm vetuit Deus, ne ex eo comederetis, ne illi scientia pares essetis. Eva ergo sinit se ab appetitu ascendendi, gradusque majoris quam in quo constituta erat, obtinendi, transversum abripi, comedit, & pariter Adamum ad comedendum induxit. Præcepti ergo caussam indagarunt & discusserunt, ideò comederunt facti inobedientes & mox de paradiso ejecti sunt, ac morte primum spirituali, deinde & corporali mulctati.

Eadem ximâ ad nos intrare pertentat.

7. Quoniam verò dæmoni optimè hac via res sua cessit, ac luculentam per hoc stratagema victoriam consecutus est; hinc sæpenumerò & nos hac ipsa via adoritur. Quare nos præmunit, & hac in parte nobis ut caveamus commonet Apostolus, dicens: *Timeo autem, ne, sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo.* Cave ergo tibi à serpente, vide ne per caput eum apprehendas, quia indubiè te commordebit; sed quæcunque tibi imperantur, sine ulla discussione, indagine, examine, *cur? quamobrem? & ad quid ita hæc mandentur*, exequere: itaque obedientia tibi futura est velut agendorum norma.

2. Cor. 11. 3

Epist. ad fratres de mõte Dei Collat. 6. Inchoantibus maxime opus est

8. In principio, inquit Bernardus, permagni refert, ut hoc modo quis obedire consuescat, cæcè inquam, & sine ulla jussi discretione: *Nam novitium prudentem, incipientem sapientem, omniaque indagantem in cella diu posse consistere, in congregatione durare* (moraliter loquendo) *impossibile est*. Quid ergo ei facto opus? quomodo se hic geret? *Stultus fiat, ut sit sapiens. Et hæc omnis sit eius discretio, ut in hoc nulla ei sit discretio: & hæc omnis sapientia eius sit, ut in hac parte nulla ei sit.* Nam discernere & rationes disquirere, *Quare, & quo fine* id ita fieri oporteat, Superioris proprium est; boni verò subditi partes sunt, quidquid Præpositus jubebit, magna cum humilitate, simplicitate & fiducia amplecti, &, ut loquitur sanctus ille doctor, *Discernere Superioris est, subditorum est obedire.*

cæca obedientia. Rõ. 4. 18.

Exemplum cæcæ obedientiæ Abrahami. Gen. 15. & 17.

9. Egregiè adhoc propositum ponderat ac exaggerat Apostolus cæcam Abrahæ Patriarchæ in filio Isaac immolando obedientiam. Promiserat illi de cœlo Deus, se semen illius multiplicaturum, sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris, multarum gentium patrem eum cõstituendo: alium verò, in quo promissio hæc compleri posset, quam hunc ipsum Isaac, filium non habebat, nec plures generandi spes ulla affulgebat (cum jam tam ipse quam uxor Sara effœti essent:) &, esto plurium habendorum aliqua spes fuisset; tamen nonnisi in hoc Isaac promissionem hanc implendam dixerat Deus, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Nihilominus Abraham jubente Deo ut unicum hunc, & ita dilectum ac earum, Isaac sibi immolaret, adeò in obedientia non hæsitat, nec de divini promissi adimpletione dubitat, ut cæca quadam obedientia actus, divinum opere ipso mandatum adimplere inciperet, jamque ensem ad eum

Gen. 21. 12

cæca obedientia. Rõ. 4. 18.

eum jugulandum stringeret, scil. *contra spem* naturalem, *in spem credidit* supernaturalem, *ut fieret pater multarum gentium*: & spes supernaturalis, naturalem in eo vicit diffidentiam, quam videbant oculi. Videbant enim se orbandum filio, si eum immolaret. Adeò tamen de divina pollicitatione non diffidebat, aut ambigebat, ut eam quam certissimò confideret reipsa adimplendam, vel ipso filio pòst a mortuis excitato, vel alio quopiam modo, quem ipse nec sciret, nec intelligeret. *Non hæsitavit* (inquit Apostolus) *diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenißimè sciens, quia quacunque promisit, potens est & facere.*

Exemplum cæcæ obedientiæ Abrahami. Gen. 15. & 17.

Grandis merces obedientiæ cæcæ Abrahami. Gen. 22. 16.

10. Tantopere porro Deo istæc eius obedientia placuit, ut protinus illi promittat, Christum Messiam è stirpe eius nasciturum, & hac ratione fore, ut semen illius sicut stellæ cœli multiplicaretur: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus: Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & velut arenam quæ est in littore maris: poßidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Vide, inquit Hieronymus, quàm Deo. Opt. Max. cæca Abrahæ obedientia grata exstiterit, cum tam amplè largiterque eam remuneretur: *Cùm unico non parcit Abraham in terris, stellas pro filiis annumerare jubetur in cœlis*, atque sic generationem suam audit multiplicandam.

Gen. 22. 18. *Epist. de vera circumcis.*

Cæca obedientia antiquis patribus perquam familiaris.

11. Hinc tanti cæcam hanc obedientiam veteres illi patres fecerunt, tam sæpe eam usurparunt, & identidem exercuerunt; & illustrium hac de re exemplorum plenos habemus libros, & horum pleraque etiam miraculis sunt confirmata; ut noverimus nimirum, quantopere hæc obediendi ratio Altissimo placeat.

6. p. const. c. 1. §. 1. reg. 36. summarii.

Obediẽtiam professus cadaveri similis sit, oportet, ex S. Ignatii mente.

12. S. P. N. communem hanc Sanctorum doctrinam secutus, binis similitudinibus, iisq; accommodis & fructuosis, eam nobis declarat, *Quisque*, inquit, *sibi persuadeat, quòd qui sub obedientia vivunt, se ferri ac regi à divina providentia per Superiores suos, sinere debent, perinde ac si cadaver essent, quod quoquo versus ferri, & quacunque ratione tractare se sinit.* Quam comparationem etiam usurpabat S Franciscus, eamque identidem apud fratres suas repetebat, dicens: *Mortui jam sumus mundo, & omnibus quæ mundi sunt*; juxta illud Apostoli: *Mortui enim estis & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Hoc utique propriè est, Religiosum esse, mortuum scilicet esse mundo. *Coloss. 3. 3.*

Religionem ingredi est civiliter mori.

13. Atque B. P. N. Symbolum cæcè obedientis exacte cõvenit, cum eo quo in Iure canonico tenetur dogmate, quo alteri solet, quod ingressus in Religionem *mors civilis* vulgò appelletur: jure igitur velut mortuos nos existimamus, qui de sæculari & libertina vita, pro salutis æternæ adeptione ad religionem confugimus, & non nostram sed aliorum voluntatem sequi profitemur.

Quid debeat professus o-

14. Inde porro colligas, quempiam mortuum esse, quòd non videat,

…bedien-
…tiam.

deat, non respondeat, non sentiat, non denique conqueratur: ita nec nos oculos habeamus ad videndum ac discernendum ea quæ Superiore imperantur; non item replicemus, vel obmurmeremus adversum eius jussa; non denique expostulemus, vel indignemur, si quando quid sensualitati repugnans injungitur. Atque ut corpori mortuo datur & conquiritur quod vilissimum est, nec non ei involvendo & obtegendo linteum veterrimum ac tritissimum: ita persuadere sibi quisque debet, id quod domi est tam in victu & vestitu, quàm in cubiculo ac reliquis commoditatibus pessimum, sibi præ aliis dandum. Vnde qui ad hanc insensibilitatem nondum pervenit, sed aliquam contrà hîc repugnantiam sentit, nec verè mortuus, nec plenè mortificatus est.

Aliud Symbolum cæcæ obedientiæ cum senis scipione ex eodem.

15. Vult præterea S.P.N. ut ita nos à divina providentia per Superiorem conduci, ferri ac dirigi sinamus, ut *senis baculus, qui ubicunque, & quæcunque in re velit eo uti, qui eum manutenet, ei inservit.* Quare sicut scipio eò sequitur, quocunque fertur; & quo in loco ponitur, in eo poni se sinit, nullumq; à seipso motum habet, sed omnẽ quem habet, à dirigente accipit: ita Religiosus propriũ habere motũ non debet, sed à Superiore se regi ac gubernari sinere: quocunque conducetur, eò sequi, quemcunque ad locum rapietur, in illo conquiescere, tam in luto quàm area munda, tam in loco alto, quàm humili, sine ulla prorsus repugnantia & obluctatione debet. Si aliquam tibi baculus, qui usui & alleviamento in eundo esse debet, resistentiam faceret, nec eò quò eum conducere cuperes, sequi, sed aliorsum ferri vellet; non tam solatio tibi & opi foret, quàm impedimento & remoræ, eumque à te abjiceres. Pari modo si, cùm opera uti tua Superior vult, ac tali te loco, officio & functioni applicare; illi obluctaris, sequi detractes, ac motui eius contrarium, tam in operis executione, quam voluntate, & judicio, motum habeas; tantum abest, ut ei solatio & auxilio sis, ut impedimento potiùs sis & oneri futurus, multumque negotium facessiturus: unde te ceu grave onus à se excutere, procul amovere, & alio quôpiam destinare cupiet, atque de domo in domum, pilæ in morem, commigrare faciet: quia bonus non es baculus, nec quomodocunque voluerit, opera tua uti, & adhibere te potest. Recreationis causa quis etiam baculum secum sumit, ut, cum eum in manu habeat, quocunque voluerit, de eo faciat, & prout voluerit eum verset & reverset: talis oportet sit Religiosus, ut volupe sit eum in manu habere, ei quidvis demandare, deque eo superior disponat prout voluerit, atque eo non secus glorietur, quàm militibus suis centurio Evangelicus, de quibus ait: *Habeo sub me milites, & dico huic, Vade; & vadit: & alii, Veni, & venit; & servo meo, fac hoc, & facit.* Matt. 8. 9.

16. Aliam rei huic declarandæ similitudinem, eamque elegantem, adfert S. Basilius. *Sicut,* inquit, *faber murarius, aut alius quicunque artifex,* In consil. monast. c. 23. & 28. Religiosus simi-

artis

lis fit inſtrumento artificis. *artis ſuæ inſtrumentis pro libitu, ac quomodocunque voluerit, utitur; & ſicut nullum unquam exſtitit inſtrumentum, quod non admodum facilè & ductibiliter artifici ſuo obedierit ad quemcumque uſum ille voluiſſet: Ita Religioſus utile in Religione eſſe inſtrumentum procuret, ut eo Superior, prout ad ædificium ſpirituale expedire judicaverit, utatur; nec ullatenus obſiſtat vel impediat, quod de ſe Præpoſitus facere ac ſtatuere voluerit. Præterea, ſicut inſtrumentum delectum non facit earum rerum, in quibus ſervire, & operam ſuam præſtare velit: ita nec Religioſus facere debet; ſed artificis, id eſt Superioris, judicio & arbitrio ſe totum committere.* Et paulò inferiùs hanc ipſam ſimilitudinem proſequens, addit. *Sicut inſtrumentum abſente artifice minimè movetur, eò quòd nullum à ſeipſo motum habeat, ſed eum tantùm, quem operarius illi imprimit & communicat: ſic nullum ſine Superioris præſcripto & decreto Religioſus motum debet facere, nullum negotium ſuſcipere, nullum ne in minimis ac minutiſſimis quidem rebus, ac ne ad punctum quidem temporis, ſui ipſius Dominium vendicare; ſed ſemper, & omnibus in rebus, à Superiore moveri ac gubernari ſe ſinat.* Hæc eſt forma & exemplar obedientiæ ejus, quam S. ille Doctor in Religione exigit.

P. Antonius Anazius. Subdito injuriã facit Superior, mandati sui rationem reddendo.

17. Gravem in Societate noſtra Patrem, quique multo in ea tempore Superiorem egerat, dixiſſe, commemini, ſe quindecim illis quibus in ea vixerat annis, non putaſſe, aliquam ullius rei à Superiori injunctæ, ſubdito dari rationem oportere: imò injuriam non parvam ſe ſubdito facturum credebat, ſi mandati juſſive ſui ei rationem redderet. Omnes enim tanta tunc cum ſimplicitate & ſui reſignatione procedebãt, nullus ut ſuper rebus à Superiore injunctis inquireret, aut eas excuteret: ſed cognito, eas ab illo præceptas eſſe, ſuum ilico judicium omnes ſubjiciebant, inferentes: Ergo bonum id eſt: Ergo id maximè expedit: Ergo Superior noverit, cur id imperet.

18. Hanc noſtrum eſt, ſinceritatem à majoribus acceptam, ad poſteros perpetuando traducere: in quo ſeniores & antiquiores junioribus præeminere & exemplo prælucere debent: non autem cedere ac ſibi perſuadere, quod annis ſuperent, ideò ſibi plus facultatis eſſe ad ſuperiorum juſſa imperiaque excutienda & dijudicanda. A majoribus & ſenioribus cœcam obedientiæ juniores capiant.

19. S. P. Ignatius cùm Societatis hujus Præpoſitũ Generalẽ ageret, ſæpiùs eum legimus dixiſſe, ſe, ſi Pontifex Rom. injũgeret, ut in portu Oſtienſi (qui haud procul Roma diſtat,) primũ, quod reperiret, navigiũ conſcenderet, & ſine malo, ſine gubernaculo, ſine velo, ſine remis, ſine ullis ad navigandũ neceſſariis inſtrumentis, ac cõmeatu, mari ſe cõmitteret; haud illubẽter obſecuturũ, & juſſa nõ modò magna cum animi pace, verùm etiã gaudio & voluptate facturũ. Quibus auditis, cùm vir quidam primarius admirans diceret, Ec quænã hæc diſcretio & prudentia foret? Reſpondit vir humilis. Prudentia, Domine, nõ tam in eo qui juſſa exequitur & paret, quàm in eo qui hujuſmodi quid jubet exigitur. *Lib. 5. c. 4 vitæ.* S. Ignatii mira ad cæce obtemperandi promptitudo.

CAPUT VII.

De obedientia, quam in rebus spiritualibus nos præferre oportet.

Judicii obedientia in rebus spiritualib⁹ etiam necessaria est.

1. NOn solũ in iis quæ carni & sanguini, cõformia videntur, verum in & istis quæ ei repugnant, & ex se admodum spiritualia & sancta sunt, judicium opinionemque nostram subjicere ac resignare debemus. Nemo ergo fas sibi esse putet, in id genus rebus à Superioris judicio voluntateque desciscere; cùm in illis hæc judicii obedientia longè magis requiratur. Nam quoniam res spirituales ita eminentes, & altæ sunt; hinc erit in iis majus, nisi ductorem aliquem certum sequamur, lapsus periculum & ruina damnosior.

Collat. 2. Abb. Moysis. c. 11.

Monachi religiosi, judicii sui pertinaces, fallaciis dęmonis obnoxii.

2. Usque eò autem hoc verum est, ut teste Cassiano, cacodæmon nullo monachum vitio sæpiùs ac magis in perditionis pręcipitium deturbet, quàm dum illi persuadet, ut, despectis majorum seniorumque consiliis, proprio judicio, resolutione ac scientia nitatur.

Eempla. *Cassian. ubi sup. c. 5. & seqq. Climacus gradu 4.*

3. Qui (uti & Climacus) nõ pauca adferunt exempla Monachorum, qui cum in rebus spiritus admodum provecti essent, orationique deditissimi, & jam annos plurimos haberent; quod proprio judicio nimiopere niderent, & juxta illud dirigere scipsi ac conducere vellent, à Diabolo turpiter decepti & illusi sunt. Vnum quidem induxit, ut proprium filium (qui in eodem cum patre cœnobio vivebat) immolare moliretur, secundum Abrahamum illum futurum persuadens: qui etiam re ipsa id esset executus, nisi puer, cultrum exacui, & funes ad se vinciendum parari videns, rem subodoratus effugisset. Alteri auctor fuit, ut se de rupe præcipitem daret, persuadens illum hoc pacto Martyrem fore, itaque mox recta cælos ingressurum.

Tertium exemplũ

4. Heron. Monachus (ut scribit Cassianus) tantus solitudinis & jejunii cultor erat, ut etiam in solemnitate paschali, cùm ceteri Monachi in ecclesiam convenientes aliquam recreationem capiebant; & paulò plus solito comedebant; sua is cella egredi, ac solemne jejunium, herbis saltem quibusdam in obsonium additis, violare nollet, nam ordinaria ejus refectio solus panis erat & frigida, & quidem quàm parcissimè sumpta Vnde quædam paulatim suppullulare cœpit in eo superbia, ac tanta de proprio judicio præfidentia, ut, jam ei persuaderet satanas, ad tantam eum sanctimoniam pervenisse, nullum ut in hac vita ei periculum magnopere esset metuendum, ac licet in puteum quempiam se deturbaret, nullum inde damnum acciperet; sed Angeli manibus suppositis, à ruina & malo eum tuerentur. Vnde nocte intempesta se in profundissimum puteum, virtutis suæ & ingentium meritorum periculum facturus, præcipitem dedit: sed ita graviter hîc se læsit, ut triduo pòst animam exhalarit. Accurrentes autem ilicò, clamore exciti, monachi semianimem è puteo Heronem magno cum labore eduxerunt. Qui licèt ad oculum videret, quòd

quòd esset à lapsu damnum passus, omnesque ei ut resipisceret, persuadere satagerent; nunquam tamen induci potuit, ut crederet diabolicā hanc illusionem & fraudem fuisse: itaque infelix pervicacem animam efflavit. Vt hinc colligamus, quàm periculosum sit ac damnosum, proprio hominem judicio fidere, nec ei, cui debet, se subjicere ac credere: etsi alioquin multos in Religione annos egerit, & in spiritu sit exercitatissimus.

Tertium exemplū

Sibi credens, sibi dæmon & tentator est.

5. Vnde scitè sanctus quidam vir, & non sine ratione, dixit, eum qui sibi ipsi plus æquo credit, dæmone, à quo tentetur, opus non habere, propterea quod ipse sibi diabolus & tentator sit.

Hom. 7. sup. epist. 1. ad Corinth.

Tiro docibilis veterano sibi præfidente, securior est.

6. Docet Chrysost. eum qui proprio judicio confidit, quamvis magnos in spiritu profectus fecerit, in majori errandi labendique periculo versari, quàm nuperrimum tironem, qui se ab alio conduci gubernarique sinit. Primum similem esse ait nautæ, qui propriæ fidens industriæ ac peritiæ; in exarmata quadam navi, sine remis ac velis mari procelloso se committeret: secundum verò ei, qui in nautica re minimè versatus, peritissimo nauclero se crederet, à quo in navi instructissima transmitteretur.

Quicquid facit non consciente Superiore suo religiosus furtū est & Sacrilegium.

7. Nemo ergo se decipiat, fas sibi esse existimans, in rebus spiritualibus (putà jejuniis, orationibus & mortificationibus) à Superioris præscripto deviare, ac proprium judicium & opinionem sequi. Nam, (ut benè notat Cassianus) *unum & idem inobedientiæ genus est, Superioris mandatum tam desiderio laborandi, quam desiderio pigritandi otiandique transgredi.* Et S. Basilius ait: *Hoc apud te constanter teneto, ut nihil omnino quidquam præter Superioris sententiam facias*: quia non jam tuus es, sed Religionis: *hinc quidquid eo insciente facis, id furtum & sacrilegium est*: quia versatur circa rem Deo dedicatam & consecratam: *tibique exitium, non autem utilitatem aliquam apportat, esto tu id bonum judices.* Et bonam rei hujus dat rationem: *Nam, inquit, si bonum est; quid ita clam fit, ac non in aperto?*

Collat. 4. Abbat. Dā. c. 20.

Serm. seu exhort ad vitā monast.

8. Non minùs sanè, bonum & utilitatem tuam quærit Superior, quam tu ipse. Quare id illi declara, & ad hoc tibi facultatem dabit, itaque id cum benedictione, & magna tuarum utilitate tua facies. Taliter autem id facere noli, ut non modò non prosit, verum etiam tibi obsit. Vide, ne dicatur tibi illud Isaiæ, *Ne offeratis ultra sacrificium frustra*; cur vis incassum te fatigare & cruciare.

Non est rationabilis causa occultandi sua in religioso.

Isa. 1. 13.

9. Quare benè S. Gregor. & Bernardus docent, etsi malum nunquam jubendum sit, & in mandato peccaminoso manifestum sit, subditum nō debere obedire; quod tamen bonum fieri Superior prohibet, ipsum minimè faciendum esse. Arbor paradisi, ex qua primos nostros parentes comedere Deus inhibuit, mala nō erat, sed bona: ut tamen per obedientiam hāc plus promereri, suamque hoc pacto subjectionem, & cultum obsequiumque, quod Deo debebant, testari possent, eam Deus illis voluit interdicere, ac inhibere ne de fructu illius gustarent quem licitè sanctèque alio-

Lib. 35. Mor. c. 13.

* De ord. vita & morum instit. c. 1.

Etsi præcepta à Domino non sint omittenda jussu superioris, sæpe tamē cōsilia quędam, seu libera bona.

quin comedere possent, ni id divino mandato fieri prohibitum esset.

Vt subditorum obedientiam explorent Superiores, nonnunquã bona prohibent.

10. Eodem modo & Superiores interdum prohibent ea quæ ex se sunt bona; vel quòd ita fieri subdito tunc quidem expediat, vel ad eius virtutem & obedientiam explorandam. Addit his Basilius (quod notatu dignissimum) veram & perfectam subditi obedientiam non tam colligi ex eo, quòd à malo caveat, quàm in omittendo eo quod ex se bonum ac sanctum est, Superiore id omitti jubente. Cuius rei ratio est, quòd malum, etiamsi à Superiore non inhibitum esset, omittendum nihilominus erat, eò quod malum sit: at quod ex se bonum ac sanctum est, ideo solùm omittendum, quòd ita Superior mandet. Itaque obedientiæ virtus magis elucescit: hæc enim nisi impediret, nulla eius omittendi ratio futura videtur.

Serm. de institut. Monach. & serm. I. exercit. ad pietatem.

In omissione boni magis viget obedientia, quam in omissione mali.

11. Contra verò, dum quis se in rebus spiritualibus, quæque ex se bonæ & sanctæ sunt, planè non resignat ac submittit, suam propriam voluntatem & duritiem cordis magis ostendit: aliis enim rebus quædam inest delectatio & sensualitas, qua illectus homo silentium, modestiam, temperantiam, aliaque id genus Superiorum decreta transgreditur: at in his, quæ carni & sensualitati repugnant, nulla alia est delectatio, quàm quòd propriam in his voluntatem ac privatum judicium sequatur: quare nihil hoc aliud est, quam mera inobedientia, & pervicax pertinacia. Inde fit, ut unde quis Deo magis placere, & quoddam supererogationis & perfectionis opus se facere existimat, inde magis cùm Deo, tum Superioribus displiceat.

Inobediens Religiosus est equo infræni similis.

12. Liberet te Deus ab equo duri oris ac refractario solet adagio dici, hic enim, quoniam frænum non sentit, nec ei obsequitur, fertur periculose quocumque fert impetus: unde cum minus cogitabis, te muro scabroso allidet, vel in præcipitium se tecum deturbabit. bonus verò equus est qui ore molli est, ut in admittendo fræno facilem se præbeat, & gubernari regique se sinat: ita & Religiosus tractabili ac blando sit judicio, ut obedientiæ frænum haud invitus admittat, facileque se ex una parte in aliam mutari flectique patiatur.

Exemplũ mitis judicii.

Evagrius Epiphan. lib. 1. c. 13. & Theodor. ut testis oculatis & refertur in 7. Synodo generali. Baron. Anno Domini 432.

13. Simeon Stilites (ut in Ecclesiastica historia refertur) austerissimam in quadragenûm cubitorum columna, perpetuò stando vitam agebat: nam in hieme intensissimum patiebatur frigus, in æstate ardentissimis torrebatur æstibus; itaque corpus suum abstinentia & severitate edomabat, ut dubitarent nonnulli, verené homo esset: quod homo mortalis facere & pati non posse videbatur id, quod Simeonem in columna & facere & pati videbant præsertim, quod quotannis quadragesimalis jejunii tempore, nihil prorsus comedere vel bibere videbatur. Cum ergo sancti illi eremi cultores insolens hoc & novum vitæ genus in Simeone summopere mirarentur, inter se congregatione facta, deliberarunt quid hîc fieri oporteret. Decreverunt igitur, omnium nomine in hanc ferè senten-

sententiam legationem: *Et quod hoc novum & inusitatum vitæ tuæ genus? quid sibi vult, quod ipse, communi & tritâ sanctorum Patrum viâ relictâ, tam peregrinam & insolitam ineas, quam ante te Patrum nemo usurpavit? Patres in congregatione collecti tibi unanimes præcipiunt, ut illico de columna descendas, & communem ac tritam, quam cæteri monachi sequuntur, viam sequare, ipsasq; novitates relinquas.* Interim nuntius in mandatis habebat, ut, si, hoc nuntio accepto, Simeon ad jussis obediendum, & promptè hilariterque se ad descendendum è columna disponeret; facultatem illi faceret in ea manendi, & in hoc tam novo quam rigido vitæ genere perseverandi: illius namque obedientiam sufficiens tum testimonium fore, hanc viam bonam esse: at, si obluctaretur, ac descendere & obedire nollet, vi illum descendere & inde abscedere compelleret. Abit ergo ad Simeonem nuntius hic monitis instructus: qui vixdum Patrum jussum, ut descenderet, declararat, cum ecce pedem Simeon sustollit, ut descendat, & fratribus obtemperet. Tum legatus alterum legationis suæ caput aperiens ait: *Bono animo esto, frater, & strenuè rem gere: in hoc tuo vitæ genere, Deo juvante, persevera: statio tua à Deo est instituta. Vti etiam Patribus illis visum fuit.* Notanda autem hîc inprimis, hinc quidem magna & mira sancti huius viri in re tam bona (quam ipsemet à Deo esse noverat) obedientia ac judicii resignatio: illinc verò, quanti hanc omnes illi Patres obedientiam & resignationem fecerint, cùm ex ea sola sufficienter colligi posse censuerint, hunc Simeonis spiritum à Deo esse; eum condemnatur, & ut pravum abjudicaturi, si Superiori se minimè subjecisset & resignasset.

14. Signum hoc apprimè bonum est, ipsumque ut plurimum à Confessariis ac spiritus magistris, multis in rebus usurpatur, ad dignoscendum, num à bono eæ spiritu ortum habeant, an secùs, v.g. ardentem pœnitens in se affectum sentit ad frequentiùs communicandum; Confessarius autem dissuadet, ne tam sæpè sacras illas epulas ineat. Vellet alius rigida intolerabilique in membra sua sævire severitate, iterata suscipere jejunia, flagris sæpè carnem atterere, cilicia crebrò gestare: alius, humi cubare; alius, longas inire vigilias, & alia eius generis suscipere. Bonum profectò & laudabile cum primis est, ipsum gravis pœnitentiæ & mortificationis suscipiendæ desiderium, atque in duobus extremis, semper minùs suspectum est, in partem sibi adversam, quam favorabilem inclinare; semper quippe amoris proprii natura timenda est, & ut suspecta habenda. Cæterùm nihil in omnibus his rebus melius & minùs suspiciosum est, quàm Superiori & Confessario: omnium quæ facis & facere cupis, rationem dare, &, quod ille faciendum omittendumve decrevit, ipsum ex animo sequi. Hac enim ratione, magis Deo placebis plusque promereberis.

Obediẽtia spirituum Lydius lapis est.

15. Estque hæc Theologia, utpote optima & certissima, maximè notan-

Obediẽs superiori corporis

afflictationes vetanti, meritum duplicat. notanda. Habet, v.g. quis efficax pœnitentias aliquas vel mortificationes suscipiendi desiderium, & superiori suo huius rationem reddit: cui decernenti ut talia opera omittantur, si obediet; nonmodò illorum valorem ac meritum non deperdet, sed adauget etiam & duplicat. Ex una enim parte horum operum pœnitentiarumque valorem & meritum, ob efficacem qua eorum faciendorum voluntatem habebat; ex alia verò ipsum obedientiæ valorem & meritum, dum ea, ita Superiore jubente, facere omittit, lucratur. Fit quoque interdum, ut istuc meritum maius sit primo, ob maiorem voluntatis judiciique abnegationem ac resignationem, non faciendo id quod tantopere facere desiderabat, quò obediat, & Dei voluntatem à Superiore declaratam exequatur. Hanc adeò Theologiam cœlitus edocta fuit sancta Brigitta. Cùm enim pia hæc mulier erga austeritates vitæq; asperitatem mirè afficeretur, Pater spiritualis (cui animam ipse suam regendam commiserat) quodam tempore hæc illi interdixit, quòd interesset valetudinis eius: Ipsa quamlibet morem gereret, aliquantulum tamen obluctata est, quòd timebat, ne quod per has inducias in virtutis exercitio anima detrimentum caperet. Sed sacratissima cœli Regina apparens ei dixit: *Ecce filia, si duo, è privata devotione, jejunare instituant, & horum unus (qui sui juris est) etiam de facto jejunet, tantum unam is ideo mercedem recipit: alius autem (qui sub alterius potestate est) Superiore jubente non jejunet, duplici donabitur; prima quidem, pro bona jejunandi voluntate, altera verò, quod voluntatem abnegarit, & Superiori obedierit.*

Lib. 4. Revelat. S. Brigittæ cap. 26.

16. Quid? quòd hunc obedientiæ & resignationis modum etiam Philosophi Gentiles agnoverunt, & magni fecerunt. Refert enim Plutarchus, Agesilaum celeberrimum Lacedæmoniorum ducem, cùm bellis contra patriæ hostes susceptis jam implicatus esset, magnisque victoriis relatis egregiè rem gereret, à Republica acceptis literis, quibus domum re non perfacta revocabatur, è medio honorum cursu, & hostibus propè deletis, mox, expeditione intermissa, domum rediisse. Addit autem Plutarchus, maiorem eum hoc ex facto, quàm ceteris toto vitæ tempore gestis, honorem sibi & famam comparasse.

Obedientia cæca in homine Gentili. *In vita Agesilai.*

17. Sed alienis peregrinisque exemplis commemorandis supersedeamus, cùm abundantius habeamus propria & domestica. Quis non miretur magnam illam S. Francisci Xaverii (quem virum non immeritò S. P. N. Ignatius magni faciebat) obedientiam! nam etsi hic Novi cuiusdam Mundi conversionem, & sub Christi jugum subactionem, jam velut in manibus haberet; non dubitabat S. P. N, quin hic Romam una tantum litterula, quam is in ima epistola juxta subscriptionem addiderat, scilicet I. vocatus, statim ingentem illam expeditionem intermitteret, & ex ultimo penè Oriente advolaret. Et sanè ipsum fecisset, nisi antequam epistola ad eum veniret, jam in cœlos,

Lib. 6. c. 1. vitæ.

Maxima S. Xaverii obedientia.

cœlos, laborum suorum præmium percepturus, abiisset.

Caput VIII.

In quo quod dictum est, hactenus exemplis confirmatur.

I. Exempl. In vitis Patrum, lib. de humil. p. 651. in nova edit.

1. Abbas Nestero, quo primùm die Religioni innuit, ita apud se statuit, *Ego & asinus unum sumus, posthac esse debeo sicut ille, quidquid ei imponitur, hoc portat & sine mora quidem, non petens*, Quare aut quem ad finem? parum id vel multum sit, neutiquam obsistit, nec secùs sentit: si fustigetur, non prorumpit in contumelias, neu propterea minùs laborat; &, quòd animal humile & contemptibile sit, ab omnibus vilipenditur & pauxillo stramine sustentatur. Adhæc, sicut asinus, ne ubicumque voluerit, vadit; nec quandocunque voluerit, interquiescit, nec quod vult facit; sed in omnibus & per omnia agasoni obsequitur: ita se gerat & Religiosus. Atque ut Asinus non comedit, nec quiescit sibi; sed eius comestio & quies eò spectant, ut Domino suo magis observiat: pari modo nec Religiosus sibi comedere, sibi dormire, sibi recreare sibi quiescere debet; sed omnia hæc eò referre, ut & Domino Deo & Religioni meliùs deserviat. Vnde Regius Propheta de se dicebat, *Vt jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Velut jumentum ergo, te habeas in Religione, itaque multum in ea proficias.

Ps. 72. 23.

II. Exempl.

2. Refert Simeon Metaphrastes (quod & adfert Surius in vita S. Melaniæ Romanæ) exemplum, quod ipsam monialibus suis identidem enarrare solitam scribit. Adolescens quidam sæculi deserendi desiderio actus, quendam de priscis illis Anachoretis adiit, illius se discipulum esse velle dicens. Senex, ostensurus qualem eum esse oporteret, si monachus & discipulus suus esse vellet, statuam quæ in vicino erat, flagellare ac fustigare, quin & calcibus eum impetere jubet. Dictum factum. Percontatur deinde senex, num statua ad has injurias conquesta esset, vel obluctata? minimè, inquit adolescens. Tum senex, Rursus, inquit, eam verbera sic priùs, & verberibus adde injurias & probrosa verba, quod cum iterum ac tertiò fecisset, roganti Anachoretæ, num quid statua indignata ad injurias has respondisset? Ne quaquam, ait juvenis. erat quippe statua sensus omnis & loquelæ expers. Tum senex, si inquit, tam patienter ferre queas, ut eodem ego modo agam tecum, quo tu antè cum statua, nullatenus ut indigneris, obmurmures vel offendaris; age, disciplinæ te meæ subdito: sin minùs, revertere ad propria, quia religioso statui ineptus es.

3. Abbatissam S. Gertrudis habebat insigni quidem sanctimonia præditam, at indolis præfractioris & austerioris, quæque asperiora erat in respondendo. Vnde Dominum pia virgo rogabat, hanc ut ab ea asperitatem auferret. Respondit ei Dominus: Cur hanc ab eo tolli cupis? hæc quippe illi humiliter de se sentiendi III. Exempl.

occasio

occasio est. Nam cùm in impatientiam aliquam incidisse se comperit, ilicò demissè de se ipsa sentit, suamque infirmitatem agnoscit. Adhæc, quid vos Religiosæ obediendo mereremini, si Antistita lenis & placida foret? Hunc itaque in ea defectum ad exercitium vestrum, utque obedientiam disceretis, vigere patior.

cap. 4. monit. spirit. IV. Exempl. 4. Haud absimile est, quod de eadem Sancta refert Blosius. Cùm enim pro defectu cuiusdam personæ, quæ congregationi cuidam præerat, Dominum rogasset; ipse apparens ei dixit: *Ego ex abundantia dulcedinis, pietatis & dilectionis meæ divinæ, qua congregationem hanc elegi, permitto inhærere aliquos defectus, etiam illis qui præsunt. Vt inde meritum congregationis augeatur. Nam multò maior virtus est subjici ei, cuius defectus cognoscitur; quàm alteri, cuius opera per omnia probata videntur. Ego sino Superiores habere aliquos defectus, & ex diversitate curarum quandoque maculari, nt magis humilientur. Subditorum meritum tam crescit ex defectibus, quàm ex profectibus eorum qui præsunt; & similiter meritum illorum qui benè præsunt, crescit tàm ex profectibus, quàm ex defectibus subditorum.* In quibus verbis Domini (subdit Blosius) Gertrudis intellexit, superaffluentem divinæ sapientiæ pietatem, quæ tam subtiliter & secretè salutem electorum disponit, permittens in eis esse defectus, ut ipsos ad maiores ducat profectus.

V. Exempl. *S. Athan. in vit. S. Ambr.* 5. Monachi illi veteres, ut in vita S. Antonii Athanasius scripto prodidit, ita se obedientiæ devovebant, ut asperos & infictos Superiores ambirent, quibus cuncta quæ faciebant, adeò non arriderent, ut etiam post benè facta acriter reprehenderent. Vti cum discipulo suo Theodosio Pachomium fecisse constat; ad omnem, si quis se ingereret, vanæ gloriæ pulvisculum ab eo excutiendum, itaque eum expurgandum. Quo autem Superiores asperiores & austeriores erant, eò illi parentiores & obsequentiores. Apud priscos illos Patres id olim, ad morum exercitium, inter alia observabatur, ut bini se in senioris cuiuspiam disciplinam ac correctionem darent, cui non secus omnibus in rebus ministrabant, quàm servus Domino. Vnde, sicut servum ad singula propè momenta reprehendendi ac castigandi occasionem Dominus habet, quòd minus ad nutum eius serviat; ita hi Magistri discipulos suos nunquam non castigabant. Quare hi, interdum quidem ob naturam & morum asperitatem, interdum ad virtutum exercitium, discipulos suos identidem durè inhumaniterque tractabant, & (ut Climacus ait) ad annum usque trigesimum, variis laboribus, qui & iniuriis irrogatis probabant. *Monachi olim asperiores desiderabant habere Superiores.*

VI. Exempl. *Cassiod. 18. c. 14. Pratum spirit. c. 206.* 6. Matrona quædam nobilis, dives & pia, tanto Alexandriæ patiendi desiderio tenebatur, ut, non solum, quæ offerebantur pœnæ, labores & adversa, æquanimiter toleraret, verum etiam novas patiendi occasiones, ultro inquireret, & quacunque posset venaretur, ut ita magis se in patientia & mortificatione exerceret. Hæc desiderans S. Patriarch. Atha-

Athanasium adit, rogans, ut sibi de quadam vidua, ex iis, quæ de Ecclesię oblationibus alebantur, prospiceret, ut eam domi suæ sustentaret, & lautè haberet. Laudat sanctum ejus propositum præsul, eique viduam religiosissimam, optimam, ac moribus suavissimam dari jubet. Huic ergo domi suæ sedulo ministrabat, ac de necessariis omnib⁹ prospiciebat. Sed cum mulier hæc, quæ lenis & benignę erat naturæ, incessanter ei ob impensa ministeria, & bona, quæ præstabat, officia gratias ageret, ac beneficentiam ejus assiduè dilaudaret; Episcopum ipsa adiit, expostulans, quod sibi mulierem, cui ad exercitium patientiæ & animæ suæ utilitatem serviret, petenti mos gestus non esset. Athanasius, sanctum ejus desiderium non satis intelligens, & ratus ei ex incuria nullam viduam consignatam esse, in factum inquisivit. Audiens verò anū optimam illi attributam, atque hinc petitionis ipsius finem & motivum intelligere incipiens, illius se votis respondit facturum satis. Jubet itaque ei dari moribus & verbis asperrimam, morosissimam, & nequissimam; quā faciliùs invenire fuit quàm probam. Hanc ergo tetricam, insicetam, ingratam, melancholicam, cholericam, garrulam, rixosam, &c. cùm domum ipsa suam conduxisset, pari, imo majore, ei cum caritate & humilitate inservire incepit, ac priori. Non aliam verò pro universis suis obsequiis mercedem, aut gratiarum actionem recepit; quàm querelas, dura verba, injurias, oblocutiones, & calumnias: nam quidquid illi præstabat obsequii, displicebat, nec ad mentem erat, quin & dicere ausa fuit, non tam se hucut benè haberetur, quàm ut torqueretur, & cruciaretur, adductā videri. Interdū quoq; ita in matronā stomachabatur, ut nec manus ab ea abstineret. Ad quæ sancta mulier tacebat, & singulas patiētissimè ferebat injurias: obsequia interim & sedula ministeria adeò nō omittēs, ut duplo triploq; etiā eadē inaugeret; & quo majoribus ab ea injuriis afficiebatur, hoc obsequia beneficiaq; majora illi deferebat. Quibus illa exercitiis mirificè se in spiritu proficere, & merita sua increscere, comperiebat. Quare Episcopū adit, gratias actura, ꝙ jam demū suo desiderio & voto satisfecisset, sibi patientiæ excolendæ magistrā dando, quę quotidiè meriti augendi esset occasio. Quæ, cùm his aliisq; id genus sanctis exercitiis seipsam totam impenderet meritis plena tandem in Domino demortua est.

7. Abbas Pœmen referre identidē solebat, quod sibi Novitio cōtigerat sub Abbate Josepho. Cùm enim Abbas Joseph pulcherrimam suo in cœnobio ficulneam haberet, quotidiè manè Pœmenē ex illa comedere jubebat, quod sanè pro abstinentia, quam monachi tunc profitebantur, insolitū satis & unusitatū erat; sed cū die quodam Veneris solemni, eū de hisce ficubus edere jussisset; Pœmen eas tangere non fuit ausus, ne diei jejunium ab omnibus ita receptum & universale, violaret. Verum cum eum postea, ob inobedientiam, remorderet conscientia; Abbatem accessit, & ait: Ignoscas mihi Pater; est quod te rogem:

VII. Exemplū.

rogem: Quare, cùm tantam nos abstinentiam profiteamur, quotidiè me jussisti de ficubus edere, ac præsertim die tali, qualis est hic? equidem ingenuè fateor, me hodie ratione jejunii, quod hac die communiter omnes servare solemus, non parum fuisse confusum, ideoq; minimè ausum comedere. Nihilominus pudet me, & mea me mordet conscientia, quòd in levi hac jussione, tibi nequaquam sim obsecutus, cùm non sine causa tale quid mihi te sciam injungere. Ad quę sic respondit senex: Fili, veteres illi Eremicolæ sub initium tam facilia practicabiliaque discipulis suis non injungebant, sed ea, quæ prima facie interdum ineptiæ, stolida & stulta videbantur, ut nimirum inde periculum facerent, num judicii resignationem, & veram voluntatis suæ submissionem adepti essent: & si quidem hæc sine reluctatione & hæsitatione eos peragere videbant, exinde non nisi necessaria & convenientia iis injungebant.

VIII. Exemplũ. 8. In vitis Patrum legimus, quemdam de antiquis illis Monachis, quatuor in cælo ordines justorũ vidisse. Primus erat eorum, qui miram suis in morbis patientiam habuerãt, Deoq; ob eosdem gratias egerant. Secundus priori eminentior, eorum qui pauperes ac peregrinos collegerãt, tectoq; exceperant, ægris ministrarant, denique opera misericordiæ exercuerant. Tertius illorum, qui relictis omnib⁹, magna in paupertate & abstinentia, in eremo vixerant, orationiq; impensiùs vacarant. Quartus denique omnium excellentissimus, illorum, qui ex amore Christi Jesu sub obedientia vixerant, alienæ se voluntati in omnibus supponentes. Hos videbat in collo torques & collaria aurea habere, majorique donatos gloria, quam reliquos. Quo spectaculo obstupescens, cùm rogaret, quare postremi hi majore bearentur gloria, quàm monachi solitarii, & reliqui omnes; ideò id audivit fieri, quòd solitarii, quique operibus misericordiæ se totos impendebant, in eo quod agerent, propriam voluntatem adimplerent; obediens verò minimè, sed eam Deo immolaret, atque ut voluntas tanti in homine æstimatur ita eam sacrificare & offerre: tanti coram Deo meriti esse. Torquium deniq; illorum aureorum honorem illis in compensationem dari pro eo, quòd suas sub obedientiæ jugo cervices inflexerint.

Naturæ humanæ corruptio in Adam est radix mali nostri.

IX. Exemplũ. 9. His non dissimile est, quod de Abbate Pambone refertur. Hunc enim cùm quatuor Anchoretæ visitarent, & omnes virtute quadam excellentes (primus namque jejuniis & gravibus corporis asperitatibus præcipuè eminebat, secundus paupertate, tertius ardente erga proximum caritate, quartus denique viginti & duobus annis sub obedientia vixerat) postremum hunc tribus aliis anteposuit. Quia, inquit, illi eam, quam habent virtutem, propria voluntate conservarunt; hic verò sua voluntate penitus exuta, alienæ se servum fecit. Addebatque insuper, eos qui ita faciunt, & ad finem usque perseverant, verè Martyres dici posse.

Caput IX.

Vnde sinistra contra obedientiam judicia enascantur, & quibus adversus ea mediis utendum sit.

Naturæ humanæ corruptio in Adam est radix mali nostri.

1. Radix è qua in animo nostro judicia & variæ contra ea, quæ à Superiore præscribuntur, rationes exoriuntur, est immortificata nostra natura. At, at dicet hic aliquis: *tantundem id videtur esse, ac si roganti unde fit, quod quis superbiat? responderetur : Ex defectu humilitatis*: Certum enim est, si judicium benè mortificatum haberem, fore, ut magnam in obedientia simplicitatem, nulla autem judicia contra eam sentiam. Verùm illud hic non solum dico; sed aliquid profundius nomine immortificatæ naturæ intendo indicare, nimirum, quod ex primis parentibus nostris simus nati quasi mortui quantum ad cognitionem veritatis, & appetentiam solidi boni & executionum veri boni. E contrario autem simus nati valde vivaces ad apprehendendum falsa & erronea, appetendumque non solidè sed apparenter bona, & quod hanc ipsam miseriam nostram amemus passionibus & appetibus nostris innutriti & propriorum commodorum apparentium voluntatisque propriæ adimplendæ nimis quàm studiosi, & ideò ad utilia mandanda non satis indifferentes & resignati. Inde est, quod, quando quid imperatur voluntati & appetitui nostro repugnans, multæ nobis in contrarium rationes & judicia occurrant. Quisq; ergo ad seipsum ingrediatur, considerans, quandonam potissimè sibi contra jussa Superiorum judicia & objectiones oboriri soleant : deprehendet & profectò id maximè fieri tum, cùm quid præcipitur, à quo est alienior; cùm negatur quod desiderat; cùm mortificatur, & ulcus suppurans duriùs tangitur : ac tum apparentium quarumdam adversus id quod mandatur tunc rationum plaustra invalescere & occurrere: at, cùm jubetur quod placet & sapit naturæ lapsæ, tunc nulla in contrarium judicia rationesve insurgere, sed omnia mirè conformia videri, nihilque eo convenientius & æquius præcipi potuisse.

IX Exempli.

2. S. Hieronym. super illud Osee, *Et factus est Ephraim, quasi colũba seducta non habens cor*, cõmentans, rogat, cur colũbę, non autem aliis avibus Ephraim assimiletur? Ac respondet, alias aves, etiã cum propriæ vitæ periculo, pullorum vitam tueri, & cùm milvum accipitrem, corvum vel colubrum ad nidos suos accedere vident; huc illucq; volitare, pullos suos qua possunt defendendo: &, cùm jã ulteriùs vim propulsare nequeunt, suum voce querula ac gemebunda quiritatione, dolorem, quem hoc è raptu sentiunt, testari : at solam columbam pullos non propugnare, illis ablatis non conqueri, nullum doloris sensum ostendere, non denique postea eos requirere : ideoq; Ephraim ait ille columbæ comparari. *Ose. 7.11.*

3. Bene hoc sanctissimus ille interpres, sed ut hoc ad præsens propositum adaptemus, quod in columba

Homo religiosus columba esse debet, sine querela, &c.

isto modo videtur esse reprehensibile, nos interpretando faciamus esse laudabile, cum Christus Dominus noster nos jusserit similes esse columbæ, nimirum, cùm pulli, id est, quod amamus, & erga quod afficimur, nobis à Superiore auferuntur, columbæ instar non resistamus, non murmurando contradicamus, non expostulemus, non aliquem propterea doloris sensum ostendamus. Simus tunc quasi columba à moribus primi parentis nostri per gratiam Dei seducta & conversa. Videt jam, credo, unusquisque quod intendam inculcare, nimirum hoc, quod è nostra immortificatione, atque ea, quam sentimus inde quòd voluntati nostræ repugnetur, difficultate & repugnantia, contraria illa judicia enasci. Proinde præcipuum, quod contra hanc tentationem à parte nostra adferre remedium possumus, est, ut nos ipsos nosse abnegare & penitus mortificare, propriam voluntatem abdicare, ac circa omnia, quæ de nobis Superior statuere volet, indifferentes admodum & resignati esse procuremus, & nihil nostra interesse putemus, aut curemus, si hoc vel illud nobis injungatur.

Religiosum oportet captivitate intellectũ.

4. Hac de causa Patres illi antiqui ceu boni spiritus magistri, subditos suos diversimodè & identidem exercebant, talia ipsis imperaando, quæ in speciem ineptæ, & rationi disconvenientia videbantur, cum ut obedientiæ illorum periculum facerent, tum ut propriam in ipsis voluntatem ac judicium retunderent. itaque quod omnino extra propositum videbatur, apprimè ad propositum faciebat, rationique consentaneum erat. Pluris namque tua interest, mortificari, propriamque voluntatem & judicium tuum frangi, utque te in adversam & contrariam partem rapi sinas, quam quodcunque demum, aliter faciendo, sequi lucrum poterat.

Equo effrænicõparatur homo in Religioso statu exercendus.

5. Sæpè numero Superior hoc vel illud perire volet, ut te lucri faciat, tibique prosit: quod profectò à parte rei non jactura est, sed lucrum. Sicut qui equos effrænes & refractarios domant, modò concitato, modò lento eos gressu ambulare faciunt, modò in gyrum circumagunt, modò medio in circo subitò retroflectunt, modò denique in medio cursu derepentè adductis habenis, impetum quo ferebantur inhibent: ut hoc modo lupatis parere, motusque suos impetuosos & incitatos cohibere discant. Non aliter boni spiritus magistri facere solent.

Exempla Exercitii in cæca obedientia.

6. Sic S. Antonium cum discipulo suo *Paulo simplice* fecisse legimus: cui cum vestem consuendam dedisset, eandem jam consutam mox dissuere, ac sportulas contextas retexere jubebat. Sic *alii discipulos* aquam è puteo haurire, jam haustam verò rursus in puteum refundere mandabant. Sic B. Franciscus socium suum F. *Masseum* in via tamdiu in orbem circumagi jussit, donec vertigine laborans, & sensibus stupefactis in terram corruit. Sic denique alii, qui primum Religionem suscipiebant, lactucas, brassicas, aut alias id genus herbas,

1. par. chronic. Minor.

herbas, inverso modo, id est, radice sursum, à senioribus plantare jubebantur, ut sic eorum obedientia exploraretur, voluntas & sensus proprius radicitus evelleretur, ac ne minimum quidem proprii judicii ac privatæ voluntatis vestigium superesset. Quod exercitii genus utinam hodie frequentiori in usu esset! nam si quis jam assuefactus esset etiam benè facta dissolvere ac resuere, minimè turbaretur, aut ægrè ferret, se ob quid malefactum reprehendi.

Defectus obedientiæ, immortificatio nostra.

7. Verùm enim verò quia isthæc mortificatio, & integra sui resignatio, insignem perfectionem exigit; hinc interea dum ad eam non pertingimus, ipsa nobis immortificatio nostra hunc in finem usui esse poterit, eam nimirum agnoscendo, omniaque mala nostra illi asscribendo. Et erit hæc optima ratio, ad impediendum, ut, quæ contra obedientiam nobis occurrunt judicia & rationes, nullatenus nobis noceant; intelligens enim, hæc è defectu & imperfectione propria ortum habere, pro nihilo illa facies.

Ægroto similis esse debet religiosus.

8. Infirmus qui suam infirmitatem & ægritudinem perspectam habet, probe novit, etiamsi summoperè sitiat, potum tamen sibi non convenire; catapotia autem quamlibet amara sint; & sanguinis minutionem, esto dolorem causetur, sibi pernecessaria esse: ideo proprio appetitui non credit, sibique diffidit, sed totum se medico subjicit, illius judicium ac sententiam sequens, eamque ut meliorem suæ proponens. Quòd se infirmum esse cognoscat, in causa est ut sibi ipse non fidat, sed medici judicio in omnibus acquiescat. Sic quotquot sumus, graviter ægrotamus, utpotè amore proprio & inordinatis passionibus animum nimiopere oppletum habentes, hinc, ceu ægroti, nonnisi noxia & damnosa concupiscere scimus; quod autem salutare & salubre est, nobis, displicet, cruciat & nauseam creat. Idem ergo remedium usurpemus, quod æger sanitatis recuperandæ avidus. Scilicet non nobis ipsis, sed Superiori nos medicanti & regenti credamus, quodque ipse mandat & ordinat, ut bonum & fructuosum id habeamus, contra omnia judicia parum curando, sed ea velut ægri somnia ac phantasmata habendo. Ita fiet, ut judicia rationesque contra obedientiam, & Superiorum jussa occurrentes, non solùm tibi non noceant, verùm etiam magnam ex iis fructum collecturus, inque obedientia magis confirmandus sis, statim quippe ad te ipsum reflectens, dices: *Hem, quam æger sum! cùm ipsum bonum, & quod utilitatem adferre natum est, fastidium mihi generet! Et sanè alio signo, è quo colligam hoc illudve mihi expedire, adeoq; præstare, opus non habeo, quàm, quòd id mihi fastidio sit, & aliquas in eo difficultates sentiam: scilicet æger sum, ideoq; palatum depravatum & vitiatum habeo.*

Ratio subjiciendi proprii judicii.

9. Insigne ergo adversus omnia, quæ nobis non solum contra obedientiam, verùm etiam fratres nostros, oborientur judicia, remedium est, quamprimum ad nos ipsos reflexionem facere, ac dicere: *Ego sum qui cæ-*

cutio, & errabundus in tenebris palpo: quia quod bonum est, mihi videtur malum: ecquod nam verò ipse judicium habeo, ut secundum meum unius alia omnia conformare ac dirigere velim? Sic quoties, fratris tui conditio, mores ac procedendi modus tibi displicet, omnem in te culpam conferas necesse est, ac dicas: Quia ego depravatæ naturæ sum ac mali genii, hinc hoc & illud mihi grave accidit: in me ergo, & non in illo culpa residet.

Praxis diaboli est, ut tentationes proponat quasi veras rationes: contra igitur nos dicamus esse tentationes.

10. Commune adversus singulas tentationes, idque saluberrimum remedium est, nosse, eam tentationem esse. Nam cacodæmon, cùm quempiam tentat, omnimodis allaborat, ut tentatio eius, nō tentatio, sed mera videatur esse ratio, ut decepti in casses incidamus. Quemadmodum venatur, dum laqueum feris struit, ita eum collocat, ut non tam pedica & laqueus, quam esca videatur: quia animal aut avis in eum non incideret, si eum videret, ut laqueum. Ad eundum modum facit & dæmon: *transfigurat se in Angelum lucis*, ut lucem & claritatem esse credamus id, quod caligo est & meræ tenebræ.

2. Cor. 11. 14.

Adhortatio affectuosa contra propria judicia.

11. Liberet te Deus à tentatione, quæ non tam tentatio, quàm evidens esse videtur ratio. Quando enim tua te judicia, ita transversum agunt, ut jam credere te faciant, non id passionē aliquam esse vel tentationem: neq; id ideo te dicere quod permagni tua id intersit, sed tantū quòd res evidens sit, quamque nemo non apertè & ad oculum videat; tunc in præsentissimo versaris periculo & difficillimè persanaberis. Nam tentationes quæ boni apparentiam & speciē præ se ferunt, graviores sunt & periculosiores. Quando se tentatio aperto velut vultu spectandam dat, multa eius superandæ sunt media: at quando, nō tam ut tentatio, quàm ut quædam ratio habetur, quomodo eam effugabimus? Cùm quis non ut hostem se, sed ut amicum gerit, quomodo ab eius dolis nobis cavebimus? Illustris quidam Dei servus dicere solebat, eos neutiquam se timere defectus, quos apertè nosset & odisset, sed quos aut ignorabat, aut nihili ducebat, aut excusabat.

p 2. tract. 4. c. 19.

Remedium contra propria judicia est nosse suā in judicando perversitatem.

12. Vt ergo ad propositum revertar, dico, si quando nobis contra Superioris jussum judicia rationesq; in contrarium occursant; consultū esse, statim ad nos ipsos converti, & credere, illas ex infirmitate, immortificatione & defectu nostro ortum habere; atque idcirco eas pro nihilo ducere. Et meritò: tanta quippe est carnis nostræ & sensualitatis sagacitas, ut statim multas rationes verisimiles excogitet & adinveniat, ad id quod illi sapit & placet, amplectendū, multas verò in contrarium inconvenientias, ad ipsum abjudicandum pari sagacitate vel majori etiam noverit adinvenire & eruere.

Item per Passiones judiciū corrumpi.

13. Etenim amor proprius, philautia & passiones in nobis dominantes, ita nos excæcant, ut facilè nos inducant, ad longè secùs de re qualibet, quàm revera est, judicandum ac credendum. Ac velut ei qui intensa laborat siti, aqua videtur dulcissima, sapidissima & optima, propterea quòd juxta appetitus sui dispositionem

nem judicat: ita ei qui effræni & viva aliqua paſſione laborat, inordinatus quem habet affectus, rem longè aliter, quàm in ſe verè eſt, repræſentat, & veritati contraria dijudicare facit. Cùm ergo ex ſe ipſo homo intelligat à terrenis affectionibus ſe immunem non eſſe, ſed multis inordinatis paſſionibus ſubjectum; non eſt quòd proprio judicio facilè nitatur, quin potiùs ipſum, ceu malè affectum, morbidum & inimicum conſideret, ut ſibi ab illo caveat.

Imo insurgere contra criteria ſua.

13. Neque verò ſatis nobis eſſe debet, quòd nos ab his judiciis tranſverſos agi non ſinamus, ſed danda inſuper opera, ut in majorem proventum nobis tentatio omnis cedat, & magis ob eam nos confundamus, ac humiliemus, dicentes, verbi gratia, *Quid? itane ſuperbus ſim, ut mihi ſiniſtra contra Superiorem meum judicia in mentem veniant? Egone, qui idcircò ad Religionem veni, ut omnium ſim peripſema & propudium, anteferre me velim ei qui caput meum eſt, & omnium Superior! Equidem huc non veni, ut imperem, regam, gubernem, ſed obediam, & imperanti pareåm. Ego ductorem meum judicare non debeo, ſed ipſe me.* Eſt hoc ergo generale, perutile tamen, ad fructum è qualibet tentatione contra Superiorem inſurgente, eliciendum remedium: Ex ipſa ſcilicet ſuperbia, & vana gloria (quæ nos titillat) noſtri profundius humiliandorum occaſionem & materiam capere.

Par. 2. tract. 4. c. 22.

Et de malis facere bona, uti dæmon de bonis facit mala.

14. Nam ſicuti theriacam & antidotum, contra peccata nobis præſcriptum, dæmon, in venenum convertere conatur, efficiendo nimirum, ut ob virtutem & ipſummet humilitatis actum ſuperbiamus: ita noſtrum contra eſt, è veneno theriacam & alexipharmacum conficere, & ex ea quæ nobis oboritur, ſuperbia nos magis humiliandi occaſionem ſumere, verbi gratia. *Mihine, qui ita vilis, ſceleſtus & imperfectus ſum, ſuperbiendi veniat occaſio? Mihine id quod facio malum, evaneſcendi anſa ſit, indeq́ magnifieri & æſtimari velim? Sed hinc facilè patebit, ecquis ſim.* Mirabili hoc ſtratagemate cuncta dæmonis ſtratagemata eluduntur (*ſalutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos*) inde, ſcilicet, lucrum & fructum captare conando, unde noſtram is elicere perniciem molitur.

Luc. 1, 71.

Aliud mediũ pro abnegatione judicii, non fidere ſuæ prudentiæ.

15. Poſſunt adhæc alia non pauca, ad rationibus noſtris fidem abrogandam, judicia privata pro nihilo ducenda; ſed ſemper nos ipſos ut ſuſpectos habendos, media adhiberi. Primò, quia ſi (ut quidem ſapientes communiter dicunt) ſumma ac vera prudentia eſt, propriæ prudentiæ nullis in rebus fidere, quanto minus in propriis, quarum homo ipſe pars eſt? Certum namque eſt, ac primum in morali philoſophia principium, neminem eſſe rectum ſui ipſius judicem, eò quod paſſione & philautia, uti dictum eſt, nimium & plurimum excæcemur. Vnde nefas nos eſt propriis judiciis fidere; ſed Superioris judicium in omnibus ſequendum, & illud ut certiſſimum & irrefragabile tenendum.

Ariſtot. 1. Rhetor. & 3. Polit.

16. Se-

Secundũ, cogitare ꝙ subditus tantum particulares quasdam rationes occurrẽtes consideret: Superior verò multas in super subdito ignotas.

16. *Secundò*, non parum huc conferet, cogitare, quod subditus non nisi particulares aliquas rationes sibi occurrentes consideret; Superior verò tam has, quàm alias multas, quas subditus & non scit, & scire nequit, respiciat. Et licèt, solum particulares hasce rationes considerando, melius fortè esset id quod ipse sentis; melius tamen non est, si omnes rationes, quas Superior novit, simul considerentur. Quare non solùm in via Religionis & perfectionis, verùm etiam in lege prudentiæ, insignis indiscretio & superbia est, ob unam atque alteram rationem quæ fortè occurrerit, dijudicare & damnare quod Superior decernit ac statuit; cùm has Superior antè & viderit, & maturè excussas ad incudem sæpiùs revocarit, & insuper alias non contemnendas habeat, ob quas aliud facere conveniat. Sanctus Augustinus egregiam quoad hoc propositum, à capite, quæ superior hominis pars est, similitudinem desumit. Anima quidem, inquit, universum hoc corpus nostrum animat & vivificat; at in capite quinque sensus, visus auditus, odoratus, gustus & tactus, eminenter vigent & stabulantur: cùm in cæteris membris solus sit tactus; ideoque hæc capiti subdita sunt, ipsumque iis, ceu Superior & rector, ad eadem regenda & gubernanda, superstat. Sic in Superiore & Præposito, velut in capite, omnes quinque sensus habitant; in te verò, ceu membro, solùm unus. Tu unam solam particularem rationem assequeris, & præ oculis habes; Superior verò omnes simul: audit quippe, videt, & novit, quidquid ad rem facit. Vnde membra omnia uni capiti se submittant necesse est. Quin etiam vulgò dici solet, plus stultum scire domi suæ, quàm virum sapientem, alienæ. Quanto ergo plus sapiens domi sciet suæ, quàm stolidus alienæ? Ait Salomon, *Non judices contra judicem, quoniam secundùm quod justum est judicat.* Quia indiscretio est velle judicare, quod nescis tum quo tendat, tum unde veniat; imò quod ne scire quidem potes, neque te etiam scire expedit.

S. August.

Eccl. 8. 17.

Tertium cogitare Superiorem curare bonũ commune, subditũ tantum privatũ.

17. *Tertiò*, non parum quoque ad judicium nostrum resignandum, Superiorisque judicio submittendum, conferet, considerare, Superiorem universale ac commune domus ac Religionis totius bonum spectare; te verò, ceu privatum aliquem non nisi tuum unius, & privata commoda præ oculis habere: cum tamen commune & universale particulari semper præferendum sit. Vnde etiam videmus, res naturales interdum, ad communis & universalis boni conservationem, juxta particulares & naturales suas inclinationes, non operari. verbi gratia; aquam ex angusti orificii, etiam eversa super orificium suum lagena, deorsum non effluere; & aliàs, præter naturam, sursum ascendere; ne detur vacuum, *idque propter universi perfectionem*, ut loquuntur Philosophi. Ita suis privatus quisque cedere commodis & inclinationi propriæ debet, ut bonum commune, cui Superior attendit, promoveatur.

18. *Quar-*

Quartū, recogitare quoties nos in judiciis nostris decepti simus.

18. *Quartò*, multum quoque ad judiciis nostris non credendum juvabit, longa illa, quam nostri ipsorum habemus, experientia. Quàm enim multa aliàs, uti verissima, credidimus & habuimus, & quasi certissima affirmavimus; in quibus tamen apertè decepti fuimus, opinionemque nos nostram mutare necesse fuit; & credidisse puduit quod credidimus, judicasse quod judicavimus? Si quis te bis terve decepisset, ampliùs ei non fideres; cur ergo tui ipsius judicio, jam toties ab eo illusus tam temere confidis? Unde hæc sui ipsius ignorantia, & frequentium errorum experientia efficere solet, ut, quibus in rebus juniores temerè & facilè quid decernunt, in iis seniores longè cautiùs & circumspectiùs procedant, utpotè prudentiores, maturiores & longo rerum usu experientiores.

Caput X.

Tres rationes, cur Superioribus obediri velit Apostolus.

Heb. 13. 17. Tres rationes Apostoli pro obedientia.

1. O*Bedite præpositis vestris & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.* Tres hisce in verbis Apostolus rationes assignat, quibus nos ad Præpositis nostris obediendum, exhortatur: quæ quoniam à Spiritu sancto profectæ, & ore Apostolico prolatæ sunt, non possunt non esse bonæ & perutiles. Ait igitur Apostolus: *Obedite Præpositis* & Superioribus *vestris* & quodcumque præceperint vobis, illud facite. Scilicet subintelligendo, ubi nullum fuerit peccatum, uti jam suprà declaratum est: atque hoc fundamentum in omnibus quæ deinceps dicturi sumus, semper præsupponendum & spectandum est. *Subjacete ergo eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

2. Ibi prima exprimitur ratio Apostoli. Certè una de maximis, quas nos Religiosi habemus, consolationibus est, quòd securi certique simus, nos Superioribus jubentibus obsequendo & parendo, rectè procedere. Errare quidem potest Superior, hoc vel illud mandando; tute tamen certus es, te, si quæ mandat exequaris, neutiquam errare: quia à te aliud non exiget Deus, quàm an, quæ jussa sunt, sedulò sis diligenterque executus: & hoc respondendo, sufficienter tuam in Dei tribunali causam justificaveris. Non tibi ratio reddenda est, nec rogaberis, num, quæ mandata sunt, bona fuerint, vel quid aliud futurum fuisset melius: hoc quippe ad te non pertinet, nec tuis rationibus accensebitur; soli Superiori de eo erit ratio reddenda. Faciente te ex obedientia quod juberis, è tuo id Deus libro eradit, & Superioris libro adscribit. Unde exclamat S. Hieronymus: *O summa libertas & magna obedientię securitas, qua obtenta, vix possit homo peccare!* Quodammodo nos, inquit, obedientia impeccabiles facit.

Prima ratio cur obediendum Superioribus, quia Superior pervigilat pro subdito quasi dormiente securè.

In Regul. Monast. c. 6.

3. Licet autem omnes obedientiam profitentes eo privilegio & so-

Obedientia subditū

securum reddit in ministeriis quæ proximo impenduntur.

latio isto gaudeant; tamen nobis inprimis, qui proximo juvando nos impendimus, consolationi est, quòd certissimi simus, hac nos in functione Dei voluntatem facere. Si in sæculo ageremus, certè quantumlibet pii & boni essemus, quantumvis intensum Deo placendi desiderium haberemus; semper anxii tamen essemus, dubitaremusque, Deone foret gratius meam proximo me operam deferre, an mei solius saluti invigilare? At hic in Religione ab his difficultatibus liberi prorsus & expediti sumus: nostrum namque institutum est, ut proximis quà possumus opitulemur; atque hoc fine nos Deus ad Societatem vocavit; ipsemet quoque hæc nobis ministeria injungit. Vnde certi sumus, divinæ nos Majestati in eis complacere. non auderet sanè nostrum quis in sæculo ultrò confessionibus audiendis vacare; imò etsi ei rei vacaret, semper tamen propter gravia pericula in confessionibus audiendis imminentia, timeret, utrùm in hoc Deo placeret, nec ne? utrum hoc faciendo damnationis se periculo exponeret? an secus? At modò securè aures confitentibus dat, certusque est in hoc se Deo servitium præstare & obsequium. Ipse te Concionatoris, Confessarii vel Superioris officio ultrò non ingessisti? ad illudne aptus vel ineptus sis, viderint Superiores, qui his te applicuerunt, Deoque de eo rationem dabunt *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Gradu 4. Obediēs similis ei qui dormiens securè navigat.

4. Suffragatur his Joannes Climacus, qui inter alia, quæ obedientiæ consignat epitheta, eam esse ait *excusationem apud Deum.* Si enim roger, Cur fecisti hoc? dicam, Quia mihi injunctum fuit. Atque hæc mihi apud Deum excusatio & purgatio erit instar omnium. Est præterea, inquit, navigatio secura, ac iter quod dormiendo conficitur. Sicut enim qui in navi sedet vel dormit, semper nihilominus navigat, nec est ut de suo cursu & itinere hilum solicitus sit, quòd navarcha totum id curæ sit. Pari modo Religiosus sub obedientia agens, cùm se ad dormiendum componit (id est, omnem rerum agendarum curam & sollicitudinem à se deponit) quiete ad cælum & perfectionem proficiscitur: quia Superiores, qui ejus sunt naucleri, & huic navi præsunt, pro eo vigilant. Enimverò non parvi, at permagni, faciendum est, alienis brachiis innitendo, & super humeros fortiores reclinando, procellosum mundi hujus pelagus posse trajicere. Hanc autem gratiam Deus Religioso facit, qui sub nutu alieno vivit; omne enim onus ac pondus rejicit in humeros Superioris; ipse verò planè quietus & exoneratus est, ut necesse non habeat curare, hoccine melius sit an illud.

Obediētia securū etiā reddit hominem in rebus propriis particularibus quoad spiritualia.

Propter hoc privilegiū multi in ordines religiosos ingrediuntur.

5. Quæ res vel maximè homines pios & virtutis studiosos inter cætera movet, ut obedientiæ se jugo subjiciant, & Religionem ineant: ut nempe, ab infinitis perplexitatibus & angoribus, quibus vita tur-

vita mundana obnoxia est, liberi, certam Deo serviendi ac placendi viam habeant. Nam ut ea, in quibus in sæculo se occupare volunt, bona sint; nesciunt tamen, an ipsorum proprium sit iis vacare: neque enim cujusvis est, facere quidquid bonum est, præsertim quando id vires nostras excedit, uti est, alios docere & regere. Vnde gravis quidam Doctor ajebat, malle se humi sarmẽta jussu alieno colligere, quàm proprio arbitrio aliis operibus insignibus atque illustribus intendere. In eo enim quod ex obedientia faciebat, certus ac securus erat, Dei se voluntatem facere, in aliis verò rebus incertus.

Gradu 4. Obediẽs similis ei qui dormiens securè navigat.

Obediẽtia securũ etiam reddit hominẽ in rebus propriis particularibus quoad spiritualia.

6. Neque verò solùm in ministeriis & occupationibus quæ proximo impenduntur, nos obedientia securos reddit, & à multis perplexitatibus & difficultatibus liberat; verùm & in rebus particularibus ad nostri ipsorum in spiritu profectum spectantibus. Etenim si in sæculo agens, Deo servire vellem, perplexus hærerem & incertus, nimisne multum comedam, vel parum? plus nimio dormiam, vel minùs quàm satis sit? pœnitentiamne agam supra vel infra quàm oportet? deniq; ne orationi ne parum vel multum temporis impendam? At hîc in Religione, omnia illa dubia ablata sunt: comedo enim quod mihi datur, temporis præstituto dormio, asperitates à minoribus decretas & limitatas subeo. Omnia enim illa hic à Superioribus ita considerata, & ponderata sunt, ut securus sim & certus me, obedientiæ ordinem sequendo, Dei voluntatem facere.

Propter hoc privilegiũ multi in ordines religiosos ingrediuntur.

7. Nec solũ quoad ea quæ ad spiritum spectant, verùm etiam quoad temporalia hæc vivendi ratio valde quieta sit, & omnis laboris molestiæque expers. Nam sicuti qui navem rebus omnibus necessariis instructam, & benè provisam conscendit, de nullo sibi commeatu prospiciat oportet: ita Religiosus ab omni rerum necessariarum procuratione prorsus liber est. Adeò ut non animarum tantum, verum etiam rerum ad corpora spectantium, curam Superior habeat; pari utrimque cura advigilans, ut te necesse non sit curare aut quid comedas, aut quo vestiaris, quò sis, ad Dei obsequio impensius vacandum, liberior & expeditior.

Item quoad corporalia.

8. Quod adeò quidem optandum, tantique faciendum est, ut Joannes Abbas referente Cassiano, illud quieti contemplationis prætulerit: cùm enim hic triginta per annos in Monasterio in reliquorũ communitate vixisset, statuit vitam cœnobiticam relinquere, & solitariæ se applicare, quò contemplationi totus & assiduè vacaret. Ergo eremum adiit (tunc quippè id licitum & moris erat) & per viginti in ea annos mansit, tam crebris à Deo inibi consolationibus perfundi, & ad tam sublimem contemplationem rapi solitus, sui ut corporis prorsus oblivisceretur, nec suum sensus officium explerent; usq; eò, ut vesperè haud recordaretur, hodiene comedisset, an heri. Tametsi verò jam ad tam sublimem contemplationis gradum pervenisset,

Collat. 9. c. 13.

Hinc eremiticæ vitæ præstat cœnobitica.

tantasque in solitudine delicias experiretur; nihilominùs decrevit, solitudine relicta, postliminio ad monasterium reverti, & in sociali vita sub obedientia vivere. Atque ut statuit, ita & fecit.

Ratio hujusce præstantiæ.

9. Causa quæ eum perpulit, erat, quòd, etsi in Monasterio non tam frequentes sint mentis elevationes & contemplationes, atque in solitudine; hunc tamen defectum in monasterio, per sanctam illam quietem & tranquillitatem, quàm Religiosus ab omni, quæ de crastino laborat, sollicitudine & curis vacuus, in se sentit, abundantissimè diceret suppleri Multo verò magis hæc omnia compensat ea, de qua hic tractamus, securitas, quòd nimirum in congregatione & vita communi, homo securus fit, se, in iis quæ agit Deo complacere, & eo tempore quidem, nihil majestati illius gratius posse aut acceptius à se fieri.

Gerson. p. 1. Alphab. 19. litt. B.

Superior est quasi quidam subditis Moyses.

10. Scilicet novum nobis in Religione sub obedientia viventibus, Deus quodammodo dat Moysen, uti olim suum dedit Israelitis, qui nimirum in montem conscendat, & Dei nobis voluntatem declaret.

Etiam quasi Propheta.

1. Reg. 9. 9.

11. Etiam dicere ipsi possumus, quod Hebræos, si quando difficilis & implexus quidam nodus incidebat, dicere solitos legimus, *Eamus ad videntem*, eum ut consulamus. Prophetam certè *videntem* vocant; quòd is Dei voluntatem & videret, & intelligeret, populoque eam deinde declaret. Hoc sanè bono nos Religiosi non caremus, utpotè qui in omnibus difficultatibus & casibus perplexis dicere possumus, *Eamus ad videntem*, ad eum, inquam, quem nobis Deus in prophetam dedit, suumque supplere locum voluit. Vnde & eadem benedictione ac beatitudine gaudemus, quàm in populi Dei persona Baruch Propheta exaltat; *Beati sumus Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* *Baruch. 4. 4.*
Beati, inquam, ac ter felices sunt Religiosi, quibus, quæ sit voluntas Dei, quid ab ipsis fieri velit, per quid divinæ ejus Majestati magis placituri, & gratiores futuri sint, nosse datum est.

Secunda ratio, cur obediendum Superioribus, est ut onus gubernandi alleviemus.

12. Altera Apostoli ratio est hæc: Vt Superiores *cum gaudio hoc* (officii sui partes) *faciant, & non gementes.* Compatitur ecce Superioribus Apostolus, eorumque commiseratione tangitur, videns quàm grave sit humeris eorum impositum onus. Vnde nos etiam atque etiam commonet, ut in obediendo faciles & prompti simus, ut hac nostra parentia onus ipsorum alleviemus. Cùm ergo sat laboris ac molestiæ Superior habeat, & intolerabile quoddam humeris onus impositum (utpotè cui de omnibus, tam quæ ipse, quàm quæ tu agis, reddenda ratio est;) noli prægravans hoc pondus aggravare, obedire & regi detrectando. Grave profectò & per molestum Superiori est, quòd subditus tam parum mortificatus sit, ut de ipso quod velit, statuere nequeat, nec pro libitu audeat illi, quod expedire judicaverit, imperare; sed semper anxiè ac timidè secum disquirere antè debeat,

æquane id mente sit accepturus; utrùm id audiens non obluctaturus; utrùm non quædam statim sit inconvenientia allegaturus, ob quæ minùs facere velit ea quæ ad stomachum non sunt; quo item modo & artificio hoc illi jussum aperturus sit, ut benignis id auribus & in bonam partem accipiat, ipsumque haud invitus exequatur. Grave indubiè atque acerbum est, huiusmodi hominibus quid faciendum præscribere, perinde atque est homini, cùm membrum infirmum & malè affectum movere cogitur. Si pede aut brachio luxato læsove uti debeas, quàm id tibi est laboriosum futurum! quantum motus hic dolorem & cruciatum adfert. Ecqua verò doloris huius & cruciatus est causa? Malè affecta sunt membra ista, ideoque quàm difficillimè moventur. Nam tantum tibi interdum pedis huius motus cruciatum adfert, ut ne vel uno quidem passu, etsi summè necesse sit, procedere, aut hinc illuc transire sustineas; imò, ne tantum dolorem ferre cogaris, insignem sæpè rerum tuarum facere jacturam malis. Tantum quoque è brachii luxati motitatione vel minima dolorem percipis, ut ne ori quidem manum, quo cibum ingeras, admovere ausis. Quisque nostrum quoddam Religionis est membrum: ipsa namque universa simul unum constituit corpus, uti de Christi Ecclesia ait Apostolus. Enim verò membrum infirmum & immortificatum sis, non mediocrem tum Religioni, tum Superiori tunc cùm te movere, & aliquid tibi demandare volet, dolorem & molestiam inferes. Tam quippe Superiori molestum ac grave est, cùm subditum ægrè, nauseabundè, & illubenter imperata sua exequi conspicit; ut, licèt rem quampiam etiam prorsus fieri necesse sit, & negotia ministeriaque necessaria alloqui interquiescant, (quòd non sit qui iis fungatur) sæpè ea illi, ob eum, quem è brachii pedisque vitiati motu percipit, dolorem demandare non audeat.

Baruch. 4.4.

Secunda ratio, cur obediendum Superioribus, est ut onus gubernandi alleviemus.

1. Cor. 12. 12.

13. Notent hoc, qui persuasum habent, dulce quid & optabile esse, aliis præesse, subditosque ac filios spirituales habere, quibus imperare liceat. Rebecca aliàs incredibili quodam prolis habendæ desiderio angebatur; at postquam acria partus tormina persensit, & geminos illos Iacob & Esau, suo in utero de primogenitura, & uter priùs in lucem proditurus esset, decertantes percepit, desiderii sui pænitens ait: *Si sic mihi futurum erat*, (si liberos gignere tam grave, molestum & laboriosum erat) *quid necesse fuit concipere?* Eodem planè modo contingit Superiori, dum subditorum alios illubenter alios reluctando, alios expostulando, alios murmurando obloquendoque sua exequi jussa videt. Tum demum dolores suos sentit, & ob impositum grave onus ingemiscens ait, O me beatum, si in angulo quopiam obscuro delitescere liceret, & de nulla re solicitus essem, quam quomodo jussa Præpositorum adimplerem! hoccine est, filios habere? hoccine Superiorem agere, & aliis præesse? Si sic mihi in præpositura futurum erat,

Magna Superiorum crux subditorum in obediendo repugnantia.

Gen. 25. 22.

multo præstabat non imperare, nec subditos habere.

Bonus est superior, qui bonus ipse fuit subditus.

14. Quantum hoc dolorem & angorem causet, nemo scit nisi expertus. Dici vulgò solet, ut quis bonus Superior sit, & bene aliis imperare norit, antè bonus subditus fuerit necesse est, & reipsa sciverit, quid sit obedire; ut de eo verè dici queat, quod de Redemptore Iesu ait Apostolus: *Non enim habemus Pontificem* & Prælatum, *qui non poßit compati infirmitatibus*, laboribus & miseriis *nostris, tentatum autem per omnia.*

Heb. 4. 15.

Obsequens est subditus, qui aliquando Superioris personam gessit.

15. Meritò, id quidem ille: Ego verò, nemine refragante, hic aliud verissimè dicere posse videor: scilicet, sicut, ut quis bonus Superior sit, & norit quomodo imperare aliis debeat; multum juvat, si antè bonus fuerit subditus, & re ipsa experientiaque sciat quid sit obtemperare: ita è diverso, ut quis bonus & obsequens sit subditus, magnopere conferre, si Superioris officio aliquamdiu functus sit, & aliis imperaverit: reipsa quippe didicerit & usu expertus fuerit, quàm grave ac laboriosum sit mandare ubi subditi jubenti non parent, sed refractarii sunt: Vnde hunc ipse Superiori suo dolorem inferre cavebit.

Miseria quam patitur imperans, à morosis subditis.

16. Non id eò dico, quasi necesse sit, ut domus totius quis quis Superiorem de facto aliquando egerit; satis est privatim ex æqualibus quempiam, quopiam in negotio sub se habuisse. Quoties ei mandare aliquid ideò omisisti, quòd non fuisti ausus? Quoties tibi gravius visum fuit, rem alteri demandare, quàm per te eam exequi? Hinc ergo perspicuum est, quo dolore & molestia crucietur Superior, quando jussis eius subditus obsistit, adversatur & obmurmurat. Nempe hi tales faciunt, ut Superior in officii sui functione gemat, ac sub onere velut succumbat, omniaq; ipse per se facere malit, quàm aliis facienda demandare. Non tamen tam eum cruciat crux propria, quàm subditi: quod enim suorum pater est, hinc non potest filiorum morbo infirmitateque non dolere, & intima animæ eius viscera consauciari, cum illorum imperfectionem & exiguum in virtute fervorem animadvertit: quodque cum vilia & abiectiora, & in quibus obeundis maiorem sentiunt animi aversioné, majore obire promptitudine deberent, ob illa sola murmurent, ac statim sexcenta, quæ inde sibi sequi posse cōminiscuntur, incōmoda allegent, quo à se illa excutiant.

Testes huius veritatis magni viri.

17. Vnde bene Thomas à Kempis ait, Religiosum tepidum & remissum, ad omnia quæ obire recusat, statim se morbidum dicere & imbecillem, neve unquam illi excusandi materiam deesse, quo minus peragat ea, quæ ad palatum non faciunt. *Quod volumus, nō poßumus*; ad id vero quod volumus, statim præpotentes sumus, etsi alioquin id multò sit obitu difficilius. Suffragatur his quoq; D. Chrysostomus, dum ait, *Magna vis est voluntatis, quæ nos efficit posse, quod volumus; & non posse illa, quæ nolumus.* Hæc maxima Superioris crux est, hoc mirè cor eius convulnerat, ipsa, inquam, spiritualis subditi sui infirmitas, imperfectio & immortificatio.

serm. de Zachæ.

18. Obe-

Tertia ratio Apostoli pro obedientia, quod inobedientia nō expedit subditis.

18. *Obedite ergo Præpositis vestris, subjecti illis estote, hunc eis dolorem nolite infligere, ne gementes incedant, & sub onere fatiscentes: Hoc enim non expedit vobis.* Hæc tertia sit Apostoli ratio. Nempè ne vobis quidem id fore ut expediat: nam & vos sub onere gravi ingemiscetis, & propè succumbetis, vitamque vivetis desolatione plenissimam, uti reipsa sat experiuntur ii, qui immorigeros se & in obediendo difficiles præbent. Derelinquemini quippe ut membrum infirmum & res injunctæ infectæ (quod certè *vobis non expedit*) manebunt: quia Præpositi tuæ imperfectioni condescendent, & quod volueris, facere te patientur; itaque tuam, non Dei, in rebus, quas ages, voluntatem facies: quæ profectò res non parum nobis, (uti suprà diximus) pertimescenda est.

Cap. 4.

Caput XI.

Testes huius veritatis magni viri.

Primarium & efficax, ad virtutis obedientiæ perfectionem assequendam medium est, in Superiore Christum Dominum agnoscere.

Facilè obedit Superiori, qui ei ut Deo obedit.

Serm. de Zachæo.

1. UNum de primariis atque efficacissimis ad virtutis huius perfectionem perveniendi mediis, aut potiùs omnium princeps & efficacissimum est, in Superiore Dominum Deum intueri, nobisq; persuadere, ipsum hæc nobis jussa proponere, nosque proinde Deo, non hominibus obedire.

Testes huius veritatis.

2. Multis in locis medium hoc nobis commendat & inculcat Apostolus: Ephesiis quippè scribens ait, *Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Subditis ecce præcipit, ut Superioribus temporalibus & Gentilibus non secùs obediant, quàm Christo. Vnde Magnus Basilius: si Apostolus, inquit, jubet, ut potestatibus sæcularibus obtemperemus, *sicuti Christo*, & (quod maius est) etiam iis quorum vitæ ratio tunc temporis nequissima & scelestissima erat; cui etiam consonat Apostolus Petrus, dicens. *Non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis*; quanto nos Religiosos æquius & rationi convenientius erit spiritualibus ac Religiosis Superioribus, quique in omnibus nonnisi Dei voluntatem exequi desiderant, obedire, tanquam Christo? Vnde ibidem eodem in sensu mox Apostolus subdit: *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino & non hominibus.* Non oculis ergo exterioribus hominem, sed interioribus Deum contemplari oportet. Quia non jam cum hominibus vivimus, nec ut hominibus serviremus, ad Religionem venimus, sed ut Deo. Quin & Colossensibus scribens, idipsum iteratò repetit: *Quodcunq; facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus; scientes quòd à Domino accipietis retributionem.*

Ephes. 6. 5.

In Constit. Monast. c. 23.

1. Pet. 2. 18.

Ephes. 6. 6.

Coloss. 3. 23.

Hos secutus est S. Ignatius in constit.

3. Doctrinam hanc secutus parens noster Ignatius, hoc nobis medium ante omnia & impensè commendat, magnumq; in eo momentum & vim

ponit:

& Regulis Societatis Iesu. 3.p. const. c.1.§ 23. & 6.p.c.1 §.2. Reg. 31. Summ. 3.p.c.1.§. 24. Reg. 38. Summ.

ponit; undè id etiam sæpiùs in Constitutionibus inculcat. Vno quippe in loco ait: *Expedit inprimis ad profectum, & valdè necessarium est, ut omnes perfectæ obedientiæ se dedant; Superiorem (quicumque ille sit) loco Christi Domini nostri agnoscentes.* Aliò verò sic: *Valdè necessarium est, ut omnes non solùm Superiori Societatis vel domus, sed etiam subordinatis Officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, obediant, & assuescant non intueri quis ille sit cui obediunt; sed potius quis ille, propter quem, & cui in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus.* Et in sexta parte, ubi magis ex proposito & professo de hac obedientiæ virtute tractat, hoc eius velut fundamentum assignat; *Versari autem debet ob oculos Deus creator ac Dominus noster, propter quem homini obedientia præstatur*, si modò ad virtutis huius perfectionem pervenire quis velit.

6 p. Const. c.1. §. 1.

Æfficacia prædicti medii est promptè obedire.

4. Porro medii huius vim & efficaciam vel hinc liquidò licebit cognoscere, si ipse Christus se personaliter tibi videndum exhiberet, atque hoc vel illud faciendum præciperet; quàm illi promptè, qua voluntatis allubentia & gaudio, qua judicii conformitate & resignatione pareres? Tunc sanè minimè dijudicares, inquireres vel dubitares, num, quod juberetur, bonum esset, vel malum; sed cæcè, sine ullo ratiocinationis discursu ipsum amplecteteris; una hac ratione (quæ omnium rationum instar est) contentus, Deus hoc mihi præcipit, hoc fieri à me vult Deus, hoc melius est & expedientius. Quin etiam beatissimum te prædicares, quòd tua Dominus opera uti vellet; &, quo id quod præciperet, difficilius, laboriosius & pænosius foret, eo maiori te gratia & beneficio affectum crederes.

Quanti sit faciendum hoc medium.

5. Atqui istuc medium est quod hoc loco assignamus; quod S. Basilius, ut magni fieret à nobis (prout meretur) proponens, ait: *Nec enim ad hanc similitudinem inducendam mea sponte, sed divinis literis, inductus accessi*: Etenim Christus ipse signanter in Evangelio ait: *Qui vos audit, me audit.* Quæ verba, hac in materia, & hoc in sensu sancti Patres communiter intelligunt, docentque ea non propter solos Apostolos, sed & reliquos pòst secuturos Prælatos, dicta esse. Vnde Cassianus adeoque omnes veteres Monachi, doctrinam hanc ad praxin, reducentes, omnia superiorum mandata, velut à Deo immediatè profecta, acceperunt: cum Christus ipse nos expressè jubeat, ipsam Superioris personam, non nudè, sed in eo Deum ipsum considerare, etsi alioquin Superior non pro eo ac deberet, vitam institueret. Ait enim: *Super Cathedram Moisi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere.*

In Const. monast. c.23. Luc.10. 16.

Qui audit superiorem, Deum audit.

Clemens I. epist. I. ad Iacobū F. Domini. S. Benedict. in Reg c.5. Bern. lib. 3. de dispens. & præcept. Cassian. l. 9. instit. c.10. Mat. 23.2

Purificatur per hoc mediū ipsa intentio obedientis.

6. Adeò ut nonnisi Deum eiusque unius voluntatem in obedientia spectare nos oporteat; quam sive seipso, sive mediante Angelo vel homine, sive huius illiusve opera declaret, eodem reddit: pari enim modo tam unum, quàm alterum, admittendum est: quia Deus est qui jubet, & Superior in eius nomine. Vnde S. Bernardus

Lib.3.de dispens. & præcept.

dus ipsis S. Benedicti, idem asserentis, verbis idipsum confirmat: *Obedientia*, inquit, *quæ exhibetur majoribus, Deo exhibetur. Ipse enim dixit, Qui vos audit, me audit. Vnde quidquid vice Dei præcipit homo, quod non certum displicere Deo, haud aliter accipiendum est, quàm si præciperet Deus. Quid enim interest, utrum ipse, aut per suos ministros, sive homines, sive Angelos, hominibus innotescat suum beneplacitum?* Adfert quoq; eodem loco Bernardus vulgatam illam gnomen & sententiam: *Sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendũ est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.*

Duplex via est imperia accipiẽdi à Deo.

7. Non sunt nobis nunc exspectanda miracula, nec velle debemus, ut Deus ipse personaliter nos alloquatur, & quæ facienda sunt, ore suo injungat: quia tempus illud jam prȩteriit. Dum id necesse fuit, ipse in persona, ut nobis loqueretur, nosq; erudiret, descendit. Vnde ait Apost. Paulus: *Novissimè diebus istis locutus est nobis in filio*: & Apostolus atque Evangelista Joannes: *Vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Modò verò vult Deus, ut in fide vivamus, & Superiorem Dei loco ducamns.

Heb.1,2. Ioan.1,18.

In Ps.96. Exẽplũ de obedientia medianté homine & Angelo.

8. S. August. vult, id nobis Deum in eo quod contigit Cornelio Centurioni (de quo in Actis Apost. scribitur) aliquomodo designare voluisse. Erat hic Gentilis, at timens Deum, bonaq; opera, eleemosynas & orationes assiduè exercebat. Quare cum eum Dominus in veritatis viam reducere, & verȩ fidei asserere vellet, mittit ei Angelum qui ei enuntiaret. *Orationes tuæ & eleemosyna tuæ ascenderunt in memoriam Dei, & nunc accerse Simonem qui cognominatur Petrus, qui hospitabatur apud quendam Simonem coriarium, cujus est domus juxta mare. Hic dicit tibi, quid te oporteat facere.* Rogat ergo August. *Num quid non illum poterat docere Angelus?* cur ab eo jam misso eum Deus non est passus institui? Arespondet ideo ad Petrum eum misisse, nec per se, nec per Angelos ei viam salutis tradere voluisse, at per homines; primò, ut hominem honoraret, deinde ut simul nos homini obedire voluntatemq; nostram ei subjicere doceret: præsertim postquam ipse fieri dignatus est, homo & nostri causa hominibus se subjicere, & obedientiam præstare voluit. *Et erat subditus illis.*

Act.10.6.

Aliud exemplũ. Luc.2.5.

9. Idipsum & in Apostoli Pauli conversione factum Patres observant. Etsi enim Christus in persona appareret ei, & Paulus eum rogaret, *Domine quid me vis facere?* suam tamen ei ore suo voluntatem, & quid fieri vellet, declarare noluit; sed ad hominem eum ablegat, à quo hoc ei declaretur. *Ingredere*, ait, *civitatem & ibi decetur tibi, quid te oporteat facere*: Vndè præclarè S. Bernard. *O sapientia Dei suaviter verè omnia disponens! eum, cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, ut socialis vitæ commendetur utilitas.* Homini quippe hoc pacto Deus aliquã auctoritatem conciliare, huncq; illi honorẽ deferre vult, ut ceu Dei vicarium, eum habeamus, vocemq; Superioris, perinde ac vocem divinam, accipiamus.

Act.9.7.

Ser.1. de convers. S.Pauli. Christus Domin' per hominem S. Paulũ fidei doctrina imbuit.

10. Neque verò idcirco deterioris ipsi conditionis sumus, quàm illi quos

Majus est obedientiæ

meritū, si homini propter Deum, quàm si ipsi Deo coram aliquid mandāti obedias.

quos Deus ore proprio per se olim est allocutus. Quin imò sicut res fidei, quas non vidimus, credendo, magis promeremur, quàm si eas oculis ipsis cerneremus: prout aliàs ipse Dominus Thomæ Apostolo dixit: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Pari modo in hac obedientia, qua Superiori tamquam Deo obedimus, in ea velut in rebus fidei procedendo, (præsupponendo inprimis, quidquid demum Superior decernit, Dei ordinationem, decretum, voluntatem esse) plus certo quodammodo meremur, plurisque id faciendum est, quàm si ipsimet Christo coràm imperanti obediremus. Idipsum & in eleemosyna SS. Patres locum habere docent, & Redemptor ipse, dum viveret, ita esse pronuntiavit: *Amen*, ait, *dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Matt. 25. 40.

Eleemosyna pauperi data perinde est, ac si Deo coràm data esset.

11. Perinde enim eleemosynam pauperculo erogatam Deus remunerabitur, tamquam si sibi collata esset. Notant præterea Patres nonnulli, eum, qui ex amore Christi stipem, egeno elargitur, plus quodammodo præstare, amoremque magis testari, quàm si ipsi Christo eam donaret: perinde ac plus præstat, amoremque erga amicum magis declarat is, qui amore illius aliquem de servis ejus benevolè excipit, ac lautè tractat, quàm si ipsum amicū sic exciperet, & splendidè haberet. Hoc enim non videtur esse tantùm, quòd ipsa personæ dignitas, valorque & respectus amicitię, illud exigere videtur. Enimvero majus longè est, si amor ita latè se extendat, ut, amici causa, omne quod ejus est, benignè complectatur, tantamque ei benevolentiam exhibeat, quantam ipsi amico.

Altissimus obedientiæ gradus est homini propter Deum parere. *Tract. de gradib. virtut. c. 2.*

12. Siç porrò se res habet in obedientia, de qua ita loquitur S. Bonaventura: Sublimis quidem obedientiæ gradus est, cùm quis jussis immediatè à Deo descendentibus exactè obedit; altior tamen quodammodo is, quo homini paretur propter Deum: quin & ipsa, quæ propterea datur merces subinde erit major, & meritam amplius. Dum enim homini quis propter Deum obsequitur, magis se in corde humiliat, propriam voluntatem magis abnegat, magis quoq; eam in divinam resignat: sicuti plus facit homo regio ministro, ex amore Regis, morem gerens, quàm sibi ipsi Regi obediret. Quod si coràm Deus ipse quid tibi faciendum injungeret, mirum sanè non esset, te prompte & resignata voluntate id exequi: at, quod ejus amore, homini tui simili dicto audiens & insigni totalique cum resignatione te illi subjicias, magni certè faciendum & æstimandum est.

CAPUT XII.

Medium hoc, quo Superiori paretur tamquam Christo, ad obedientiæ virtutem assequendam pernecessarium est.

Non solum est utile, sed & ad perfectā obedi-

1. MEdium hoc, non considerandi Superiorē, tamquam nudum hominem, sed ad eum respiciendi, cui in homini obeditur (qui est ipse Jesus Christus) non juvat solùm,

[Margin: ...entiam necessarium, in persona Superioris, Deũ agnoscere.]

lùm, ad meliùs majorique cum perfectione obediendum, verùm etiam absolutè & præcisè est ad obedientiæ virtutem consequendam necessarium. Adeo ut qui non cogitabit, esse Deum, qui sibi hoc præcipit, & fieri jubet, & idcirco jussa exequetur; non solùm in obedientia non sit futurus perfectus, sed ne bonus quidem obediens: ac in hac virtute semper imperfectus, & velut tiro mansurus. Quod hoc loco practicè, & ad oculum (ut dicunt,) demonstrabimus, quod punctum hoc maximè sit substantiale & permagni momenti.

[Margin: Ratio dictę necessitatis est, quia valde nutat obedientia, quæ puri hominis personã in Superiore respicit.]

2. Si Superiorem consideres ut hominem, scilicet, homo unus alium; ipse quoque homo es. Unde, licèt Superior singulari sit sanctitate, prudentia, scientia præditus; tamen hominem tandem esse dices, nec omnia scire posse, nec singulas quæ in quaque re sunt rationes pernosse: in aliquo proinde posse errare & falli. Prętерea, si ut hominem eum intuearis, dicere etiam poteris, eum (uti homines solent, & ut hominis est) particulares suos habere affectus & respectus posse, per quos ad magis in hoc, quàm illud inclinandum moveatur: atque inde esse, ut non tam æquo bonoque oculo tuas quàm alterius cujuspiam, res intueatur.

[Margin: Obediẽs homini, qua homini, facilè repugnat.]

3. Quando, quæ mandantur, ardua, difficilia, ac sensualitati tuæ repugnantia sunt; tunc potissimè amor proprius (qui solers ac industrius est advocatus) subtilissimas quasdam & acutissimas in rem tuam rationes, ac mille in contrarium objectiones, & partis contrariæ consulationes excogitabit. Unde fiet, ut nunquam ex toto tuam sis voluntatẽ intellectumque subjugatur⁹ & quietaturus. Nam tibi, quas rationibus humanis opponas, aliæ rationes humanæ nunquam deerunt. At, si consideres in Superiore non hominem erroribus ac miseriis obnoxium; sed eum, cui in homine obtemperas, ipsum inquam, Christum Jesum, summam Patris æterni Sapientiam, immensam bonitatem, caritatem infinitam, quem nosti nec falli posse, nec fallere velle; tunc demum omnes in contrarium difficultates cessant, rationes & judicia evanescunt, & homo ex toto resignatus manet.

[Margin: Obediẽs homini quasi Deo ne vix quidem potest reluctari. Ps.38.10.]

4. Nam rationi illi, *Deus id vult; Deus id jubet, hæc est Dei voluntas*; nihil est quod objiciatur, nec everti ipsa potest. Id expertus David Propheta ajebat: *Obmutui, & non aperui os meum*, ut de adversis immissis, Domine cõquererer; *quoniam* scio quia *tu fecisti*, mihiq; illa immisisti. Certè si hoc modo inobediẽdo procederemus, quonã mandata majorum spiritu impleremus! qua promptitudine & perfectione ipsis pareremus! statim quippe ad vocem Superioris, literã jã inchoatã imperfectam relinqueremus, nobis persuadentes, hanc Christi vocẽ esse: quinimò magna nobis incivilitas & mera rusticitas videretur, audita voce tergiversari, ac dicere, Jã jam ab eo, quãprimùm eò me conferã. Quomodo item voluntatem nostram cõformaremus! quo modo judicium resignaremus!

 remus!

remus! omnes per unam hanc cogitationem difficultates quantocyus tollerentur.

Cur in obedientia Religiosi multi multis etiam annis ne hilum quidem proficiant?

5. His satisfieri & responderi simul poterit quæstioni, quæ proposito nostro mirificè quadrat: Vnde, scilicet, fiat, quòd, cùm qui, tanto tempore in Religione egerit, ac quotidie toties obedierit; nondum tamen aliquem obedientiæ habitum acquisierit, nec hanc sit perfectè virtutem assecutus: cùm tamen commune Philosophorum & Theologorum omnium sit axioma, virtutũ habitus per ipsosmet illarum actus & exercitia comparari?

Resolutio quæstionis est, quod obedientia religiosa est virtus religionis Deum respiciens.

6. Rei huius causa, & simul dubii solutio est, quòd habitus acquirantur per actus similes, qui secundùm formalem virtutis illius rationem fiunt: hæc autem obedientia, de qua loquimur, virtus religiosa est, adeoq; quædam (uti dicunt Theologi) religionis, quæ Deum, & divinæ eius majestatis cultum honoremque respicit, species. Iam quia ille cùm obedit, Deum in Superiore purè non respicit, nec tam obedit, quia illa Dei voluntas est, quàm ut vel Superiori placeat, vel aliquo apud alios sit loco; vel pœnitentiæ correptionisve infligendæ metu; vel quod imperata sint ad mentem eius, aut suaviter leniterque illi proposita; vel denique ob alias id genus causas; propterea non sunt hi actus virtutis huius obedientiæ Religiosæ, quòd formali & religiosa obediendi ratione careant.

Qui Deũ in Superiore nõ respicit, nõ exercet ullum religiosæ obedientiæ actũ.

Quamobrem hoc modo si procedat, obedientiæ virtutem nec jam est assecutus, nec toto vitæ tempore unquam assequetur: Politicam quandam fortassis obedientiam habebit, (quales inter milites, & in navi, & in qualibet communitate ac congregatione reperitur,) veram tamen Religionis virtutem non habebit.

Ergo Politica tãtum est obedientia, qua quis homini qua si homini paret.

7. Vnde S.P.N. dicebat, non tam obedire Superiori nos debere, quod prudentia valeat, quod moribus lenis sit & placidus, quod aliis naturalibus donis instructissimus sit; quàm quod Dei & Domini nostri vice fungatur, & locum suppleat. Si enim hinc recedas, & in rationes illas humanas oculos conjicias, totum obedientiæ robur elidi ac deperdi, quinimò ne obedientiæ quidem virtutem, nec actum religionis eam fore dictitabat; quia pari modo & in sæculo, viri alicuius prudentis, doctrina excellentis, ac longa rerum experientia edocti, opinionem sequereris. Hoc, scilicet, cum hominibus vivere est, non cum Deo. Quo autem magis ad rationes illas humanas respicies, earumq; ductum sequeris; hoc magis à Deo, veraq; obedientiæ virtute recedis; teque ad hominibus solùm obediendum abjicis.

Lib. 5. c. 4. vitæ.

Obedientiæ religiosæ naturam tollit, qui Dei personam à Superiore removet.

8. Et hoc ipsum prosequens, nequaquam nobis despiciendum esse ait, num coquus sit qui nobis quid præcipit, an domus totius Superior? illene vel iste; quia non propter illos, sed propter Deum solummodò obedientia præstanda. Eadem ergo nos vult humilitate, promptitudine, resignatione officialibus subordinatis, qua Superiori supremo obedire.

Cap. 4. Exam. §. 29. regul. 38 summ.

Obediendum Deo in quocumque superiore.

9. Ad hanc porrò obedientiæ perfectionem pervenerat B. Franciscus,

1. p. l. 1. cap. 28. Chronic. Minor.

Exemplũ

S. Franciscus æquè novitio ac veterano Superiori paruisset.

ciscus, ut qui ita de se dicere solebat: Hanc mihi inter cæteras divina bonitas gratiam contulit, quod tam promptè ac facilè unius horæ novitio, si mihi in Superiorem consignaretur, quàm cuipiam veterano, & prudentia singulari prædito obtemperarem. Exploratissimum scilicet habebat, quo pacto obediendum esset; ac proinde non tam Superioris personam, quàm Deum cui in illa obediebat, respiciebat. Dicebat adhæc idem S. Patriarcha: Quo Superior, cui obsequimur, donorum naturalium & auctoritatis minus habet; eò quæ illi defertur obedientia, suo in genere perfectior est, Deoque acceptior.

Eo perfectior est obedientia, quo homini magis vili propter Deum paretur.

10. Atque hoc est, quod communiter docere solemus: scilicet, eum qui coquo, refectorii stratori, æditúo, ac reliquis officialibus inferioribus exactè debitèque obedit; magis suam obedientiam patefacere ac probrare, quàm dum Ministro: qui huic paret, magis quàm qui Rectori, magis quàm qui Provinciali vel generali. Huius rei ratio est, quod obedientia hæc puriùs & magis propter Deum deferatur. In obedientia enim, qua supremo Præposito pares, fieri potest, ut te vel personæ ipsius respectus & auctoritas, vel ei complacendi gratificandive desiderium moveat: verùm, cùm te Officialis alicuius subordinati imperio subdis, nulla re alia videris, quàm puro Dei amore, ad hoc induci.

Cap. 4. Exam. §. 29.

11. In supradictorum confirmationem addit S. P. N. eum, qui integrè sincereque officialibus subordinatis non obedit, nec reliquis Superioribus obedientiam præstiturum. Vera namque obedientia (uti ante demonstratum est) non intuetur personam eius cui obedit, sed Deum, propter quem & cui in omnibus obedit, considerat. Et qui huiusmodi est, ei formalis veræ obedientiæ ratio deest: si enim purè propter Deum obediret, etiam Officialibus sub ordinatis & subalternis, qui hac in parte Dei vice funguntur, obediret. Quod cùm non faciat, signum est, eum, maioribus Superioribus obediendo, non propter Deum, sed ob respectus aliquos humanos, obedire: unde obedientia eius nec perfecta, nec religiosa erit.

Vera obedientia non hominem, sed Deũ, propter quem obedit homini, respicit.

Caput XIII.

Alia quædam eximia bona, quæ in obedientia Superiori, tanquam ipsi Christo, delata continentur.

1. Præter id quod dictum est, alia, eaque singularia, in hoc obedientiæ modo, quo Superiori quasi Christo Iesu, & non velut homini paretur, bona comprehenduntur. Primum sit, hac obediendi ratione singulare nos robur & fiduciam magnam concipere, imperata haud difficulter exequendi, & quàm felicissimè ad exitum deducendi. Hæc enim est inter ea, quæ Deus, & quæ homines præcipiunt, differentia: quod hi sæpè præcipiant ea, quæ executioni mandare haud facilè possumus, nec ad imperata exequenda robur, nec vires nec potentiam suppeditent;

Obediens propter Deũ simul ab eo gratiã ad exequendũ opus accepit.

Deus autem nihil præcipiat, quin id facilè præstari queat, simul etiam vires ac potentiam ad jussa facienda & adimplenda subministret.

Multam parit fiduciam si mandatum superioris excipis uti Dei.

2. Porrò hic in Religione, singulari quodam modo atque inprimis hac animi fortitudine, & in Deum fiducia, opus habemus, utpote ad magna, ardua; & laboriosa vocati. Quare ne in hisce animo concidamus permultum confert, simul etiam animos & fiduciam suggerit, considerare, id mihi à Deo Optimo Maximo injungi, eumque, cùm tali me officio & ministerio applicuerit, etiam perficere concessurum. Atque ideò una de maximis consolationibus, quibus se, qui ad Indicas aut alias laboriosas expeditiones delegantur, mediis in laboribus & periculis, tam mari quam terra occurrentibus, tam spiritualibus, quàm corporalibus, solantur, est hæc: *Tu me Domine huic* Ps. 118. 94 *expeditioni applicuisti, tu mihi eam foliciter fac succedere: tuus sum ego, salvum me fac.*

Hom: 34. Huius considerationis sanctæ suasor est ipsemet Christus. Luc. 10. 2.

3. Hoc, inquit Chrysostomus, commonstrare nobis & tacitè declarare Redemptor noster voluit, dum discipulos suos ad prædicandum, mundumque in viam veritatis reducendum mittens, ait: *Ecce ego mitto vos.* perinde ac si diceret: Esto vos debiles & infirmi sitis, inimici verò potentes & validi, pericula quoque plurima & ingentia, non est quod timeatis, aut animo concidatis, dum me mittente, me jubente proficiscimini. *Ecce ego vos mitto*, ego vos ab omnibus malis, & adversis, qui ingruere queant, casibus tuebor, deque omnibus inimicis vestris victoriam faciam reportare. Hæc unica discipulorum Christi in omnibus laboribus & periculis fuit consolatio, uti & esse debet nostra, in omnibus muniis quæ suscipimus, atque adeò rebus omnibus, quæ à Superiore nobis præscribentur: *Deus me mittit. Deus istoc jubet*; ipse ad hoc mihi vires elargietur.

Exemplum, miraculosè obedientis. Dan. ult. 32.

4. Abacuc Prophetæ mandat Deus, ut quod messoribus suis præpararat prandium, Danieli in lacum leonum conjecto in Babylonem deferret: qui cum diceret. *Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio*; ecce arripit eum Angelus in vertice eius, & sublatum per aëra in lacum sistit. Vt hinc discamus, qua Deus facilitate & promptitudine succurrat & opituletur in iis quæ imperat.

Obediens homini propter Deũ assiduè exercet caritatẽ & Virtutes. 1. p tract. 6. c. 4.

5. Præterea hæc, quæ Superiori tanquam Christo exhibetur obedientia, continuum quoddam est ad Dei voluntatem semper faciendam exercitium: ita ut per hoc quis, amore Dei perpetuò succensus esse, & continua velut in oratione agere queat. Optima namque ac perutilis oratio, & optimus in Dei præsentia jugiter ambulandi modus est, cùm quis in hoc se assiduè exercet, ut Dei voluntatem faciat, indeque voluptatem & delectationem sentiat.

Habet fontem quietis in se, Indifferentiã.

6. Adhæc, qui hoc modo in obediendo procedit, parum curat, hoccine vel illud sibi injungatur: aliud quippe non spectat, quàm ut jussa & mandata exequendo, Dei sui voluntatem faciat. Atq; hæc eius est cibus, volu-

voluptas, & unica in omnibus quæ agit, delectatio.

...ema-...gau-...et. 7. Denique qui in Superiore Deum considerat, seque jam in Dei manus traditum, nec non ab eo regi ac gubernari credit; mira animi pace gaudet, nihil designans aut definiens, imò nec curans, quid de se futurum sit (*In pace in idipsum dormiam & requiescam:*) quia se in fidas bonasque manus consignavit: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*: certus sum, aliud nihil de me statutum iri, quàm quod ipse voluerit: neque ipse aliud volet, quàm quod optimum est. *...al. 49.* *...al. 22. 1.*

...æstan-...a huius ...ercitii, ...get ta-...en tem-...ore ut ...quiras. 8. O quàm multa bona ac divitias spirituales nobis compararemus, si Deum in superiore contemplari assuesceremus, atque in animum penitus induceremus, cum Deo nos, & cum hominibus versari! Veteranus quidam Pater aliàs dicebat, se post viginti & ampliùs annos in Religione exactos, haud dum intellexisse, quid esset, *Obedire tanquam Christo, & quasi qui Deo servit & non hominibus*: & tu te id fortè intelligere credes, quòd ipsum & legeris, & sæpiùs referri audieris? sed id non sufficit: necesse præterea est, ut ad usum & praxim, eo modo quo diximus id revocare noverimus, ut hac ratione virtutis huius perfectionem assequamur, contingentia quæ commemoravimus bona, percipiamus.

❧(o)❧

Caput XIV.

Injuriam Superiori irrogatam, & murmurationem contra eum factam Deus reputat ut suam.

1. Sicuti dum Superiori obsequimur, obedimus & honorem deferimus Deo, quem Superior repræsentat, & cuius locum occupat: ita, dum aliquam Superiori injuriam & contumeliam irrogamus, ea, qualiscunque demum sit, irrogatur Deo. Eadem in utroque asserto militat ratio; & pari modo Christus de priore, quo de secundo, dixit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Apostolus autem ad Romanos scribens, hanc rationem assignat: *Quia non est potestas nisi à Deo: quicunque autem potestati & decreto Superiorum resistit, Dei ordinationi resistit.* Plurima huius rei exempla in S. Scriptura legere est. Cùm Israelitæ contra Moisen & Aaron, quos illis Deus in Superiores dederat, murmurarent, quod in deserto non haberent commeatum, pœniteretque eos Ægypto exiisse; sic eos Moises & Aaron sunt allocuti: *Audivi murmur vestrum contra Dominum: nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Rursus, cum adversus Samuelem iidem Hebræi murmurarent, ac Regem more aliarum gentium, peterent, ait Deus Samueli: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Hoc item in sensu passim declaratur illud Isaiæ: *Nunquid parum vobis,*

Potestas omnis à Deo est: qui ei resistit, Deo resistit.

Luc. 10. 16.

Rom. 13. 1.

Exod. 16. 7.

1. Reg. 8. 7.

Isai. 7. 13.

vobis, *esse molestos hominibus*, quos Deus misit ut vos regant & gubernent? neque sanè parum id est, sed multum: *quia molesti estis & Deo meo*: quia Deo hæc fit injuria, eamque ipse velut propriam habet & vindicabit.

Exempla punitæ murmurationis, contra Homines superiores.

2. Quantoperè autem hæc contra Superiores murmura Deus detestetur, quamque ut propriam injuriam hanc ducat, palàm fiet è magnis & extraordinariis flagellis castigationibusque, quibus in ea animadvertit: legimus quippe, Core, Dathan & Abiron, quia contra Moisen & Aaronem murmurabant, imperiumque populi eos fastuosè arrogare dictitabant, horrendo quodam modo à Deo vindice fuisse castigatos. Terra

Num. 16. 31.

quippe sub pedibus dehiscens, eos absorbuit, & vivos unà cum uxoribus, tabernaculis & universa substantia, ad inferna transmisit: quin & alios ducentos quinquaginta viros de conjuratis ignis egressus à Domino devoravit.

2. 2. qu. 93. art. 2.

Imo gravius quã contra ipsum Deum factæ.

3. Observat curiosè D. Thomas, gravius & atrociùs Deum animadvertisse in illos qui Superioribus oblocuti sunt, quàm in eos qui immediatè divino Numini injurii fuerant & contumeliosi vitulo aureo, Deo cœli spreto, divinos honores deferentes. Satis namque habuit, hos in ore gladii de medio tollere: at illorum alios igne de cœlis misso sustulit, alios ab aperiente terra absorptos, vivos ad infernum præcipitavit. Vt ostenderet, inquit S. Thom. posteris, quanti eam contumeliam

Exod. 32. 27.

& injuriam faciat, quæ suas vices gerentibus infertur.

Inobedientia, cur idololatriæ cẽseatur.

4. Hinc quoque obiter, eâdem operâ, intelligetur & patebit, cur in Scriptura inobedientia idololatriæ peccato comparetur. Samuel quippe cùm Saulem inobedientiæ coarguerent, ait, *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Quod S. Gregorius & Bernardus egregiè ponderantes, dicunt, Vide quàm grande, malum inobedientia sit, cùm id Spiritus sanctus idololatriæ, & Dæmonum consultationi par esse asserat. Cuius quidem comparationis rationem dantes, aiunt, quia sicut idololatria & dæmonis communio ac consultatio cultum reverentiamq; Deo debitam, ei abjudicat: ita inobedientia, & Superiorum contemptus, eum qui Deo debetur, honorem & reverentiam abrogat, propterea quod hi Dei locum teneant. Adhæc, sicut idololatra, Deo verò relicto, idolum ligneum adorat & colit: sic immorigerus & contumax, veram normam & regulam, (quæ Deus est) sequi negligens; falsam, proprium, inquam, judicium, ac rationes suas humanas, sequitur.

1. Reg. 15. 23.

lib. 35. Moral. cap. 12.

De ordin. vitæ & morum instit.

Aliud exemplum.

5. Sed ad lineam. Aliàs quoque parum abfuit, qui omnes ad unum Israelitas in deserto vindex Deus de medio tolleret, quod contra Moisen & Aaronem obtrectassent: immisit quippe in eos serpentes, à quibus nõ pauci eorum perierunt. Quò & alludit Apostolus, Corinthiis scribens, *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum*

Num. 21. 5.

1.Cor.10. *eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.*

Illud exemplũ Num.12. 6. Eandem ob causam fœda à Deo lepra percussa est Maria Moisis soror; ob eamque septem diebus à castris illam excludi voluit, etsi dilectissimus & amicissimus ejus Moises hanc ut ab ea plagam averteret, instantissimè eum esset precatus. Et qui Dei irati manum retinere potuerat, ne in populum idololatriæ rerum sæviret, is sorori peccanti veniam impetrare non potuit, nisi antè pro delicto debitè satisfecisset.

quæst. brev. qu. 27. 7. Atque hinc S. Basilius hausit castigationem illam, quâ in Religiosum Superiori, vel fratri cuilibet contumacem, jubet animadverti: vult enim ipsum prorsus à reliquorum communitate sequestrari, & neque ipsum tantùm, sed & omnia quæ ejus sunt; ita ut nec opera & labores ejus cum aliorum operibus misceri velit: perinde ac in sæculo fieri assolet cum eo qui contagioso morbo laborat: nam non ipse tantùm, sed & omnes ejus vestes, suppellex, ac quidquid usu tetigit & contrectavit, separari ac domo proscribi consuevit, ne ad alios malum & contagium proserpat; ita qui in parendo contumax est, instar excommunicati à reliquorum communione arcendus est: solus proinde agat, ac nemo illi in oratione, in cibo sumendo, in hora recreationis vel laboris, communicet, ut hoc modo pudore suffusus meliora respectet.

Durro tosor- bo com- muni se- quan- turjux. S. Ba- si con- stitut.

Superio- ri oblo- quens idem 8. Nicolaus I. Pontifex litteris ad Imperatorem Michaelem datis, eum velut inhumanum & impudentem sugillat, quòd Præsules Ecclesiasticos lingua maledica ausus esset mordere. Adfert ad hoc propositum generosum illud Davidis factum: cùm enim hic à Saule persequente instanter premeretur, & diversimodè exagitaretur, quadm die eum solum in spelunca, in qua ipse delitescebat, nactus est; ubi licèt eum clanculo ac nemine conscio impunè interficere potuisset, manus tamen in eum conjicere noluit; quòd ceu læsæ majestatis crimen duceret, violentas in Christum Domini manus immittere, etsi alioquin improbum, & inimicissimum sibi, ausus tamen fuit aliquam de chlamydis ejus ora laciniam præscindere. Addit porro Scriptura, etiam facti hujus eum postea pœnituisse, & doluisse: *Percussit, inquit, cor suum David, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul.* Pari modo, infert ille Pontifex, quilibet bonus subditus, Christum Dominum in Superiore agnoscens, facere; nec linguæ novacula ejus vestem præscindere, audere debet, sed, si interdum, vel ex incuria, vel infirmitate, vel præcipiti aliqua passione impellente, aliquam ejus imperfectionem commemorando proferat; statim ad seipsum, Davidis exemplo, reflexione facta, indoleat & compungatur, quod extimam vestem Superioris contingere sit ausus, etsi alioquin imperfectio parva sit & minuta.

Domini præcidit.

1.Reg.24.5.

9. Et addit commune illud Pontificum dictum, *Facta Superiorum oris gladio ferienda non sunt; quamvis reprehendenda videantur*: nam ea facientes, & fieri jubentes, Dei locum & vicem

Greg. in Regist. li. 12. c. 31. Etsi Superioris facta nõ

sint laudabilia, nō tamē exagitanda. suppleant. Ideoq; Dominus ipse olim præcepit: *Diis non detrahes.* Deos, ecce, eos nuncupat, & ut tales coli vult & honorari. Addit insuper, non solùm Deo & Superiori per hoc à murmurante injuriam fieri: verùm etiam subditum, apud quem isthæc murmuratio profertur, ingenti damno affici: hoc enim pacto Superioris apud eum auctoritas deteritur, & bona opinio & æstimatio, quam de eo habebat, diminuitur; fitq; quodammodo ab eo alienior, & amoris in eum affectus intepescit. Quare fit, ut obedientiæ auctoritas, vigor & robur summoperè enervetur: atque id esse solet caussa, cur alius ille nullum sit fructum collecturus ex eo quidquid Superior illi dicet, aut faciet: quod demum est, illi januam ad omnem profectum, qui Superioris adminiculo ei comparandus est, occludere. Quamobrem, quocunq; tandē rē modo intueamur, seriò ab hoc nobis caveamus oportet, ne tantum bonum malo nostro intervertatur, juxta illud Apostoli: *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.*

Exod. 22. 28.

Heb. 12. 15.

Levia etiam vitanda murmura.

10. Est autem hac in re non exigua adhibenda cautio, etiam in rebus levibus exigui per se momenti: neque enim levis & parva res erit, Superiori amorem, æstimationem, opinionem, fiduciam, quam subditus ille de eo habebat, derogare, quod ex hujusmodi murmurationibus & oblocutionibus sequi solet. Atque hoc est, quod maximè in illis spectandum est, non tantùm, an id quod dicitur, ex se grave sit vel leve.

Caput XV.

Obedientiâ salvâ potest subditus Superiori quid proponere, & quis in hoc sit modus servandus.

1. Tantum abest, ut vitiosum sit, vel imperfectio, Superiori suas rationes, proponere, ut etiam major sit perfectio: quin adeò malum foret, suo eas tempore non proponere. Unde id etiam ipsi particulari quadam regula, signanter tacere præcipimur: *Ut nimia solicitudo in iis quæ ad corpus pertinent, reprehensibilis est: ita cura moderata tuenda ad divinū obsequium valetudinis ac virium corporis laude digna, & ab omnibus adhibenda est, & ea de causa cùm animadverterint aliquid sibi nocere, vel aliquid aliud necessarium esse, circa victum, vestitum, habitationem, officium, aut exercitationem, & sic de aliis rebus, admoneant omnes ea de re Superiorem, vel quem ad id Superior constituerit.* Non sine ratione autem hanc nobis regulam S. N. P. præscripsit. Licet enim verum sit, præcipuam rerum ad valetudinem corporis spectantium curam, atque adeò quodammodo totam, ad Superiores pertinere debere, qui tamen homines sunt, non Angeli, ac proinde scire nequeunt, utrùm aliqua re, præter ordinaria & ea quæ in communi omnibus præbentur, ipse privatim opus habeas, omniumque particularitatum non possunt recordari; hinc necesse te est, iis hac in parte aliquatenus opitulari, hæc ipsis in mentem & memoriam reducendo, ut ea queant procurare.

Rectè proponi possunt Superioribus rationes Superiorum voluntati contravenientes.

3. p. Const. c. 1. §. 1. regul. 46. Summarii.

Sed

2. Sed videndum hîc, ut eo, quo oportet modo, idipsum proponatur; quia evidens periculum est, ne se amor ac judicium proprium aliquando admisceant: proinde, ut in hoc sine ullo scrupulo & securè procedamus, duo nobis Beatus Pater præscribit.

3. *Primum, ut antequam ad Superiorem quid referant, se ad orandum recipiant, & post orationem si senserint rem deferendam ad Superiorem id faciant.* Quod non ita intelligendum, quasi tibi salutationes aliquot Angelicæ perfunctoriè antè recitandæ sint, ac deinde ex abrupto proponendum quidquid in mentem veniet; sed per eam, quam ante propositionem fieri vult, orationem, intelligit, ut prius tecum ipse in quiete perpendas & examines, num ad majorem Dei gloriam sit futurum, istud proponere, vel num in eo te ipsum quæras. Nam si posteriori hoc intento moveri te sentis, minimè res erit proponenda: at, si in majorem Dei fore gloriam credas, Superiori eam proponere ne dubites.

4. Alterum quod spectandum monet, est. *Ut, cùm verbo aut scripto brevi (ne excidat memoria) Superiori rem exposuerint, ei totam curam rei expositæ relinquant: & quidquid ille statuerit, optimum ducant, nec contendere aut urgere per se, vel alium (sive concedatur, quod petitur, sive non) pergant: quandoquidem sibi persuadere debent, id magis expedire ad divinum obsequium ac suum majus bonum, quod Superiori re intellecta visum fuerit.* Adeò ut tam ante, quàm post rem propositam & repræsentatam, magnam præferre indifferentiam debeas, non solùm quoad ipsam executionem (ut videlicet rem, de qua agitur, æquanimiter, vel concessam admittas, vel negatam dimittas) verum etiam in tanquam melius ducendo & amplectendo id quod Superior circa eam decreverit.

5. Præcipuum, quod in hac rei propositione spectandum venit, ut adeò quis indifferens in re petita sit, ut æque contentus & quietus sit, sive ea concedatur, sive negetur. Atque hinc liquidò patebit, purè ne Dei gloriam, an verò se ipsum quæsierit. Nam siquidem Dei voluntatem & gloriam purè quæsivit, gaudebit omni eo, quodcumque demum Superior decernet: cùm jam prænorit, hanc Dei voluntatem esse ore Superioris declaratam. At si, dum petita negantur, in animo conqueritur, reluctatur, & murmurat; signum est eum indifferenter se non habuisse, nec purè in iis Deum, sed se ipsum, & proprias commoditates spectasse. Ideò enim animo dejectus est, & turbatus introrsum, quia petitorum non est factus compos. Proinde id potissimum quis ex ea oratione quam rei declarationi præmittit, elicere debet, ut ad quidlibet, quod à Superiore respondebitur, ita se indifferentem ostendat, ut perinde se habeat, sive res postulata sibi concedatur, sive denegetur. Atque hæc optima, quam adferre queat hanc propositionem faciens, dispositio: sic enim fiet, ut tam eum delectatura & satisfactura ei sit denegatio, quam concessio.

Indifferētia hic maximè opus est, cujus signa hic suggeruntur.

Ii 2 Con-

Aliud consiliũ suggeritur pro concessis.

6. Consultum quoque fuerit, ut, cùm postulata jam conceduntur, reflexione ad se facta, videat, num, si sibi denegata fuissent, æquè quietus ac contentus fuisset: id namque valdè bonum signum erit, quare tunc securus esse potest, se in rei concessione non suam, sed purè unius Dei voluntatem facere.

Proponere Superiori cõtraria jussus cũ indifferentia firmat obedientiam.

7. Dico ergo, hoc modo rem aliquam Superiori proponere, adeò non obedientiæ perfectioni adversari (si indifferentiam & resignationem non excludat) ut majorem etiam perfectionem ac mortificationem patefaciat: contrà ipsum non proponere (præterquam quod inobedientia sit, signanter & directè regulæ præmissæ repugnans) imperfectionem apertam & immortificationem redolere.

Rationes suas celare, culpabile esse potest.

8. Advertit v. g. quis rem aliquam sibi noxiam esse, aut contra se quapiam opus habere; nec Superiori declarat; sed sic secum ratiocinatur: si hoc mihi detur, benè habet; sin minùs, etiam benè: atque id fortasse putabit, vel mortificationis speciem, vel patiendi desiderium esse: mera tamen est immortificatio & voluntas non patiendi majorem namque difficultatem & animi repugnantiam sentit in eo ad Superiorem referendo & declarando, quàm in patiendo quod patitur; credens nimirum, à Superiore habendum se, ut hominem de se suisque commoditatibus, nimiopere laborantem. Interdum quoque erit id immortificatio ex indifferentiæ defectu promanans: dum sic apud se reputat: *Nuper, nescio quid, Superiori proposui; ipse verò adeò id mihi non concessit, ut etiam præfractè & durè responderit, statui proinde mecum exindè eum ampliùs non adire, quid ab eo petiturus, nisi quo planè carere nequeo.* Omnia hæc inde ortũ habent, quòd te in declarando indifferenter non geras, nec satis tibi constantiæ aut virtutis sit, ad negantis vultum verbaque sustinenda, ideoque pati defectum mavis, quàm proponere.

Vis voluntatis propriæ in ferendis superbè malis.

9. Consideranda hic nobis, tum dæmonis impostura, tum propriæ voluntatis robur; utpotè quæ facit, ut quam patimur necessitatem, è propria voluntate pati velimus, imò & malimus, quàm ad Superiorem eam referre, quòd in petendo repulsam pati vereamur. Quod ipsum etiam in amoris proprii, & propriorum nostrorum commodorum materia, insignis error est & cæcitas.

Melius est etiam necneganda fortè proponere, quàm tegere Superiorem.

10. Demus enim ipsum nobis à Superiore negatum iri, &, prout tute tibi fingis, pessimum postulationis tuæ successum fore; nonne tamen melius foret, id quod modò pateris, tunc ex obedientia, & Deo volente, quàm è propria tua voluntate (uti jam pateris) pati? Maximè. Idque eo etiam magis, quòd insigne inde tibi meritum accederet, quòd ipsum proposuisti, & regulam servasti: è quo sanè tibi non parum boni sequetur:) nec tibi timenda essent inconvenientia & incommoda, quæ, postquam rem proposuisti, ex ea consequi possent: illa quippè tibi tunc non annumerabuntur, ut annumerarentur, si ipsam non proposuisses; sed rationi-

tionibus, tum Superioris, tum Dei; qui te per illum regit & gubernat, adscribentur.

Verecūdia proponendi sublata est in Societate per regulam id jubentem.

11. Ut autem hæc inconvenientia caveantur, & ab omni, quæ in eo nobis occurrere posset, difficultate & confusione liberemur; S.P.N. nobis regulam particularem circa hoc tulit. Qui enim facit quod per Regulam facere jubetur, quid est, quod timeat, aut ob quod erubescat? Superiori sanè displicere non potest, sed summoperè placere, quòd regulæ quis suæ exactus sit observator. Adhæc, quòd praxis in Societate communis & ordinaria sit, etiam in rebus minutissimis ad Superiorem recurrendi; hinc ipsum perfacilè redditur: tu proinde vide, ne per tuam immortificationem id tibi difficile fiat.

In proponendo servanda magna indifferentia.

12. Universæ hujus materiæ cardo in eo vertitur, ut ea, qua oportet, indifferentia & resignatione quis rem Superiori proponat, quod ipsum uberiùs paulò jam est demonstrandum. Qui ergo quid proponere volet, videat oportet, ne aliquam antè determinationem, ac velut præjudicium faciat, cogitans, ipsum optimum ac convenientissimum esse: hoc namque in caussa erit, cur postea inquietetur ac tētetur, si secùs ac putarat, eveniat: sed semper ad id proponendum abeat mente dubia, ac velut in æquilibrio posita, magna cū judicii indifferentia Superioris resolutionem ac determinationem exspectans, ita fiet; ut quodcunque demum Superior decernat, ei acquiescat, & in eo penitus conquiescat.

Simile à Scholis in propōnēdis dubiis.

13. Ac veluti discipulus aliquis præceptorem adiens, ut speculativi cujusdam conceptus ac dubii resolutionem ab eo habeat, ea, quam accipit, responsione contentus & quietus manet; quòd adierit velut discipulus & dubitans, eum qui suus magister est; itaque eam, velut veritatem, ac genuinam dubii sui solutionem admittit: pari modo dubia sua practica interdum occurrentia bonus obediens Superiori proponere debet, incertus scilicet, ac dubitans utrum magis conveniat, & non magis in hanc quàm in illam partem propendens; usque dum Superior ipse declaret, quid sequi & fieri oporteat; atque istud ut optimum & certissimum habere, atque ut tale, sequi, eoque magis contentus esse.

Cautela adhibendà in oratione prævia propositioni tuę.

14. Adeò ut in oratione, quam ante propositionem instituit, *prædeterminare minimè debeat, hoc vel illud ad Dei gloriam convenientius esse*; sed duntaxat par & conveniens esse, ipsum Superiori declarare, in eoque proponendo sibi persuadere se, non se ipsum, sed puram Dei gloriam quærere: interim tamen semper anceps & irresolutus debet manere, num res in se ipsa conveniens sit, necne, donec eam Superior resolvat ac determinet. Est hoc quàm maximè notandum, hinc namque & bona propositio, & illa animi tranquillitas, quæ ex quocunque Superioris responso sequitur, prorsus dependet. Et quoniam res hæc in Religione nostra tam frequens & usitata est; permagni refert eam rectè, facere nosse. Et certè maximum esset Religionis

detrimentum,&inprimis dolendum, si in hac re tantum degeneraremus, ut vix quidquam subditis Superiores hodie negare possent, quin statim inde amaritudines, diffidētię, & querelæ sequerentur, quasi non diligantur; quin imò sibi persuaderent, & fortassis obloquendo murmurandoque palàm dicerent, Superiorem rigidum ac durum esse, nec ulla sibi in re velle condescendere.

Simile peritum è praxi domestica parentum negantium multa filiis.

15. Profectò, si æquo animo ferimus, quòd nobis à patribus nostris naturalibus multa quæ ab ipsis petimus, negentur, neque propterea eos ceu severos sugillamus, aut de debito ipsis amore quidquam remittimus; idque tum, cùm propriæ voluntati bellum indicere, aut de nobis ipsis victoriam referre non propositum fuit; multò sanè æquius erit hanc nos erga patres nostros spirituales benevolentiam ostendere: & quidem modò, cum propriam voluntatem frangere & evincere profitemur.

Veterū cœnobitarum mos, industrie petita negare petenti.

16. Apud priscos Religiosos moris erat, ut de industria subinde subditis Superiores petita denegarent, etsi hæc alioquin sine ullo suo incommodo & damno possent concedere: eo duntaxat fine, ut illos in mortificatione exercitarent, & petitorum negationem æquanimiter ferre assuefacerent. Subditi verò, quæ ipsis voluntatis contundendæ occasio offerebatur, æqua mente & hilari, ex nimio profectus in spiritu desiderio, eam admittebant, & ambabus ulnis amplectebantur.

Verecundemur sum-

17. Quid ergo foret, si hodie non solùm hoc, verùm etiam quod minimè nobis convenit, nobis negari non posset, quin statim inde amaritudines, exulcerationes animi, & quærimoniæ orirentur? Quid etiam, si id in causa foret, ut Superiores interdum subditorum voluntati condescendere, ac petita illis majoris mali evitandi gratia concedere cogerentur? Quod profectò, ut antè diximus, Religioso apprimè timendum est.

per mores nostro collato veteribus moribus.

Indifferentia etiā hæc foris exhibenda est.

18. Ut porrò isthæc propositio majori cum perfectione instituatur, ea, quam diximus, indifferentia & resignatio homini non tantum interius habenda, verùm etiam exteriùs verbis & ipso proponendi modo patefacienda est, ut nimirum verba desideriis respondeant, & ad id quod exterius est, interiori opituletur. Atque ille demum bonus proponendi modus est, si interiorem & in animo latentem indifferentiam & resignationem declarat, qui quo eam magis declarat, eo erit perfectior. Si quis autem rem ita ad Superiorem referret, ut ne hic quidem intelligere posset, utram in partem proponens inclinet, sed ipse ratione subditi jam audita, apud se dispiciat quid fieri conveniat, hæc verò esset optima proponendi ratio.

Etiam ipsi Superiores tenentur esse indifferentes in proponēdis ad consultandū in Soc.

19. Porrò id ex hoc exemplo facilè intelligetur. Regula quædam Provincialis sic habet: *In proponenda re, de qua deliberandum est cum Consultoribus* (ut in ea liberè quod sentiunt depromant) *in neutram partem animi sui propensionem ostendat, ne consultoribus declinandi in eam partem detur occasio, sed quisque liberius in Domino suam*

suam sententiam aperiat. Hæc igitur optima & Superiori aliquid proponendi est ratio, ut nimirum id verbis adeo apertis & simplicibus proponatur, ut vix Superior ipse intelligat, quonam mente propendeas: ne id fortè in caussa sit, cur is postulatis tuis, infirmitatis tuæ ratione habita, condescendat; sed dispiciat ac videat, quid à parte rei convenientius sit, nullum verò ad tuam devergentiam ac propensionem respectum habeat.

I. Exēp. indifferentiæ hujus. 20. Duo præclara rei hujus exempla in Evangelio habemus: primum est modus ille & formula, qua filio suo carissimo Deipara mater, in nuptiis illis, ad quas fuerant invitati, vini defectum declaravit,

Joan. 2. 3. dicens, *Vinum non habent.* Non ait, Provide, Domine, huic defectui (Potes namque) ac supple, ne sponsi pudore suffundantur, solùm simpliciter & nudè ipsam necessitatem repræsentat.

II. Exēp. 21. Alterum est, modus ille quo Maria & Martha fratris sui Lazari invaletudinem Redemptori significarunt: miserunt namque per nuntium ad eum litteras, quarum hæc erat summa: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Unde benè super hunc locum sic notat Sanctus Augustinus:

Joan. 11. 3

Hom. 1. super hoc Evange. *Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodo nunciandum fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni, & sana: non ausæ sunt dicere, Ibi jube, & hic fiet, ut Centurio; sed tantum, Domine, ecce, quem amas, infirmatur, sufficis ut noveris, non enim amas & deseris.* Hoc ergo modo nostra nos postulata superiori aperire oportet, putà, verbis tam claris & simplicibus, ut necessitatem declarent, nostrum autem desiderium propensionemque planè interim dissimulemus. Atque ita securi & certi erimus, Superiorem nobis non condescendere, neu nos ipsos nos quærere.

22. Hunc proponendi modum expresè nobis in Constitutionibus S. Parens noster assignat, dum de infirmis & ægris agit, aliquod mundi clima valetudini suæ obesse sentientibus. Ait ergo ægrum loci mutationem quærere non debere, nec aliquam huc propensionem ostendere; sed suam duntaxat infirmitatem & invaletudinem, nec non ad necessaria ministeria obeunda ineptitudinem declarare; reliquum verò Superiori relinquendum. Qui tunc dispicere debet, num futurum sit expediens, aliò eum mittere, ubi plus sit fructus, meliori utens sanitate, facturus; vel non contrà, major Dei futura sit gloria, hoc in loco eum manere, esto minus, atque etiam nihil prorsus, agat, quia fortasse id illi in particulari expedientius erit. Si ergo in re, cujus tantoperè nostra videtur interesse, tantam B. P. indifferentiam & resignationem exigat, ut non modo nolit nos loci mutationem petere, verùm etiam ullam ad eandem animi inclinationem ostendere, quam, quæso in rebus aliis petet, quæ minoris sunt momenti? Quoniam verò subinde rem, nec possumus, nec scimus proponere quin facilè Superior intel-

3. p. Cōst. c. 2. lit. G. Praxis proponēdi suā infirmitatem apud Superiorē.

intelligat, quid desideremus, & quonam propendeamus; utilis & laudabilis sanè inprimis illa est praxis, quæ usurpatur à nonnullis, nempè, ut, postquam dilucide & simpliciter rem proposuere, Superiorem ex animo rogent, ut nullam prorsus commodi delectationisque suæ, sed tantùm majoris Dei obsequii ac gloriæ, rationem habeat; aperientes ei, insigne sibi hîc beneficiũ collatum iri, ac maximo solatio fore, quod Dei in hoc voluntatem se facere intelligant; contrà maximo cordiolo & amaritudini futurum, si eum suo ipsorum desiderio morem velle gerere percipiant, quod in eo suam ipsorum, non Dei, nec Superioris, voluntatem facturi videantur.

Caput XVI.

De nimia eorum quæ ad corpus spectant, solicitudine: & quantopere omnis in his fugienda sit singularitas.

8 p. Cõst. c. 2 §. 1. & re. 16. Summar. Cura valetudinis suæ moderata, bona est: nimia vitiosa.

1. Sicut S. P. N. *laude dignam esse* ait *moderatam ad divinum obsequium, valetudinis ac virium corporis curam*: ita quoque censet, *nimiam solicitudinem in iis quæ ad corpus pertinent, reprehensibilem*. Quoniam verò de priore membro jam satis locuti sumus, ideo jam agemus de posteriore. Omnibus quidem in rebus perdifficile est servare medium; maximè tamen & inprimis, in his quæ ad corpus & valetudinem nostram spectant: proprius namque nostri ipsorum amor egregius est rei hujus curator & pararius, atque ideo quamprimùm peritum medicum agit, suggeritque, hoc officere pectori, illud stomacho, hoc lædi caput, illo oculos: atque ita, sub prætextu necessitatis, sæpenumero insinuare se solet sensualitas & lautitiæ.

S. Bern. de nimia hac cura Judiciũ.

2. Præclarè hac de re disserens S. Bernardus, acriùs invehitur in eos qui nimiopere de corporis valetudine sunt soliciti, & per ejus conservandæ speciem, ciborum quædam effingunt discrimina, quos ait *Hippocratis & Galeni potiùs discipulos videri, quàm Christi*. Hæ namque ciborum exceptiones, differentiæ & proprietates non in Evangelio, non in universa sacra Scriptura, sed in medicorum aphorismis traduntur: *Legumina*, inquit, *ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, pisces de stagno aut de lutosa aqua mea penitus complexioni non congruunt. Qualis est hoc, ut in totis fluviis, agris, hortis, cellariisve reperiri vix possit, quod comedas? Puta, quæso, monachum te esse, non medicum; nec de complexione judicandum, sed de professione.*

Quatuor incommoda nimiæ curæ sui.

3. Quatuor autem egregias, easque apprime practicas, rationes eo loco S. Bernardus assignat, ob quas communitatem sequi, & omnem singularitatem fugere convenientissimum sit. 1. *Parce*, inquit, *obsecro, primùm quieti quidem tuæ*. Singularitates quippe illæ magnam secum trahunt inquietudinem, ut subinde hominem sic apud se disquirere faciant: Mihine, quod peto, dabitur, an negabitur? jam, si detur, fortè dabitur illu-

illubenter; & diu differtur, & exspectare cogar: &, si fortè semel datur, sæpè & ut plurimum, non dabitur. Quanta, in hoc inquietudo consistat, nemo novit, nisi qui expetitur? communibus verò contentum esse posse, magnam causat quietem. 2. *Parce labori ministrantium.* Vide enim qualem in hoc laborem & molestiam crees coquo, refectorii præfecto, nec non mensæ ministris, dum eos omnes occupas, &, ut tibi uni faciant satis, eundo redeundoque solicitos discursare facis. Itaque hoc eos onere & molestia libera. 3. *Parce gravamini domus.* Considera, inquam, tuis te singularitatibus domui valdè onerosum & gravem esse: commune enim & ordinarium pro omnibus jam paratum est: & hoc ipsum sine ullo prorsus gravamine & onere fit; at tui unius extra ordinem appetitibus & particularitatibus nō necessariis morem gerere, permolestum domui est & fastidiosum. 4. *parce conscientiæ, conscientiæ dico non tuæ, sed alterius,* fratris, videlicet tibi assidentis, & data comedentis, quem tu tua in cibo singularitate scandalizas: etenim illi occasionem das interiùs de te murmurandi, & te ut delicatulum & molliculum culpandi: vel si fortè te non judicabit, quòd his te norit opus habere; in animo tamen Superiorem dijudicabit ac murmurabit, nec non illos quorum id erat curare, quòd quæ tibi necessaria sunt, minimè procurent.

Vafra pro vino naturæ argumētatio eliditur. 4. Aliqui, inquit Bernardus, quòd hac in parte faciunt, D. Pauli exemplo excusare & purgare volunt, ut qui discipulum suum Timotheum bibere vinum jubet: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* (1. Tim. 5. 23.) Quibus ipse respondet *primò*; Advertant, ait, nec Paulum hoc consilium sibi usurpare, sed dare alteri; nec Timotheum has sibi delicias captasse, sed illi nec procuranti, nec petenti ultrò eas cōcedi: tu verò delicias & singularitatem tibi procuras & petis. Unde maximè, inquit, suspicor ac vereor, ne prudentia carnis sub specie discretionis irrepat, & mera sit sensualitas, quod esse putas necessitatem. *Secundò*, advertant Paulum non cum Religioso agere, qualis tu es: sed cum Episcopo, qualis erat Timotheus, cujus vita & bona valetudo tunc, nempe sub initium Ecclesiæ tam necessaria erat. *Da mihi alterum Timotheum*, inquit, *& ego cibo eum, si vis, etiam, auro fluido & poto balsamo.* Et simul addit; *Id te saltem volo admonitum esse, ut si tibi ista auctoritas Apostoli placet de bibendo vino; Modico, quod ille adjunxit, non prætermittas.*

Epist. ad Eustoch. Vinum castitati obest. 5. S. Hieronymus in Epistola ad Eustochiū, quæ de custodia virginitatis est, primum ejus custodiendæ præceptum & remedium esse ait, vino abstinere: *Sponsa Christi vinum fugiat, ut venenum.* Est hæc gnome in primis notanda, utpote in qua Apostolum secutus est dicentem, *in vino esse luxuriam.* (Eph. 5. 18) Et subnectit mox Divus Hieronymus: *Hæc adversus adolescentiam prima arma sunt dæmoniorum. Non sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum*

oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus?

Religiosus in corporis cura fugiat singularitatem.

6. Ut autem ad propositam materiam revertamur, aliud nihil hoc loco Religiosis inculcare volumus, quàm quòd à SS. Basilio *a* Bernardo *b*, Bonaventura *c*, & aliis, tam seriò inculcatur, nimirum, ut communibus quæ in Religione passim usurpantur, contenti esse, in nulla autem re, quoad licuerit, singulares etenim ii esse velle assuescamus.

a. Serm. de renũt. sæculi, & spirit. profect. *b* Vbi suprà & in formul. honestæ vitæ. *c* Vbi infrà.

Causæ rationabiles pro singularitate in cibis, potu, veste, &c. vitanda.

7. Atque ut aliæ ad hoc nobis persuadendum rationes deessent, certè vel illa deberet sufficere; consideratio quod hoc pacto à multis inquietudinibus, molestiis, multisque judiciis tum de nobis ipsis, tum de aliis, (uti antè diximus) formandis liberemur. Imò verò, vel sola proprii commodi causa, ut nimirum in Religione quiete gauderemus, & contenti viveremus, ipsum seriò procurare deberemus; esto alioquin aliquod in eo incommodum subeundum esset. Hoc namque pluris est, & præponderat omni fructui, qui è singularitatibus illis nobis queat obtingere. Potissimè verò huc impelli & emoveri deberemus, quòd hac ratione fratres nostros valdè simus ædificaturi, magna Superiores lætitia affecturi, Deo denique summopere placituri.

In Religione communem vitã agere, est magna austeritas.

8. Est hic in primis notanda doctrina valdè practicabilis, & apprimè proficua, quod inter maxima, quæ in Religione quis Deo deferre potest obsequia & sacrificia; inter maximas optimasque corporis asperitates & mortificationes, tum ejus majestati acceptissimas, tum animæ utilissimas, fratresque maximè ædificantes, principem, meo judicio, locum obtinet, *si ita quis totum vitæ tempus in Religione traducat, nihil ut particulare in ea habeat, & ad finem usque vitæ in sancta hac abstinentia & integritate maneat, communem Religionis rigorem in omnibus observando, communi omnium cibo, vestitu, opere semper contentus vivendo, nullum sibi privilegium, exemptionem, aut singularitatem ambiendo.* Quoniam verò aliqua tibi religioso necessariò subeunda asperitas est, aliquod mortificationis exercitium usurpandum; hæc præcipua tua sit pœnitentia ac mortificatio, nihil singulare admittere, nedum conquirere.

9. Hinc SS. Patres, & spiritualis vitæ formatores asserunt, alias extra ordinem austeritates taliter temperandas ac moderandas esse, ut tibi semper ad communia ordinis & status tui onera portanda, tanquam ad principale tuum officium, vires suppetant. Parvi quippe tuas Superior flagellationes, & cilicii gestationes ducet, si te postea communibus & ordinariis rebus, quibus cæteri utuntur, contentum non esse comperiet; sed proprias in vestitu, cubiculo, aliisque rebus necessariis commoditates ac delicias sectari.

Bonav. de informat. novit. c. 9. SS. PP. regula de eade.

10. En tibi ergo hic pœnitentiæ genus, ad quod subeundum jam tum plenam facultatem habes, ac quam te subire Superiores gaudebunt, quam denique ipse sine ullo

Hoc mortificationis genus licet religiosis semper

ullo evanescendi periculo suscipere potes: quia sic nullam videris subire pœnitentiam; nec advertunt alii utrùm te mortifices, nec ne. Est deinde hæc una ex optimis, Deoque gratissimis, quas inire austeritates potes. Simplex quidem & commune id vitæ genus esse videtur, coram Deo tamen singulare est, & solida securaque perfectio & sanctitas.

[noctu ac interdiu subire sine venia.]

[Singularitates & privilegia à vita communi sibi sumere, causa est magnæ dissolutionis in ordinibus.]

11. Contrà, nihil est Religioni damnosius & præjudicans magis, quàm si qui in illam singularitates, privilegia, & quasdam à communi vita exceptiones introducere & sibi arrogare incipiant, quocumque demum id prætextu fiat, & titulo etiam (ut ipsis quidem videtur) æquissimo. Usque adeò id verum est, ut S. Bonaventura hoc inter præcipuas temporis remissiorisque, disciplinæ in Religione, causas annumerare nō dubitet. *Esto, inquit, diu in ea egeris, multumque laboraris, magnopere tamen per hoc illi noces: qui enim post te Religioni nomen dant, interiorem virtutem tuam non vident, nec quid quantumque ante ipsorum adventum laboraris; considerant; sed solùm in exemplum, quod in præsens pro regulari observantia illis das, oculos conjiciunt: in qua seniores & veteranos praire sibi ac prælucere novitii ac tirones vellent: & sicuti, quoad ingressum in Religionem fuere primi, ita etiam in Regularum ejus observantia primos esse, bonum his, qui primum jam cum novo serviendi Deo fervore Religionem ineunt, in hoc ducatum præstando, & exemplo prælucendo.* Si autem secùs illos agere novitii comperiunt, vel scandalizantur, vel eorum exemplum quamprimùm affectari incipiunt, ad eorum imitationem intepescendo.

[*In qu. circa regul. 19. & de inform. novit. c. 9*]

[S. Ignatii cautela ne in Societatem intraret singularium affectatio.]

12. Egregiè hoc intellexit. S. P. N. unde, ut ingens, quod inde sequi poterat, damnum præverteret, inter alia, quæ rogari jubet eos qui Societati dare nomen, & in eam admitti petunt, etiam hoc annumerat, *An contenti futuri sint eodem atque alii modo in Collegio agere, nullisque privilegiis aut prærogativis minimum omnium qui in eo fuerint, anteire, omnem sui curam Superiori relinquendo?*

[Præcipuè in excellentis spei personis.]

13. Id quod præsertim peti vult ab iis, qui literati, & in Religione viri magni & eminentes futuri sunt. In illis quippe aliquod esse videtur periculum posse, ne quas sibi singularitates & exemptiones arrogare velint.

[Detrimenta quæ singularizantes creant ordini.]

14. Non vident autem, qui hujusmodi sunt, quantum hac via communitati, etsi alioquin in rebus minutis, detrimēti creēt. Statim namq; alius, qui non minùs se laborasse, & non minùs re illa opus habere putat quàm prior ille, idem sibi vult concedit: deinde & tertius, qui etiam paulo minorem ejus necessitatem habet; mox & quartus, atque inde fit, ut disciplinæ Religiosæ vigor paulatim decidat, & pessum eat. Hac de causa id hominum genus D. Bernardus vocat unionis divisores ac destructores, ac pacis hostes. Consultius

sanè esset ac præstaret, te non prædicare, & id genus negotia non curare, quàm ut ob ea has tibi singularitates atque exemptiones arrogares, quia longè plus per has destruis, quàm per illa construis.

Exceptiones in Societate, exclusit S. P. N.

14. Ideo nos hac in parte S. P. N. præmunit, & omnes à Societate Exceptiones singularitatesq; nimis quã procul abesse vult; neve ad eas sectandas occasioné esse debere, *quod diu in ea quis vixerit, aut miles veteranus sit, aut quod in Academia doceat, aut ad populum concionetur, aut denique aliàs Superiorem egerit.*

Assiduè ante oculos tuos religiose versetur hoc: Noli esse singularis.

15. Verùm hoc fundamentum nobis semper præ oculis habendum, videlicet, nulla re magis quempiam sibi in Societate nocere posse, quàm occasionem dando, è qua alii socii haud ægrè intelligant, cum propterea quod aut veteranus aut Professor, aut Concionator, &c. sit, exemptiones aliquas & privilegia sibi ambire, & velle ut quid sibi extra ordinem, & præter communem aliorum usum in rebus necessariis concedatur. Seniorum & aliis doctrina præstantium est in Societate, fratres suos omnibus in rebus magis ædificare, suoque disciplinam Religiosam exemplo, tum conservare, tum apud alios promovere, humilioribus se conformando, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Huic scilicet usui deservire litteræ debent, & diuturniori in Religioso statu vitæ.

Ro. 12. 16.

-o(o)o-

Caput XVII.

Respondetur objectioni & scrupulo dicentium, homini suæ valetudinis habendam rationem.

Obligatio ad tuendã suam vitam, est magna singularitatum janua.

1. Quoniam verò nulla re magis, & nullo æquiori titulo ad ambiendas aliquas particularitates moveri solemus, quam obligatione, quoad valetudini serviendum, & vitam conservandam teneri videmur; hinc, ut huic quæstioni faciamus satis, quædam hîc afferemus, quæ circa eam vulgo Doctores tradunt.

Aliud est, ex proposito vitam abbreviare, aliud nolle eam prolongare, hoc licitum, istud illicitum.

2. Notant hi primò (& est communis omnium doctrina) aliud esse, sibiipsi de facto necem adferre, vel data opera vitam abbreviare, hunc in finem aliquid assumendo & faciendo (illicitum enim hoc est, & peccatum gravissimum) aliud verò de valetudine & vita conservanda non laborare, & hanc prolongare nolle; quia hoc adeò non illicitum, ut etiam licitum esse censeant.

Hinc infertur, licitas esse abnegationes &c. quæ in Ecclesia & Ordinibus instituta sunt.

3. Nemo quippe tenetur, ad vitam vel producendam, vel conservandam, delicatioribus adhoc cibis, aliisque rebus extraordinariis utendo: uti nec tenetur vivere & commorari in locis salubriorib. etsi alioqui diutiùs & majori in sanitate ibi se victurum nosset. Non tenetur item cibos salubriores & complexioni suæ convenientiores procurare, tametsi pro certo sciret iis se victurum & diutiùs, & saniùs. Neque de hoc ulli dubium est: qui enim secùs diceret, is omnia cùm Ecclesiæ, tum Religiosorum

rum institutorum, jejunia, abstinentias, & austeritates condemnaret & everteret.

Imo quærere his institutis cōtraria probrosum est.

4. Imò verò, Theologis & sanctis Patribus asserentibus, reprehensioni ut plurimum subjacet (ac præsertim in Religiosis hominibus) hujusmodi delicias consectari, solentque ii, qui id faciunt, esse in magno contemptu, & apud plebem, & apud eruditos.

Nequidem infirmi ad sumptuosa tenētur procurāda.

5. Sed neque infirmus tenetur quis exquisita, valdè pretiosa ac sumptuosa, ad vitam conservandam medicamenta conquirere, uti nec medicos raros & peritiores: imò omnia hæc Religioso, humilitatem & paupertatem profitenti, jure vitio vertuntur: satis est vulgaria, communia, & facilia (quæ ut plurimum convenientia sunt) media adhibere: nam, cùm vita ac valetudo corporis nonnisi bonum temporale & transitorium sit, &, vitæ ac salutis animæ respectu, exigui momenti, hinc ad plura, quàm ad vulgaria pro ea conservanda, nos noluit Deus obligare.

Imo ordinariis fas est aliquid demere.

6. Hinc non solùm ab eo quod extraordinarium est & exquisitum, abstinere, & aliquid auferre fas est; verùm etiam ab eo, quod commune & ordinarium. Sic videmus, Religiosos & ferventes Dei servos, id de alimento, somno, commoditatibus, & tractatione corporis sui detrahere, quod & alii communiter usurpant, & ipsi licitè usurpare possent. Et hoc ipsis non modò ut licitum permittimus, verùm etiam ut sanctum laudamus, tametsi hoc valetudini suæ noxium ac detrimentosum esse, & propterea brevioris se vitæ futuros sciant.

Deniq; etiā licet vitā suā exponere pro aliorū salute spirituali, et iam corporali se exponūt.

7. Quemadmodum non licitum modò, sed & magnæ virtutis indicium est, ac meriti seges, pro proximi non anima solùm, verùm etiam vita temporali mortis se periculo exponere, & vitam temporalem prodigere uti de facto faciunt, qui pestifera lue aliove contagioso morbo infectis inserviunt & medentur.

Quantò igitur magis licebit vitā suā corporalem perdere pro animæ suæ salute.

8. Pari modo licitum, laudabile, ac multæ virtutis est, ad propriæ animæ cum aliqua mortificatione succurrendum, exiguo se vitæ periculo exponere, aut sanitatem corporalem modicè lædere: Si quis, ut pannum sibi comparet, idque ad familiam commodè alendam, & honoris aliquantulum comparandum, mari se committere non dubitet, in Belgium vel Indiam naviget, laboriosas ducat noctes, & dies etiam laboriosiores, cum notabili sanitatis detrimento, & evidenti vitæ periculo, atque id etiam ei ut licitum concedamus, quanto magis id homini licitum, laudabile, sanctum erit, ad spiritualem propriæ animæ sanitatem; ut sic caro spiritui subjiciatur & pareat, ne quam contra ipsum rebellionem moveat, & aliquam traditionem moliatur? Atque hoc demum esse dicimus, pœnitentiam facere. Quod si tollere quis vellet, eâdem operâ omnes propè, quæ in Dei Ecclesia usurpantur, pœnitentias tolleret.

Potest quis æger medicinā

9. Quærunt insuper in scholis Theologi, num alicui servo Dei ègro colicis torminibus, vel stomacho

respuere, nolle vitam producere; ex Dei amore. Navarr. in Cajet. 2.2.q.97 art.1. summa c. 11.nu. 41. Exempl. S. Agathæ præclarum. Alia exempla. in Vitis SS.

gravissimè laboranti, aut vulnus quod magnum dolorem afferat, habenti, liceat respuere curam aut medicinam, idque pro desiderio propter Christum patiendi, dum mortis periculum absit? Respondent licitum id esse, & adferunt ad hoc probandum, exemplum S. Agathæ, ad quam cùm S. Petrus in figura cujusdam senis; venisset, ei recens præsectas à tyranno mammillas curaturus, eas sibi restitui noluit, dicens, *Quia medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui.*

10. Adducunt quoque ad hoc alia multorum spiritualium & perfectorum hominum exempla, qui colicos vel stomachi dolores patienter ferunt, nullum sibi contra eos remedium adhiberi patientes, quò carnem mortificent, ac spiritui subjiciant dolores, passionemque Domini quadamtenus sentiant, itaque ejus participes sint, in quibus doloribus etiam mirè hilares & contenti sunt, mirificeque inde proficiunt.

An teneatur homo sectionē admittere.

11. Adhęc, ut appareat, non tanti sanitatem & vitam esse, ut de ea procuranda ac conservanda (uti nonnulli censent,) laborare nos oporteat, hunc Theologi casum ponunt: Versatur, inquiunt, quis in præsentissimo moriendi periculo, nisi illi pes aut brachium pręscindatur; quęrunt itaque num membrum illud sibi resecari pati tenebitur? Et dicunt, quòd non: & ad hoc propositum adferunt illud quod simili in casu alius, ex solo lumine naturæ, olim dixit, *Non est tanto dolore digna salus & vita.*

Plutarch. in Mario.

12. Tradunt præterea Scholastici, neminem medicinas, ut vita sua prolongetur, adhibere teneri, quamvis eam sciat iis non adhibitis etiam abbreviandam, v.g. Dicentibus medicis, ut singulis mensibus vel annis catapotia purgandis humoribus sumat, hæc aut illa medicamina usurpet, cauterium sibi hac in parte vel illa inuri sinat; minimè auscultare tenetur, etsi decennio mortem anticipaturus sit.

An teneatur homo medicinas admittere vitæ suæ prolongandæ?

13. Addunt insuper, etiamsi quis sciat, se vinum vel purum, vel nive infrigidatum ac dilutum, bibendo brevioris vitæ futurum; non teneri sub peccato mortali, vinum vel nivem omittere.

An teneatur homo abstinere à noxiis aliquantum.

Conclusio ex dictis de cura sui.

14. Jam hæc proposito nostro adaptemus. Si ut gulæ & exiguæ voluptatulæ satisfaciant, ut frigidum bibant, ut sapidas quasdam & delicatas lauditias comedant, vel aliis id genus deliciis gaudeant; homines de sanitate sua conservanda, vel vita producenda magnopere soliciti non sunt, nec ullam rei hujus rationem habent, nec eos propterea ipsi condemnamus; cur tantam sanitatis valetudinisque suæ rationem Religiosus habeat, ut, ob imaginariam persuasionem (qua hoc illi credat obfuturum, illud verò plus profuturum) regularum observantiam proculcet? Et ut demus, non inanem id imaginationem, sed sinceram veritatem esse; hanc, quęso, necessitatem, & quod inde ei consecuturum est commodum (quod tamē valdè incertum est: nam potest alia bona in contrarium esse ratio) in una trutinæ lance: inquietudinem

Magis Religioso licebit abstinere ab extraordinariá cura sui.

Serm. 30. in Cātic. Christi & Hyppocratis dogmata & scholæ collatæ.

dinem verò, ac turbelam, tam propriam quàm alienam, ac malū quod fratribus datur exemplum, & quæ hinc sequuntur incōmoda, in altera ponamus; videbimus, quàm hæc illis infinito plus sint præponderatura. Sanè quod mundani faciunt, (& tu fortassis etiam sæpiùs fecisti) ut gulæ satisfaciant, & voluptatula saporis fruantur; an non te id æquum erit facere ad vitam Religiosam vivendam, ad communitatem sequendam, ad scandalum, malumque Exemplum quod fratribus per singularitates & delicias tuas dares, evitandum.

Conclusio ex dictis de cura sui.

15. Hoc saltem ex dictis hactenus colligimus, hominem ad singularitates has & commoda procuranda, minimè obligari. Quantum ad scrupulum spectat, securum esse te jubeo, nullam hinc ejus habendi occasionem esse, etiam si adhuc minus tibi præberetur, quàm tum præbetur, cùm vix quidquam præbetur, & deterrimè tibi fit: tam cùm bene vales, quàm cùm æger es, quamvis etiam aliquod sanitatis detrimentum ideò patiaris: sed meliùs te facturum, & majoris perfectionis fore, si quid patiaris, & hoc ut pœnitentiam suscipias, quàm si delicias & commoda tua efflictim procures, & conquerare quòd non major tui ratio habeatur, nec tanti, quanti faciendum te putas, fortè fias.

Serm. 30. in Cātic. Christi & Hyppocratis dogmata & scholæ collatæ.

16. Non vult enim Deus, ut tantopere de valetudine & sanitate soliciti simus. Unde S. Bernar. illud Christi: *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam,* exponens, ait; Hippocrates ejusque sequaces docent, quomodo vita in hoc mundo conservetur; Epicurus amare voluptates, magnaque contentione quaslibet delicias sectari: at Christus Redemptor noster, vitam & animam perdere, delicias & voluptates corporis contemnere, & præ animæ bono, minimi ducere. Tu jam vide, utrum nam ex hisce Magistris sequi velis; utrum Christi an Hippocratis, & Galeni, discipulus esse malis.

17. Quibus addere ipsi poterimus, experientia docente patere, eos, qui delicatuli & singulares sunt, ut plurimum malè affecto & languido esse corpore, & cum adversa plerumque valetudine conflictari, & non rarò per ea ipsa media sanitatem deterere, per quæ eam stabilire putant; è diverso eos, qui Deo Superioriq; confisi, communitatem sequuntur, & rebus omnibus se accommodant, vegeto sanoque in Religione esse corpore, & athletica quadam firmitate gaudere.

Qui tenerrimè se curāt, plerumque pessimè valent.

18. Cassianus hic aliud observatu dignum notat. Esse, videlicet, quosdam, qui quosdam sibi singularitates ambiunt, non tam quòd iis opus habeant, quàm ex auctoritate quadam, præsumptione sui, fastu & superbia: volunt namque majorem sui, quàm aliorum rationem haberi, & hac prærogativa ab aliis distingui, quòd veterani sunt, Concionatores, Professores, & Magistri scholares. Et hi, inquit Cassianus, ut plurimùm, nec valdè spirituales sunt, néc virtutibus conspicui. Vide-

Lib 6. de instit. renunt. c. 23.

Singularitates sibi quidā procurāt ex fastu.

mus

mus quippe ait, & legimus, priscos illos Patres, qui stellarum instar in Ecclesia Dei, disciplinæ Religiosæ observantia resplenduere; magnos communitatis amicos, singularitatum omnium inimicos fuisse: & hos, nostrum est, imitari.

Non obstantib' dictis, hactenus licet & adhuc Superiori suas necessitates exponere.

19. Non hinc tamen efficere volumus quempiam scrupulosè cohibere se debere, aut pre religione quadam abstinere à proponendo Superioribus suis id, quo opus habebit. Certum enim est, in magna familia semper esse aliquos, qui rebus aliquibus particularibus indigeant: parem namque omnes nec habere valetudinem possunt, nec æquales adferre corporis vires.

Et vidẽtes quod alius extraordinariis utatur nõ scandilazentur.

20. Unde etiam omnes id norint oportet, nemoque ex iis quæ diximus, occasionem de alio seciùs dijudicandi sumat; sed, dum ab aliquo singularitates & præeminentias nonnullas usurpari videbit, has ei pernecessarias esse credat, eique ac infirmitati illius compatiatur. Noli, inquit Bernardus imitari quosdam, qui cùm condolere & compati proximo debeant, ei invident. *Videt, ait, hoc alter quispiam, & fortaßis incipiet invidere, cui condolere debuerat. Hinc accidit, ut sæpè beatificet eum in corde suo ea de re, unde miserum se ille reputat, molestè ferens neceßitatem suam,* & quòd communionem sequi non possit: quod profectò magis ipsum cruciat, quàm ipsa, quam patitur infirmitas.

Magis autem

21. Quemadmodum nec invideremus, nec murmuraremus, condoleremus potius ei, cui, quòd magis ægrotaret, plura & pretiosiora medicamenta præberentur: ita sanè, si rectè intelligeres, quàm hæc illi singularitas gravis & amara sit, tantum abest, ut ei hanc invideres, ut compatereris potiùs, Deoque jingentes gratias ageres, quòd tu plus cibi, somni, vestium, commoditatum opus non habeas; sed communitatem sequi valeas, & communia tibi satis esse possint.

Deo gratias agãt quod his nõ egeãt vel animum carendi possideant.

22. Addit verò Bernardus, eum qui singularitates aliis subministrari solitas curiosè considerat, easque oculo iniquo ac livido intuetur; satis ostendere, cogitationes suas nimis quàm abjectas esse, & sui cordis affectos totos in sensualitatem & delicias ferri.

Curiosè inquirere quid alii habeant est animi livore infecti.

23. Concludit demum vir sanctus, in quo & ego materiam hanc concludere possum: *Non idcirco id loquor charißimi, quasi magnopere de vobis habeam conqueri super hac re; sed præmonere vos & præmunire necessarium duxi, propter multos, qui inter vos sunt, teneri & delicati, quibus aut ætas, aut infirmitas rigorem communis regulæ exigit aliquatenus temperari. Gratias ei, de cujus munere venit, quia multos hic video, quorum mens intenta Deo, tam longè facta est ab illo infimo cogitatu, ut juxta se positos debiliores prorsus ignorent, se minus omnibus facere arbitrentur. Nimirum quia superiores semper attendunt, cum Apostolo, obliti quæ retro sunt, & extenti ad anteriora.*

Vt cautio sunt hactenus dicta, non ut accusatio, vel insultatio legenda.

Phil 2.

24. Suggerit ad extremum idem S. Pater optimum consilium, ut videlicet, *velut nescientes eos, quos secum quotidiè vident*, eorumque singularitates,

Vbi supr. Religiosus inspiciat

tates,

tates, *unũ fortè aut duos, seu etiam plures, quos in majore fervore spiritus viderint, sibi ex omnibus eligant, & cum ipsi fortè meliores sint, semper tamen illorum sibi præponant & proponant in Domino sancta studia & exercitia corporalia, seu etiam spiritualia.* Hoc ut ipsis persuadeat, subjungit exemplum cujusdam è suis monachis, quo se mirificè recreatum scribit: quòd neque hic erit abs re. *Etenim summo mane*, inquit vir sanctus, *hic apprehensum me in auditorium trahit, & prostratus pedibus, Væ mihi, inquit, quia monachum in vigiliis unum consideravi, in quo virtutes numeravi, quarum ne unam quidem in me inveni.*

Strenuorum exempla. imo in omnibus invenietur, si sit intelligens & humilis, miranda

25. Omninò utilis labor, & laudabile exercitium virtutes fratrum nostrorum diligenter observando considerare. *Hic itaque fructus sit nostri hujus sermonis*, ait perorans Bernardus, *ut aliorum altiora semper attendamus, quia in eo plenitudo constat humilitatis. Nam si fortè in re aliqua major tibi fratre aliquo gratia collata videtur, sed in multis (si bonus æmulator fueris) judicare te poteris inferiorem: Quid enim si fortè laborare aut jejunare plus illo potes, & ille te patientia superat, præcedit humilitate, supereminet charitate? Quid verò tota die super id, quod videris habere, insipienti cogitatione versaris? Esto magis sollicitus, ut scias, quid desit tibi. De cetero ea semper magis attende, quæ alius habet, tu non habes: quod hæc cogitatio in humilitate te custodiat, & à descensu tepiditatis elonget, magis autem & accendat desiderio proficiendi.*

Virtutes in aliis consideranda defectus in nobis.

CAPUT XVIII.

Ea quæ jam dicta sunt, exemplis stabiliuntur:

1. Rabaudus princeps in Gallia vir, qui illustri miraculo ad Religionem vocatus est, cùm in ea Religiosæ vitæ asperitatem (utpote lautiori vitæ assuefactus) graviter ferre cœpisset; Abbas quidem qui tunc erat nomine Porcarius, indulgentia quadam separatos ei cibos paulò commodiores, complexionique ejus convenientiores, præberi jubebat: quibus tamen ille quo magis utebatur, eo indies tenuior graciliorque fiebat. Itaque accidit, ut quadam die dum fratres reliqui communi mensa, arido scilicet pane & fabis vescerentur, videre sibi visus sit duos senes: alterum calvum, cui binæ claves è collo pendebant, alterum habitu monachum, qui crystallinam pyxidem manu gestabat. Hi toto cœnaculo circumeuntes unicuique monacho, nescio quid edulii è vase illo impertiebant, Rabaudum solùm ita prætereuntes, ut etiam severo ac potiùs subirato vultu eum intuerentur. Ille tamen ex ejus, qui proximè assidebat, portiuncula aliquid suffuratus, ut illud gustavit, visa est illi ejus suavitas omnium ciborum, quos unquam in vita sua, etiam sæculari, comedisset, suavitatem longè antecellere. Quod visum cùm tertiò jam contigisset, ad Abbatem accessit, diligenter inquisivit quinam essent hi duo senes. Intellexit Abbas

I. Exempl. *Hieron. Plautus lib. 3. de bono status Religiosi c. 16.*

facilè, alterum eorum Petrum Apostolum esse, in cujus tutela erat monasterium, alterum autem Honoratum Monasterii auctorem: causa autem cur ipsi uni illa esca communis negaretur, eam esse, quòd communem aliorum severitatem non sequeretur. Quod audiens Rabaudus, animo confirmato ad omnem ejus vitæ disciplinam perferendam, multò eam faciliorem & leniorem reperit, quàm antea putasset: ac paulò pòst eosdem Sanctos vidit, qui sibi quoque perinde ac aliis, de illo tam suavi cibo tribuerent, quo incredibiliter ad omnem laborem ac duritiam Religionis confirmatus est.

II. Exẽpl. Lib. 7. Dial. c. 48. 2. Simile huic exemplum refert Cæsarius, aitque in ordine Cisterciensi quemdam fuisse, magis veste quàm vita & operibus monachum: qui quod medicinam calleret, per provincias discurrebat, vix unquam nisi in præcipuis festivitatibus, ad monasterium revertens. Hic in quadam Beatissimæ Virginis festivitate, cùm staret cum aliis ad psallendum, ipsa sancta Dei Genitrix, multa claritate circumfusa, chorum ipso vidente intravit, & de pyxide quam manu gestabat, electuariũ per cochlear hauriens, singulis in os immittebat. Ad ipsum verò veniens, & pertransiens, dicebat: Tu electuario meo opus non habes, quia medicus es, & plurimas tibi impendis consolationes. Ille intristatus, culpã agnovit. Ex illo tempore nonnisi per obedientiam coactus, de monasterio egredi consensit, & ab omni sensuali consolatione abstinuit. In proxima ergo solennitate Deipara (prout antè fecerat) ad famulos suos recreandos veniens, cùm ad illum ordine venisset, gressum figit & ait: Quia mores correxisti, tua medicamenta meis posthabens, ecce de meo electuario sicuti cæteris, tibi impertior. De quo ut gustavit, mox tantum dulcedinis & devotionis accepit, ut deinceps stabilis in congregatione maneret, & omnia carnis cõmoda tanquam stercora reputaret: Electuarium enim illud gratia devotionis erat, cujus dulcedine labor omnis vertitur in delicias.

III. Exẽp. Lib. Dial. c. 80. 3. Venit (inquit idem Cæsarius) ad Cœnobium Claravallense. Clericus quidam delicatiori vitę generi assuetus, qui cùm panem conventus (qui tunc temporis satis vilis erat) abhorreret, atque ex ipsa apprehensione, quòd is sibi comedendus esset, animi deliquium pati videretur; nocte quadã Salvator Jesus ei per visum apparuit, panis, quo fratres vescebantur frustum manu tenens, quem ei porrigens ait. Comede panem hunc. Cui cùm Novitius responderet, Nequaquam vesci potui pane hordeaceo: Christus vulneri lateris sui hunc panem intinxit, & porrectum comedere jussit. De quo cùm gustasset, factus est sicut mel dulcis in ore ejus. Ab illo enim tempore panem ac reliquos cibos communitatis, quos priùs vix tangere potuit, magna cum delectatione & sapore comedit.

IV. Exẽp. p. 1. lib. 1. c. 35. 4. In Chronicis Minorum (ubi mentio fit celebris illius Capituli, quod *à storeis* cognominatum est, eò quod

Chron. S. Francisc. quòd cubicula fratrum in agris constructa, & storeis ab invicem separata essent : ad quod quinque propè fratrum millia convenêre, & cui nominatim S. Dominicus interfuit) legimus, tantum tunc temporis sanctorum illorum Religiosorum fervorem, & pœnitentiæ studium fuisse, ut non tam calcaribus, quàm frænis opus haberent. Nam cùm Seraphicus P.S. Franciscus intellexisset, multos eorum thoraces, & loricas squamatas, & circulos ferreos ad nudam carnem gestare, atque inde non paucos morbum contraxisse, sciretque id asperitatis genus impedimento esse, quo minùs prout oportebat, orationi insistere, & ministeria Religiosa obire possent, atque adeò nonnullos inde emori; in virtute Sanctæ obedientiæ mandavit, ut quotquot thoraces & orbes illos ferratos gestarent, depositos eos ad se deferrent, & ecce, quingentæ tam loricæ quàm circuli ferrei, inventa sunt. Cùm ergo hoc in fervore Ordo indies procederet, & fratres Capitulo indicto, de illius boni conservatione ac progressu tractarent, cælitus fuit B. Francisco revelatum, cacodæmones aliam in ejus ruinam, quodam in nosodochio (quod inter Portiunculam & Assisium situm erat) congregationem celebrare, ad quam plusquam duodeviginti dæmonum millia convenerant. In qua cùm varii varias tum S. P. Francisco, tum ejus Ordini & sequacibus oppugnandis, artes, & consilia proponerent; tandem quidam de turba dæmon, cæteris nequior, vafrior & generosior, tale consilium suggessit: Sanctus Franciscus ejusque sectatores, tanto fervore mundum ac mundana fugiunt & abominantur, tamque contentè ardenterque Deum cæli diligunt, orationi vacant, corpora atterunt, ut in præsens parum aut nihil admodum vestra contra eos valitura sint molimina ac cuniculi: quare auctor vobis sum, ut nunc labori super vacaneo parentes patienter exspectemus, donec, Francisco ex hac vita sublato, fratrum numerus in majus crescat, tunc namque adolescentes quosdam, nullo perfectionis zelo succensos, senes honoribus nobilitateque conspicuos, ac deliciis assuetos, Doctores ob doctrinam arrogantes, atque alios debilioris valetudinis ad eum ineundum instigabimus. Hi deinde, ad Religionis nomen & honorem conservandum, eamque ad augendam, passim quoslibet admittent. Hac demum via eos ad sui ipsorum & rerum mundanarum amorem, ad scientiarum desiderium, ad honorum appetentiam pertrahemus: tuncque dilatam vindictam de iis sumere fas erit, multos eorum sub potestatem & jus nostrum redigendo. Placuit omnibus vafrum tenebrionis hujus consilium, & exspectare aliquantisper satius visum fuit recta propemodum spe, quàm modo inani & casso labore sudare vix ulla cura fructus spe.

III. Exēp. Lib. Dial. c. 80.

IV. Exēp. p. 1 lib. c. 35.

TRACTATVS SEXTVS, DE OBSERVANTIA REGULARUM.

CAPVT PRIMVM.

Quàm insigne Dei beneficium sit & gratia sit, quòd nos Regulis quibusdam obvallarit ac communierit.

Regulæ sunt Dei beneficium singulare.

1. INTER alia quæ nobis in Religione Deus Opt. Max. contulit beneficia, non ultimum id est, quod tam multis nos Regulis ac sanctis monitis instructionibusque communiat, & velut circumcingat, ut hac ratione ab inimicorum nostrorum violentia tutiores simus & munitiores.

Regulæ valla sũt & propugnacula Religiosorum.

2. Unde non inscitè à Sanctis Patribus consilia Evangelica, civitatis cujusdam antemurali & vallo extimo assimilantur: nam sicuti illa tunc magis custodita & munita est, cùm non solùm murum habet, sed & antemurale, (licèt enim hoc ab inimicis diffringatur, & ad terram dejiciatur, vincendus iis adhuc superest murus intimus, à quo arcentur & excluduntur:) ita & duplici muro Religiones muniuntur ac circumcinguntur. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, salvator ponetur in ea murus & antemurale.*

3. Primò namque fortissimo & inexpugnabili si velimus legis ac mandatorum suorum muro, deinde & alio exteriori vallo, vel antemurali (regulis inquam, & constitutionibus Religionis) nos cõmuniit & cinxit, ut, dũ hostes nos impetent, (utpote quibuscum juge & perpetuum nobis certamen est) in exterioribus operibus fatigentur, & deficiant, antequam ad interiora munimenta verberanda perveniant, & siquidem aliquid efficiant, nonnisi aliquid ex hoc antemurali frangant & dejiciant; primarius tamen legis & mandatorum Dei murus sartus tectus atque integer semper maneat, & nos salvos & incolumes.

Interius propugnaculũ est Lex Dei: Exterius Regulæ religionis.

4. Per allegoriam ista sunt dicta, quibus insinuatur, quod hæc sit singularis gratia Dei concessa Religiosis, ut tentationes, à quibus impugnantur, siquidem vincantur, communiter nonnisi parvam aliquam regulam infringant, cujus violatio ne ad veniale quidem peccatum pertingit:

Innoxiè in religione vivitur.

tingit: imò quod modo in Religione etiam pluris facias illam violare, quàm fortè in sæculo fecisses graviter mandata divina violare.

Periculosus error de violatione regularum judicantium justo severius.

5. Unde liquido patebit, quàm gravis sit pusillanimium nonnullorum in Religione viventium error, qui, dum se regulas aliquas vident transgredi, & imperfectiones nonnullas committere; statim sibi persuadent, propterea, quòd hoc modo semper in perfectionis via cespitent & inquietentur, meliùs longè se facturos, si in sæculo viverent, quàm in Religione tot imperfectionibus scaterent. Est hæc gravis diaboli tentatio & illusio, utpote quæ circa tanti momenti negotium (ipsam, inquam, vocationem) versatur: non enim hac aliud intendit, quàm ut ad sæculum revertaris, & ex hoc Regularum consiliorumque Evangelicorum septo & antemurali te desperabundus proripias. Tunc quippe tormentis & machinis suis, nemine obstante, murum legis Dei quatere certatim inciperet, & forsitan brevi in peccatum aliquod mortale prolabi te faceret. Modò verò tam facilè id facere nequit, quòd hoc antemurali munitus sis & propugnatus; in quo nimirum, omnes illius ictus excipis, & in quod universa ejus tela impacta illicò diffringuntur, interim te ab omni in peccatum mortale procidendi periculo nimis quàm procul distante.

Una sæpe culpa in sæculo commissa longè gravior.

6. Et sanè quantumvis multas id genus displicentias & imperfectiones in te sentias: una sola culpa earum qua in mundo committeres, gravior longè est, quàm omnes quas hic committis. Unde tibi persuadeas velim, te, quamvis tibi tepidissimus & imperfectissimus videaris, multo meliorẽ fore hîc, quã esses in sæculo.

est, quàm omnes in Religione contractæ.

Magnũ est beneficium religionis vel una hac de causa.

7. Hæc una de rationibus est, ob quas Religiosum statum nos permagni facere, & infinitas quotidiè Deo ob singulare illud beneficium, quod ad eum nos evocaverit gratias agere oportet. Et sanè, ut aliud in Religione bonum non foret, quàm unum hoc; esset id permagnum, & vel ob hoc solum inprimis ea optanda & æstimanda. Quid? Num parum tibi videtur, quòd aliis in arena cum tauris & bestiis ferocibus luctantibus, tu superiùs tutus, in orchestra alienorum periculorum spectator consideas? Aliis in medio tempestatum & procelloso pelago agentibus tu in portu ab omni periculo securus naviges? Aliis inter medios fluminum Babyloniorum vortices fluctuantibus, & propè pereuntibus, tu in ripa quietus & tutus consistas?

Regulæ & consilia Evãgelica plurimũ juvant ad observationẽ legis divinæ.

8. Sunt præterea Regulæ & consilia Evangelica maximo ad legis divinæ mandata observanda adjumento. Qui enim consiliorum perfectionem servare profitetur, ei ipsa mandatorum Dei observatio gravis non accidit: ex adverso qui consilia servare detrectat, nec ad perfectionem aspirat, ægerrimè Dei mandata servabit. Hoc in sensu declarat & exponit S. Thomas illud Christi Domini in Evangelio pronunciatum: *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum.* Nostin' inquit D. Thomas, qua id de causa fiat? *Quia difficile est, quòd homo præce-*

Quod lib. 4. art. 23. Matt. 19. 23.

pta servet quibus intratur in regnum, nisi sequens consilia, & ad perfectionem connitens, *divitias relinquat.* Ac si quis consilia sequi proponit, huic proclive est & mandata servare, certum est enim, ipsam divitiarum abdicationem, rem nullam ut propriam possidere, nulla item ut propria uti, magnopere conferre, ut homo securior sit nihil alienum se concupiscere: Deum quoque pro nos prosequentibus orare, & malefacientibus benefacere, conferre, ut ab inimicis odio prosequendis nimis quàm simus remoti: nunquam deniq; juvare, tametsi ad veritatem stabiliendam, conferre, ut à perjurio alienissimi simus Quamobrem benè docent sancti Patres, Regulas & consilia quæ in Religione profitemur, non modò onus non esse, verùm etiam adjumenti ac sublevaminis vicem præbere, ad ipsum mandatorum Dei onus facilè portandum.

Ser. 22. de verb. Apost. Bern. item epist. 341.

Regulæ sunt instar alarum.

9. Duabus id exemplis egregiè ostendit S. Augustinus: Agens namque de legis gratiæ suavitate, pondus ejus ponderi alarum avis simile esse perhibet, hæ enim adeò avem non gravant nec impediunt, ut etiam allevient, & in aera sustollant & foveant & alia plura præstent aliti adjumenta.

Regula rotarũ & alarũ instar non sunt oneri.

10. Sic & rotæ currules etsi aliquantulum graves sint & ponderosæ, tamen boves trahentes adeò non onerant, ut potiùs exonerent: & in tantum onus allevient, ut, nisi per rotas staret, ne mediam quidem ponderis quam trahũt partem, trahere possent. Pari modo est de Evangelicis consiliis, quæ Regulis nostris includuntur, sentiendum: utpote quæ tantum abest ut oneri nobis sint vel impedimento, ut etiam rotarum vicem quodammodo præbeant, & earum adminiculo legis divinæ onus ac jugum magna facilitate & suavitate supportemus: quod mundani nonnisi gemiscendo, sub onere fatiscendo, atque ad singulos propè passus cespitando, portant, eò quod harum alarum & rotarum subsidio careant. Hanc ob causam gratissimos Deo Opt. Max. nos, exhibere, Regulas magni pendere, & erga earum observantiam medullitus & intimo cordis affectu affici nos oportet.

Caput II.

Perfectio nostra in Regularum observatione consistit.

Prov. 31.

Legis custodia animæ vita est.

Custodi, inquit Sapiens, *legem atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia*, dulcitudo, suavitas, *faucibus tuis*, & palato spirituali; juxta illud Prophetæ: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & sanum ori meo.* S. Hieronymus epistola ad Hedibiam, in qua duodecim ab ea propositis quæstionibus ac dubiis respondet: quarum prima fuit, Quomodo perfect⁹ esse quis possit? eodẽ ad eã modo respondet, quo Christus Jesus adolescenti illi, qui (ut in Evangelio traditur) ad eum veniens & coram eo genua flectens, petiit, *Magister bone quid faciam ut vitam æternam percipiam?* quia salutis meæ negotium in tuto collocare in primis

Ps. 118. 103.

Hier. epist. Hedibiã.

Marc. 10. 21. Matt. 19. 21.

mis desidero. Cui Dominus, *Præcepta Dei nosti*; hæc serva & salutem in tuto receperis. Tum juvenis: *Magister, hæc omnia observavi à juventute mea*, qui sic respondebat & legem custodiebat, certè præclarè vivebat.

Custodia legis & virtus Dei oculis placet

2. Addit autem Evangelista Marcus: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum.* Ipso enim intuendi modo & suave revidendo satis exteriùs ostendit, quo eum amore propterea complecteretur. Virtus quippe & bonitas ex se adeò amabiles sunt, ut Dei oculos & cor ad se rapiant.

perfect⁹ est, qui Dei mādatis addit Evāgelica consilia.

3. Sed mox ad eum Dominus. Porrò *unum tibi deest: vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* In hoc, inquit Hieronymus, sita perfectio est, ut scilicet, ad ipsa Dei mandata, Evangelica consilia adjungantur.

Religiosa vita est mensa cum corona aurea. Exod. 25. 25.

4. Unde Venerabilis Beda ait, iis, qui ultra divina mandata etiam consilia sequuntur, secundum illam coronam auream, quam Moses priori superaddere in mensæ labio per circuitum jussus est, posse accommodari. *Et super illam alteram coronam aureolam.* Per hanc enim anagogicè illam intelligi præmii & gloriæ præeminentiam, qua præ aliis donabuntur ii, qui hoc in mundo ipsis etiam in perfectione anteierunt, præter divina mandata Evangelica insuper consilia sectantes, & hac de causa Redemptorem adjunxisse: *Et habebis thesaurum in cœlo.*

Matth. 19.21. Religioso pro-

5. Quid est hoc, quod post vitam æternam adhuc promittitur thesaurus in cœlis? Utique hoc consilia Evangelica sequens non modò vitam consequentis æternam, verùm etiam in ipsa cœlesti gloria eris ditissimus, & inæstimabilem thesaurum possidebis. Hanc quippe nobis Religiosis Dominus gratiam contulit, quòd non solùm nos *de tenebris in admirabile lumen* fidei & Evangeli sui *vocavit* (uti reliquos omnes Christianos) *& in regnum filii dilectionis suæ transtulit*, regnoque cœlorum cum electis & amicis suis donare vult; verùm etiam, quòd eminenter & præcellenter præ aliis in eo nos evehere & magnates quosdam efficere cupit: ideoque ad consilia Evangelica sectanda, ad ipsum, inquam, perfectionis statum, quem in Religione profitemur, nos evocavit.

mittitur præter vitam æternam thesaur⁹ in cœlo.

1. Pet. 2.9. Coloss. 1.13

Observātia Regularum itaque m. gni fiat.

Part. cōst. n. §. 1.

6. Æquissimum ergo erit, ut tam eminenti beneficio pari gratitudine respondeamus: quod faciemus haud dubiè, si quæ à nobis S.P.N. exigit, exactè observemus: *Quicunque*, inquit, *Societatem ingredientur, & in ea vivent, omnes constitutiones, Regulas ac vivendi rationem integrè, & ad amussim observare desiderent, & cum divina gratia ex toto & viribus, perfectè eas servare allaborent.* In hoc porro profectus nosse & perfectio consistunt.

Religionis nomen nos ad Regulas obligatos ostendit.

7. Hoc si fecerimus, boni futuri sumus Religiosi: si verò perfectè, Religiosi perfecti. Ipsum quoque Religionis nomen satis nobis obligationem indicat, qua ad hoc faciendum tenemur: ideò namque Religiosi dicimur, quòd ad Regularum & consiliorum Evangelicorum observationem nos ipsos religaverimus, ac veluti devinxerimus. Religiosus enim

idem

idem sonat, quod religatus ac revinctus: propterea quod non per divina mandata solùm ligatus sit & obstrictus, simpliciter perinde ac reliqui Christiani; verùm & per Evangelica consilia, quæ Regulis ipsis comprehenduntur denuò seu iterum sit alligatus.

Nomen Regularium observationem regularum flagitat.

8. Hac eadem de causa *Religiosi* ab Ecclesia vocantur *Regulares*, ob eam, qua ad Regulas suas servandas tenentur, obligationem, quod sanè nomen inprimis honorificum est, eoque in Jure Canonico appellari solent. In quo omnes quidem qui spiritualiter vivere profitentur *Cleri* nomine honorantur. Ii tamen, qui extra ordinis certi præscriptum vivunt suo arbitratu Clerici sæculares, vel sine addito Clerici nuncupantur; qui verò sub certo regimine & regulæ dictamine vitam agunt *Regulares* communissimè dici consueverunt.

Seß. 25. c. 26. Clerici Regulares sunt homines Soc. Iesu.

9. Atque ideò etiam nos, qui de Societate ista sumus à Concilio Tridentino, & in Bullis Apostolicis à summis Pontificibus, dicimur Clerici Regulares Societatis Jesu. Nomini ergo nostro usquequaque respondere studeamus, & maximè regulares, ac Regularum nostrarum observantes simus, ut nomini quo dicimur, vita ex æquo respondeat.

Custodiens ordinis sui regulas etiam custoditur ab illis.

10. Hinc sanctus Bernardus Religiosos quosdam, magno fervore in perfectionis stadio currentes; ad in fervore suo ulteriùs progrediendum, exhortans, ait: *Rogo vos, fratres, & multum obsecro, sic agite, & sic state in Domino dilectißimi, soliciti semper circa custodiam ordinis, ut ordo custodiat vos*. Adeò ut, quamdiu ipsi Religionis regulas custodiemus, ipsa nos custoditura sit Religio, inque virtute & perfectione conservatura.

Iud. 13. 5. 16. & 19. Regulæ sunt similes capillo Samsonis.

11. Tota Samsonis fortitudo & robur in capitis capillis sita fuisse perhibetur; hinc iis detonsis vires amisit, & à Philisthæis facili negotio victus & vinctus est. Quod egregia figura est rei, quam hîc tractamus. Quia sicuti Samsonis robur Deus in crinibus capitis situm esse voluit, quod Nazaræus esset (qui tunc erat, quod modo Religiosus est) ex cujus instituti & sectæ præscripto intonsam cæsariem alere debebat, nec novaculam super caput admittere: quia verò callidè & astu quodam ei capilli præsecti fuere, (quod arcanum ipse suum è nimio erga uxorem Dalilam amore, sui oblitus, detexisset) unà cum capillis Religionem æquè & fortitudinem amisit.

Virtus & robur Religiosi in regulis est situm, ut Samsonis olim in crinibus.

12. Simili ratione omnis nostra virtus & robur in Regularum (quæ in speciem leves parvique momenti res, perinde ac capilli videntur) observantia consistit: sumus quippe Nazaræi, id est, Religiosi, & hosce capillos fovere, alere, & nutrire tenemur, qui si nobis resecentur, ad instar Samsonis robore destituemur, facilè expugnabimur, & ab inimicis nostris Philisthæis illis tartareis, & dæmonibus constringemur.

CAP.

Caput III.

Tametsi Regulæ nostræ ad mortale peccatum, nequaquam obligant; hinc tamen occasio sumenda non est ad eas facilè transgrediendas.

Regulæ Soc. Iesu ex se non obligant ad peccatum.

1. Regulæ & Constitutiones nostræ ad peccatum, sive mortale, sive veniale, non obligant. Quod æquè est de reliquis ordinationibus ac mandatis Superiorum intelligendum, nisi quid Superior quid *in nomine Domini nostri Iesu Christi, vel in virtute Sanctæ obedientiæ* singillatim præscribat, quemadmodum in illis ipsis Constitutionibus declaratur. Noluit siquidem S. P. eas in laqueum & pedicam esse peccati.

6. p. const. c. 5.

Amore potiùs Dei quàm timore regulæ sunt observandæ.

2. Veruntamen nec eas nobis eum in finem proposuit, ut nos eas transgrederemur, quasi diceret, ordino ista & constituo facienda, ut non faciatis, hoc enim esset magna fatuitas. Ut idcirco nemo nostrum debeat earum violendarum occasionem & ansam temerè sumere nemo, nemo. Qua tamen persuasione multos dæmon inducere solet, ut Regulas & præcepta majorum de facili violent.

In proœm. Const. §. 1.

3. Quapropter S. P. N. cupiens hinc quidem nobis peccandi occasionem & laqueum, (qui ex ipsa Constitutionum & Regularum obligatione sequi poterat) eripere; inde verò easdem ut ne integrè & perfectè à nobis, ut ne latum quidem unguem à perfectione deflectamus, servari, ait: *Et loco timoris offensæ succedat amor, & desiderium omnis perfectionis, & ut major gloria & laus Christi Creatoris ac Domini nostri consequatur.* Atque adeò in ipso Constitutionum ac Regularũ principio sic habet: *Internæ caritatis & amoris illius lex, quam sanctus Spiritus scribere & in cordibus imprimere solet, ad id adjuvare debet.* Quod idem est cum illo, quod apud S. Joannem Redemptor Jesus ait: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Amanti sufficit Amati voluntatem nosse: benè morato filio satis est, solùm patris sui voluntatem scire, nullis ut aliis timoribus extrinsecus opus sit. Ioan. 14. 15.

Nec bonus Dei filius, nec servus est, qui regulas temere violat, eò quòd peccato non obstringant.

4. Unde quicumque Regulas, propterea quòd ad peccatum & infernum non obligant, facilè infringit, & parvi ducit; bonus non est filius, imò ne quidem bonus servus. Dic mihi, obsecro, illene opinione tua bonus & frugi servus foret, qui non aliter jussa herilia exequi vellet, quam dum stricto ense, & sub pœna mortis, hæc herus injungeret? Illane etiam morigera & morata dicenda conjunx, quæ marito suo diceret, equidem thorum alieno concubitu non polluam, sed fidem conjugalem servabo; cætero quin noris me, quidquid mihi in mentem venit, facturam, tametsi sciam fore ut id tibi displiceat?

Servare regulas formidine pænæ, vilissimi est mancipii.

5. Tales revera sunt, qui, quòd Regulæ ad peccatum & infernale supplicium non obligant, eas de proclivi transgrediuntur. Mancipiorum ac servorum id proprium est, qui nonnisi flagellorum & supplicii metu famulatum præstant: Unde Poeta:

Horat. li. 1. epist. 16.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ,
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Ut scilicet Deo magis placeant & gratiores sint.

Greg. li. 3. Dial. c. 16

Liberè! serva quæ regula dictat & regula non gravaberis.

6. Monachus quidam nomine Martius (ut scripto prodidit Magnus Gregorius) cùm in montem Marsicum solitariæ vitæ ducendæ ergò, se contulisset, inibi ferreæ pedem catenæ innexuit, hanc verò ad rupem affixit, ne longiùs posset vagari, quàm catenæ longitudo permitteret. Quo audito, S. Benedictus quemdam è discipulis ad eum misit, qui ei diceret: *si servus Dei es, non te teneat catena ferrea, sed catena Christi.* Qui ilico obediens catenam solvit; solutus tamen longiùs non processit, quàm catena se extendebat, vinctus jam in Domino, revera autem liber. Sic nos (quos à ferrea S. P. catena liberavit, ad Regularum observantiam, non sub reatus & damnationis obligatione, sed suavi amoris *Christi* Domini catena, constringi nos volens aurea hæc amoris catena magis ad illarum observantiam impellere, & potentiùs inflammare debet, quàm ferrea timoris peccati & pœna infernalis.

Regulæ duabus ex causis ad peccatū obligant.

7. Cæterùm duo hîc observanda sunt. *Primum* quando Constitutiones & Regulæ circa rem ad unum è nostris votis spectantem, aut lege naturali inhibitam, versantur, tunc illas sub peccati reatu obsignaturas, sed non tam virtute Regulæ vel constitutionis ipsius, quàm ratione voti, vel legis naturalis, uti id suprà demonstratum est. *Secundum* tametsi Regula ex se & natura sua ad peccatum non obstringat, nihilominùs aliquem eam infringendo peccare posse, quòd aliqua in eo negligentia, socordia, regulæ contemptus, vel vilipendium, vel quid simile, fortè interveniat. Sicut id D. Thomas de Ordinis Prædicatorii Regulis, quæ ex se etiam ad peccatum, tam lethale quàm veniale, neminem obligant, loquens benè observavit.

Tract. 3. c. 1.

2. 2. q. 106. art. 9 ad 3. & Cajet. ibi ad 4. dubium.

CAPUT. IV.

Materiæ parvitas non excusat regulæ prævaricatorem potiùs accusat.

Insignis etiam tentatio est dicere in Regula levia præcipi.

1. Aliam quoque, vulgarem satis, usurpare dæmon tentationem solet, ut Regulas aliquas nos transgredi faciat: nimirum, *parva, levia & nullius momenti esse dicendo, quæ iis aut vetantur aut præcipiuntur,* adeoque nullam sanctitatem & perfectionem in hoc consistere. Hoc ille astu (opem ac vires ad hoc ei præbente nostra inertia, languore & tepore) sæpè nos eas violare & infringere facit.

Hæc tentatio est retundenda, quod levis materia graviorem facit regulæ transgressionē exemplo Adæ.

2. Unde etiam adversus hanc tentationem armis quibusdam nos necesse est cōmuniri. Dico ergo *primò*, per ipsum quod in sui purgationem quis adfert, levia, videlicet ea & tenuia esse dictitans, adeò non culpam excusari & imminui, ut etiam quadamtenus ingravescat & adaugeatur. Est hæc doctrina S. Augustini: de Adæ namque inobedientia loquens, ait: Sicut Abrahæ in filio suo Isaaco immolando obedientia, meritò magna

Lib. 14. de Civit. c. 5.

gna & eminens reputatur, quòd res tam ardua & difficilis illi injuncta esset: *Ita in paradiso tanto major primi parentis inobedientia fuit, quanto id quod præceptum est, nullius difficultatis fuit.* Quòd nullus in hoc ei sit excusationi locus.

Grande objectũ exaltat virtutẽ, & minutum exaltat vitiositatẽ.

3. Quomodo enim se primi nostri parentes excusare potuere, quo minùs in re tam facili (uti erat ab una tantùm arbore abstinere) Deo vetãti obedirent, præsertim cùm aliæ permultæ in paradiso arbores, & forsan meliora ferentes poma, minimè deessent, de quibus comedere poterãt? Quid, quæso, fecisset Adam, si magnum quid ei Deus præcepisset? si, quemadmodum Abrahamo præcepit, filium unigenitum ut immolaret, ita ipsi mandasset, dilectam ut uxorem sibi sacrificaret quomodo in ea sacrificanda putas morem gessisset, qui, ne eam contristaret, ne à pomi quidem unius (uti mandarat Deus) esu abstinere voluit? Pari modo ex eo, quòd Regulæ, quas quis transgreditur, adeò sint servatu faciles, ejus culpa & inobedientia magis aggravatur. Quod etiam notavit S. Bonaventura: *Minima neglecta*, inquit, *eo turpius moribus maculam ingerunt*, hominemque reprehensione digniorem reddunt, *quo vitari faciliùs cognita potuerunt.* Si quod præciperetur, valdè grave foret, ac factu difficile; aliquis forsan excusationi esse posset locus; at in re adeò proclivi ac levi, quam adferre tui purgationem queas?

In specul. discip. ad novitios in prologo

4. Adhæc, quomodo mihi persuadeam, in arduis & difficilibus fore ut obedias, si ne in facilibus quidem ac levibus obedientiam præstes? cui enim credam, facturum eum quod majus est, qui quod minus est, non facit? Unde S. Bernardus; *Qui linguam suam & ventrem custodire non potest, monachus non est.* Et erat hoc, velut commune quoddam apud Priscos illos monachos principium, & ab eo suum illi abstinentiæ exercitium auspicabantur. Dicebant namq;, Quomodo, qui in exterioribus (quod facilius est) seipsum non vincit; in interioribus se (quod longè difficilius) superabit? quomodo spirituales & invisibiles (*contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*) hostes debellabit, qui exterioribus & quos præ oculis habet, prævalere & resistere nequit?

Non faciet magna, qui parva negligit.

Li. de interiori domo c.50

Eph.6.12.

5. Hinc facilè perspicere poterimus, verane an falsa sint illa, quæ interdum in nobis ipsis sentimus, desideria, ad res quasdam magnas suscipiendas: v.g. ad dura & laboriosa sustinenda, ad mortificationes extraordinarias obeundas, etiam ad mortem inter Infideles & Gentiles oppetendam. Si enim hic in umbra, ne levissimam pati & portare mortificationem vales, si etiam varias Regulas transgredi mavis, quàm ut te in venia petenda mortifices; quomodo te credam ardua & perdifficilia aggressurum?

Insignis modus probandi spiritus ad magna opera tendẽtes

6. Hanc rem acu tangẽs Bonavent. dicit: *Multi pro Christo optant mori, qui pro Christo nolunt parvas injurias & levia verba pati. Sed quem terret sonitus folii volantis, quomodo sustineret ictum gladii terribiliter vibrantis?* Si verbulum aliquod acerbius ab alio in te

Per parva itur ad magna.

 prola-

prolatum, quod leviter per auras volat, te turbat & inquietat; quid erit, quando persecutoris gladius reipsa desæviet? quid, quando falsa contra te in rebus gravibus testimonia producentur, & ut vera credentur? Quocirca idem Bonaventura auctor est, ut in rebus levibus nos vincere & mortificare assuescamus: qui enim in his seipsum mortificare & voluntatem suam frangere nescit, multò minùs faciet id in magnis: *Minima*, inquit, *adversa tolerare patienter assuescamus, quia majora non superat, qui minora tolerare non discit.*

In scala Relig. ar. 16. Exempl. 7. Novitius quidam (ut Dionysius Carthusianus refert) magnum primis conversionis diebus fervorem præ se tulit; exinde verò, (uti fieri assolet) intepuit ac prorsus refrixit. Principiũ fervet. Mediũ tepet. Finis alget. Initio namque, omnia illi erant perfacilia: at postea quælibet humilitatis & mortificationis exercitia illi difficilia apparere, & magnam ipse in illis obeundis molestiam cœpit sentire. Grave & permolestum inprimis illi videbatur vile & abjectum quoddam vestis genus, ab Novitiis pro more tunc gestati solitum. Huic ergo quadam die post meridiem dormitanti, apparuit per visum Christus Dominus, oblongam & gravem humeris crucem gestans: sub qua anhelans & fatiscens, gradus quosdam in proximo positos nitebatur ascendere; at, quòd crux esset immensum grandis & lata, per gradus eam attrahere nequivit. Qui vult venire post me, tollat crucem suam & sequatur me. Quem Novitius laborantem, & frustra conantem, miseratus, eique opitulari gestiens, ait, sine, obsecro, Domine, tibi me in cruce hac gestanda suppetias ferre. Sed severo & subirato vultu eum intuens Dominus, indignabundus ait; *Et qua tu audacia gravem & ponderosam hanc crucem ferre præsumis; qui ne habitum quidem illum, adeò etiam levem, mei amore gestare sustines?* Quo dicto, visum disparuit, & novitius experrectus, ad hanc exprobrantis Domini vocem ita erubuit, simul & animatus est, ut, ex eo tempore, quantum priùs in veste illa humili & vili gestanda molestiæ senserat, tantum postea in ea voluptatis sentiret & gaudii.

Caput V.

Quàm grave damnum sequatur ex eo, quòd Regulæ parvi fiant, tametsi in rebus levibus.

1. *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis erit: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus erit.* Luc. 16. 10. Quoniam hæc tentatio (qua nos in Regularum observantia dæmon remissos efficere vult, dein res eas nonnisi leves parvique momenti esse dicit; nostramque in eo perfectionem & profectum consistere negat) adeò communis est; hinc duo quoad hanc in præsentia declarabimus. Tentatio frequés est, minora non esse curare. *Primum*, quantum è parvarum harum rerum contemptu & vilipensione sequatur damnum: *Deinde*, quod è contrario bonum. Quia hæc duo Christus innuit in verbis antè allegatis.

2. De primo siquidem ait: *Qui in modico iniquus & infidelis est, & in majori iniquus erit.* Quod etiam antea Sed periculosa ideo superanda est.

Eccl. 19. 1. tea per Sapientis os Spiritus sanctus edixerat: *Qui spernit modica paulatim decidet.* Satis profectò hoc esse debebat, ut diligentes & exacti Regularum observatores essemus, neve illas eo quod parvi momenti & pretii esse videantur, transgredi præsumeremus.

Initium ruinæ est à parvis, ut patet in subversione Ierusalem. Thren. 2. 8.

3. Scimus quippe irrefragabile Dei verbum esse, eum qui modica contemnit, paulatim prolapsurum, nec antè peccandi finem facturum, quàm in majora & graviora impingat. Hoc scilicet modo & civitas quædam perdi & ab inimicis expugnari solet: uti olim in Jerusalem factum conqueritur Jeremias: *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion*, civitatis illius adeò validæ & turritæ, muroque & antemurali cinctæ: *tetendit funiculum suum* & mensuram, *& non avertit manum suam à perditione*: id est, antè non destitit, quàm ejus ruinam antè conceptam opere exequeretur. At quomodo eam executus est? dicet Jeremias: *luxit* & ad terram concidit *antemurale, &* statim, eo disiecto, *murus pariter dissipatus & aversus est*, itaque civitas occupata est & intercepta.

Regulæ sunt antemurali, hoc sublato mãdata Dei proniter quoque violãtur.

4. Ad eundem modum & animæ nostræ civitatem ingrediuntur & expugnant hostes tartarei. Regulæ namque (uti initio ostendimus) ejus sunt antemurale & vallum extimum, à quo ipse legis mandatorumque divinorum murus cingitur, ambitur & communitur, quamobrem ubi hoc antemurale concidere & subverti sinas, protinus etiam concidet & dissipabitur murus, itaque anima expilabitur, vastabitur & prædæ patebit. Sapiens enim præmonet, *Qui dissipat sepem mordebit eum coluber.* Eccl. 10. 8. Si itaque hoc regularum septum dissipare, & vallum destruere incipias; facta jam via serpens, ille antiquus hac ingredietur, teque commordebit. Si vineæ sepem & maceriam auferas, & quod intra eandem continetur, patere prædâ patiare, statim eam *vindemiabunt omnes, qui prætergrediuntur eam.* Ps. 79. 13.

Quomodo Regulas negligens paulatim Dei mãdata violet.

5. Ut autem meliùs hoc intelligatur (est enim maximi momenti punctum) omissis metaphoricis & figuratis loquendi modis, apertè & simpliciter loquemur. Nosse vis, quomodo, quod Spiritus sanctus ait, verè possit contingere, ut qui parva & modica negligit, paulatim in graviora prolapsurus sit? Eodem planè, quo in peccato veniali contingere tum Theologi & sancti Patres docent, tum nos pueris in Catechismo declaramus.

Veniale disponit ad mortale.

6. Peccatum veniale, inquiunt, quædam est ad mortale dispositio & via. Venialia quantumlibet multa sint, nunquam unum constituunt mortale, nec ad animæ mortem inferendam, gratiamque & amicitiam Dei auferendam satis sunt; tametsi illam, tum emolliendo & debilitando, tum tepefaciendo eodem disponant & inclinent, ut facilè ab occurrente aliqua tentatione atque impugnatione queat expugnari, itaque in aliquod letale scelus præceps ruat.

Simile de multis modicis

7. Quemadmodum primi machinarum bellicarum in mænia impacti impetus, etsi ea statim ad ter-

coacer-

vatione valentibus multum.

ram non dejiciant, quatiunt tamen & disponunt, ut à postremis ictibus haud ægrè sternantur: & sicut guttæ impluvii in petram incidentes, licèt per se quæque eam excavare, & lacunam in ea facere potens non sit; eam tamen singulæ ita disponere valent, ut in hujus dispositionis virtute, post sequentes guttæ eam excavent & lacunent. Unde Iob: *Lapides excavant aquæ, & alluvione paulatim terra consumitur.*

Iob. 14. 19.

Primò fit præter, postea contra Deũ.

8. Consimili modo peccatum veniale hominē ad letale deinde committendum disponit & præparat; paulatim enim quis peccati timorem exuit, & facere incipit quod præter amorem Dei est, exinde statim aliquid, quod contra amorem eundem est. Qui, v.g. pro nihilo ducit mentiri, vel etiam citra necessitatem jurare; cito corruet, &, malum unum alteri commiscens, audebit & passim mendacium, aut rem aliquam dubiam juramento confirmare, juxta illud: *Qui mentiri solet, pejerare consuevit.* Itaque homo in letale crimen prolabitur.

Qui murmurare assuevit rebellare cœpit.

9. Qui in parvi momenti rebus murmurare & obloqui religioni sibi non ducit; mox occurrente occasione quæ gravior, & non ita levis sit, se in præsentissimo letaliter peccandi periculo constitutum comperiet.

Qui cum primis moribus ludit, secundos sensim non horrebit.

10. Qui ex negligentia oculos hinc inde leviter circumfert, qui orientes sibi de rē illicita & fœda cogitationes non statim repellit, haud procul à ruina distat: etenim aliquando, cum minus cogitabit, & nec opinantis cor rapietur quò oculi vel cogitationes ferebantur, & in momento prolapsum se intelliget. Nihil quippe aliud per negligentem hanc incuriam, & iterata venialia peccata diabolus spectat, quàm ut ad mortalia viam sternat.

Negligētiæ Regularum sunt sponsalia magnorum peccatorum in religioso.

11. Eodem igitur modo se res habet in Regularum transgressione & vilipendio. Diabolus gradatim ac paulatim nos ad gravius malum disponit ac conducit, donec tandem in enormi atque horrenda scelera nos præcipitari faciat. Principio, religioni sibi homo ducit parvam aliquam Regulam infringere, postea non tantum in eo remorsum sentit, & tandem nullum penitus: pari etiam modo passuque in orationis studio, in examinibus, & reliquis exercitiis spiritualibus intepescit ac languescit (nam hæc pluris illi non sunt, nec antiquiora quàm Regula) modò ipsa penitus omittendo, modò non pro eo ac oportet, sed nonnisi pro forma, nulloque inde collecto fructu, peragendo.

Ibi principium ruinæ in religiosis est, ut fuit in Iuda.

Ioan. 12.

12. Ex hisce initiis, quæ exigua & levia in speciem sunt, ingentes Religiosorum oriri lapsus & ruinæ solent; uti notant Patres exponentes illa Evangelistæ Joannis verba, quibus Judæ proditoris contra Mariam Magdalenam, quòd pretiosum illud unguentum Salvatoris Jesu pedibus inungendis adhibuisset, murmurationem commemorat, qua scilicet satius longè futurum fuisse dicebat, si ipsum venundatum esset, & redactum inde pretium in pauperes effusum. *Dixit autem hoc* Judas (ait Joannes), *non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat & loculos habens,*

ea

ea quæ mittebantur portabat. Hinc quia unguentum istuc vendere, ad ipsum (utpote œconomum) spectabat; ægrè ferebat, denariorum illorum decimandorum sic sibi ablatam occasionem esse: quapropter in damni hujus compensationem, Redemptorem Jesum triginta illis denariis, quorum in unguento effuso jacturam fecerat, vendere statuit.

Negligētiæ Regularum sunt sponsalia magnorum peccatorum in religioso

Tract. 10. in Ioann. Non tūc quando apparet, cœpit malum ruinosi religiosi, Sed Apostata sensim animo perversus fuit.

13. Observa, inquit S. Augustinus, & vide, Judam non pessum ivisse tum, cùm Christum vendidit: neque enim hæc prima mali ejus origo fuit, quippe id dudum corde foverat, secumque ferebat: Jam tum fur erat, & filius perditionis, Christumque corpore solùm, non animo sequebatur. Sic tum grandem Religiosi alicujus lapsum advertes, ne tum primum malum ejus cœpisse puta, quia jam antè in perditionis statu versabatur: jam dudum corpore tantùm in Religione agebat, non animo: jam dudum spiritu omni caruit, jam dudum orationes & examina omisit, jam dudum Regulas prægredi grave non duxit. Hisce ergo de pulveribus istud est lutum coalitum. Idem quoque notat S. Hieronymus dicens: *Infelix Iudas, damnum quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult Magistri precio compensare.* Vide, quò malorum, auri cupiditas, & quòd paulatim de pecunia quid clanculum tollere, & exhabendi amore sibi vindicare inciperet, sacrilegum, Judam perduxerit: ut & ipsi, etiam in rebus admodum parvis, incipere timeamus.

Ibi principium ruinæ in religiosis est, ut fuit in Iuda

In c. 16. Matth. super illa verba: Quid vultis mihi dare, &c.

Hoc videlicet est, quod ait Iob: *Famem ejus* (inimici) *præcedit egestas.* *Iob. 41. 23.* Primò namque anima, per imperfectionum & culparum venialium multitudinem, nec non orationis spiritualiumque exercitiorum defectum, depauperatur & debilitatur indeque in gratia & mortalia facilè proruit: Qui negligenter ambulat, omnigenas imperfectiones passim deglutiens; mox etiam aperta & manifesta peccata devorabit. Quocirca caveamus diligentissimè, ne quem dæmoni aditum patefaciamus, ne Regularum timorem ac reverentiam deponamus, ipsasque vilipendamus.

Simile.

14. Et quoniam per Jeremiam sic Dominus comminatur: *Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te desertam terram inhabitabilem:* hinc operam da, ut Religiosæ huic disciplinæ & observantiæ, quam nos Regulæ docent, te conformes: ne fortè à te recedat Omnipotens, itaque ipse derelictus, turpiter & fœdè prolabaris.

Ier. 6. 8. Servat Regula servantem eam

Caput VI.

De ingentibus donis, quæ è Regularum observantia & æstimatione sequuntur, etsi illa circa res parvas versentur.

1. **E***Vge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* His Redemptoris nostri Christi verbis ingentia nobis declarantur bona, quæ è diligenti Regularum observantia, reverentia & æsti-

Matt. 25. 22. Opera homini ferunt fructum suum. bona bonū; mala malū.

& æstimatione, quamvis circa minutas & parvi momenti res eæ versentur, in hominem resultant. *Euge*, inquit, *serve, &c.* Porro tam eximium & supereminens erit gaudium & merces, quòd te eò quòd super pauca fidelis & diligens fuisti, manet, ut gaudium non dicatur intraturum in te (qui à te capi non poterit,) sed ex adverso tu ingressurus in gaudium, ipsoque sic circumflexurus, perinde ac dum in aulam intras, quæ te multò capacior & amplior est. Et alio in loco ait: *Mensuram bonam, & confertam, & cogitatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* Præmii & gloriæ, quæ propterea nobis dabitur, mensura non est parca, curta, & ex æquo commensa, sed conferta & superabundans.

Luc. 6. 38

Validère munerat Deus parva bona: quia fidelitas major in his apparet.

2. Videamus jam, quamobrem eos qui in modico fideles sunt, tam amplè Dominus remuneretur & extollat. Causa in promptu est, quia in his rebus parvis & modicis meliùs alicujus fidelitas elucescit, & quid facturus sit tum, cùm majora illi committentur. Ita id Dominus ipse apud S. Lucam asseverat, dicens: *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis erit.* Notandum verò non dixisse Dominum, qui fidelis est in maximo, & in minori fidelis erit: sed contrà: magis namque fidelitas alicujus perspicienda videtur in modico, quàm in multo: sicut fidelitas œconomi, aut quæstoris, alicujus non tam apparet in eo, quòd centum aut mille aurei rationibus ejus non desunt, quàm, quòd ne obolus quidem.

Luc. 16. 10.

Obedientia filii in minimis maximè notatur.

3. Bonus & obsequens famulus non tam agnoscitur in rebus magnis exequendis, quàm in parvis & minutis, & ad quas faciendas minimè obligatus erat. Boni denique filii obedientia, & erga Patrem amor non tam colligitur eo, quòd in gravibus, magnique momenti rebus ei morem gerit, quàm, quòd ne in minutis quidem à patris voluntate ac beneplacito vel latum unguem deflectere satagit, aut aliquid facere, quo eum vel minimum offendat, aut modicam molestiam creet.

Bonus Religiosus minima cavens magnis præmiis beatur.

Exempla obvia & palpabilia.

4. Pari modo Religiosus bonus non tam ille habendus est, qui sedulò cavet ne in graves defectus ac letalia crimina incidat, quàm qui singularem ac magnam in omnibus regulis & obedientiis quantumlibet minutis, ad implendis solicitudinem ac diligentiam adhibet. Hæc itaque causa est, cur eos qui hujusmodi sunt, Dominus ita remuneretur & extollat, tantis quoque beneficiis cumulet, adeò denique in eos liberalis & effusus sit, propterea quòd ipsi vicissim Deo se liberales exhibeant. Atque hoc innuit Apostolus Jacobus, dum ait: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.*

Iac. 4.

Liberalis in Deum liberaliter habetur à Deo.

5. Quanto autem Deo fies vicinior, liberaliorem que te erga eum exhibebis; tanto ille in te effusior erit, majoribus te beneficiis & favoribus præveniens. Jam qui seriò sollicite que allaborat, ut Deo placeat, ejusque voluntatem faciat, non in iis modò quæ obligationis sunt, verùm etiam quæ consilii & supererogationis; nec tantùm in majoribus, sed & minoribus, atque adeò omnibus, id quod

Matt. 19. 14.

quod melius & perfectius est, quodque divinæ voluntati conformius fore novit, agere procurat, is in Deum liberalis est: hinc & Deus vicissim in illum se liberalem præstabit. Hi intimi & familiares Dei amici sunt, hi eminentioribus ab eo gratiis & prærogativis extraordinariis donantur, hi magis in virtute & perfectione crescunt, & super alios proficiunt & excellunt. Uti etiam experientia teste videre est.

Exempla obvia & palpabilia.

6. Horum siquidem nonnullos cognovimus, in spiritu & donis divinis admodum eminentes: alios audivimus, esto veterani essent, in cujuslibet tamẽ regulæ & præcepti, (quantumlibet parvi & minuti) observantia & exacta custodia, tam singulares fuisse, ut intuentibus & exemplo essent & confusioni, per hanc scilicet viam illos Dominus ita extulit & eminentes reddidit. Imò in sæculo, videre est famulos, qui dominis suis hoc modo serviunt, omnimodis soliciti, ut, quacunque in re possunt, magna æquè ac parva, ordinaria pariter & extraordinaria, illorum voluntati pareant & placeant, illorum prę conservis suis benevolentiam sibi conciliare, donaque & beneficia eximia ab illis consequi. Ita & in domo Dei res se habet. Sunt quippe qui se velut parvulos gerunt, se inquam, humiliant, & parva ac minuta in Religione exequi gaudent, hos præ aliis complectitur Deus, hos deliciosiùs tractat, his item multa beneficia præ aliis elargitur. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum cœlorum.* Matt. 19. 14.

Parva contemnentes Deus respicit.

7. At qui altum sapiunt, libertatem sectantur, & velut emeriti ac veterani parva adeò non magni faciunt, ut etiam quodammodo contemnant & dedignentur, rati, novitiorum ea propria esse: eos Deus humiliabit, & à se seu spurios rejiciet, juxta illud Prophetæ: *Si non humiliter, Domine sentiebam, sed exaltavi animam meam, sicut ablactatus est super matre sua ita retributio in anima mea.* Ps. 130. 2. Mater enim sua puero jam grandiori ubera & lac subtrahit, ac pusioni ea præbet, eumque brachiis & sinu fovet. Nisi ergo, inquit, me Domine instar pueri humiliem, projice me à facie tua, & à conspectu tuo ablega, sicuti mater filium quem ablactare vult, à se abdicat. Adhæc, puero jam ablactando: papiliæ absynthio & amaro aloës succo inunguntur, ut in quibus miram antea suavitatem & dulcorem percipiebat; amaritudinem jam in illis inveniat. Hanc maledictionem David etiam sibi imprecatur, quam & extendit ad eos qui se jactabundè efferunt, qui pueri & parvuli esse detrectant: ut nimirum cùm antea in oratione & exercitiis spiritualibus, dulcedinem & saporem inveniant, in iis postea amaritiem experiantur, omniaq; illis in absynthium transeant.

8. Quam ob causam ait D. Hieronym. *Mens Christo dedita,* eique placere gestiens, *æquè & in majoribus & in minoribus intẽta est, sciens, etiã pro otioso verbo* ac cogitatione Deo, *reddendam esse rationem*: & optimè intelligens, à rebus minoribus paulatim ad majores descensum & prolapsum fieri, nec Epist. 30. ad Heliodor.

gnara sibi , si in modico fidelis est, multa ac magna à Deo collatum iri. Itaque nihil ut exile & modicum reputat , sed omnia plurimi & permagni facit. Hoc ipsum seriò inculcans S.Basilius ait: *Stude, ut majorum virtutum compos efficiare, neque minores tamen negligito. Nullum omnino sit erratum, quod parvipendas: quamvis illud tenuißima bestiola minutius sit.* Nullus enim inimicus est , qui contemptus non cumprime nocere, magnumque nobis inferre damnum queat.

In princip 2.tō. fol.4. pag.2.

Caput VII.

Quod hactenus dictum est, aliquot exemplis confirmatur.

I. Exēpl. 1. NAaman, dives & potens erat, & Regis Syriæ intimus, utpote militiæ ejus princeps, verum lepra infectus. Hic cognito, in Samaria Prophetam esse , Eliseum nomine, qui omnigenas curaret infirmitates, ipsos etiam mortuos ad vitam revocaret; commendatitias à Rege Syriæ ad Regem Israel litteras obtinet , ut hic illum à lepra sua , mox ut venisset, & litteras protulisset, curari juberet. Itaque in Samariam magno cum equorum & curruum apparatu, profectus, ut ad Elisei ostium venit, servos ad eum ingredi cum mandatis jubet. Sed hic ad Naaman foras non egressus, dumtaxat ei renuntiat: *Vade & lavare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Hoc responso iritatus Naaman , *Putabam*, ait, *quòd egrederetur* Propheta *ad me, & stans* magnis cerimoniis, *invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ & curaret me:* & ecce aliud nihil dicit, quàm ut in Jordane laver. *Numquid non meliores sunt Abana & Pharbar fluvii Damasci omnibus aquis Israel, ut laver in eis & munder.* Abeamus ergo: neque enim idcirco huc me tanto labore venire necesse erat. Cùm ergo conversus abitum pararet, quòd putaret id parvi momenti esse , & propterea vilipendendum; accesserunt ad eum servi sui , eo haud dubiè prudentiores, & dicunt, *Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta , certè facere debueras; quanto magis, quia nunc dixit tibi, Lavare & mundaberis ?* Ergo rationi cedens, ad Jordanem abit , & septies in eo se lavat: post lotionem, à lepra mundatur, *& restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli.* In eo ergo quod illi parvum, contemptibile & exiguum videbatur, ejus salus & valetudo consistebat.

4. Reg. 5. 10.

Naaman in parva re obediens sanatur à lepra.

2. Idem etiam in spiritualibus usuvenit: quippe in exilibus & minutis illis rebus , quas regulæ præscribunt, salus nostra, profectus, & perfectio sita est. Sic etiam imaginis alicujus perfectionem & venustatem nonnisi quibusdam in apiculis & lineolis tenuissimis consistere certum est. Sanè si, ad salutem spiritualem , profectum & perfectionem hanc consequendam tibi diceremus difficilia & ardua quædam suscipienda esse, *certè facere debueras*, & quam iis impenderes operam , ut benè collocatam & impensam credere ; quanto magis nunc , cùm per tam factu facilia eam te consecuturum dicimus? Quocirca

Salus nostra in minimis sita est, sæpè ut Naamani valetudo in lotione Jordanis.

quòd

quòd regulæ circa res tam faciles & parvas versentur, id nulla nobis inertiæ & negligentiæ esse debet occasio; sed ut magis ad eas servandas animemur, cùm rebus tam parvis & facilibus profectum & perfectionem nostram, contineri videamus.

II. Exēp. *Lib. de viris illustribus ord. Cistertiens.* Monachus in micis colligendis sedulus meruit miraculo gēmas.

3. Cistertiensibus Monachis olim per Regulam præscriptum erat, ut sub mensæ finem superstites micas panis quisque colligeret, easque vel comederet, vel in lanceam conjiceret. Factum est autem, ut, cùm Monachorum quispiam, Deum timens, & Regularum observans, micas jam collectas (à lectione mensali, cui intendebat, absorptus) in manu teneret; Prior lectionis finiendæ, & à mensa surgendi signum daret. Monachus ad se reflectens, perplexus hæsit, quòd micarum absumendarum, vel in lancem mittendarum jam non esset locus, unde ob negligentiam, quam in illius regulæ observantia ostenderat, confusus, aliud ejus resarciendæ remedium sibi non putavit esse, quàm ut culpam confessurus Superiorem adiret, & pœnam irrogari sibi propterea peteret. Micas ergo pugno clauso tenens, dictis à mensa gratiis, Superiorem adit, & ad pedes ejus prostratus, culpam profitetur, magnaque animi demissione pœnam expiandæ negligentiæ sibi aliquam petiit injungi. Prior pro ratione & mensura culpæ, eum corripit, rogans quid de micis factum esset? Eas manu, inquit, etiamnum contineo. Mihi, ait Prior, eas exhibe: Alter paret, sed pugno aperto micarum loco gemmas pretiosissimas exhibet. Notat autem eo loco historiæ auctor, hoc Deum miraculo monstrare voluisse, quàm sibi ferventes Religiosi, quique non primarias solùm, sed & minutas Regulas exactissimè custodiunt, placeant. Idem exemplum refert & Surius in vita S. Odonis Abbatis, idque ei cùm adhuc subditus esset, contigisse: quamvis id ipse (qua erat humilitate) ita narraret, ac si alteri cuidam Religioso evenisset. *Tom. 6. in Novemb.*

III. Exēp. *Cæsarius lib. 6. Dial. c. 1.* Monachus minutæ Regulæ negligens prælaturæ non admovetur.

4. Tempore Frederici Imperatoris, cùm una ex Abbatiis Imperialibus, quibus de Præposito prospicere ad Imperatorem, ratione juris Patronatus spectabat, vacaret, duoque ad eam Monachi denominati essent, & uter alteri præferendus esset, incertum foret; alter eorum magnam auri vim Imperatori, quam in Monasterio coacervarat, obtulit, quatenus sibi suffragium ferret. Accepit aurum Imperator, seque pro eo staturum recepit. At postea comperto, ilius competitorem, virum bonum, simplicem, virtutibus conspicuum, Regularumque suarum observantissimum esse, cum suis consilio initio, qualiter indignum illum amoveret, & ob virtutes suas electum confirmaret: à quodam suorum audiit: Domine, audivi Monachis illis regulam esse, ut acus sartorias portent: Petat ergo vestra Majestas (ubi in Capitulo Monachali erit) ab illo dissoluto & irregulari acum mutuo, quasi volens digitos suos mundare: quam si ille ad manum non habuerit, invenies causam, cur eum ad Præposituram non admoveas, quod

regulam non servet. Quod cùm factum esset, & ille acum non haberet, ait competitori. Acum, quæso tuam, Pater mihi mutuam da. Quam cùm hic ilicò produxisset ac dedisset Imperatori, audit ab illo: Næ tu bonus es Monachus, ac proinde tanto honore dignus: Equidem decreveram collegam tuum denominare, sed ille se indignū reddidit, cum regulas non servet. Apparet enim, qui parva negligit & non curat, etiam magna neglecturum. Hacque occasione isthoc à regimine amoto, alium illum regulæ observantem ad id promovit.

IV. Excp. Cæsarius lib. 4. c. 89. Carnem contra regulam comedēs deglutire eam non potest.

5. Matrona quædam nobilis cùm mundo nuntium remittere, & habitum Religionis assumere vellet in Monasterio, cui ut Vicarius præerat Monahus quidam Florinus nomine; ipso reclusionis suæ die lautum notis & amicis convivium exhibuit: ad quod etiam dictum Vicarium invitavit. Sæcularibus quidem carnes, Florino verò pisces appositi erant: nam ex Regulæ præscripto, & quod Abbas ita jusserat, carnem gustare non poterat. Is ergo carnem appositam videns, cœpit eam appetere, manuque in scutellam vicinam missa, assæ frustum arripuit, & cum jucunditate quadam ori ingessit. Sed, justo Dei judicio, buccella illa ita gutturi transversim inhæsit, ut nec infernè trajicere, nec supernè ejicere posset. Cùm propè jam suffocaretur, & oculis inversis jamjam esset exspiraturus; ejus socius pugnum tam validum cervici Florini impegit, ut carnea buccella foras exiliret.

Cognoverunt autem omnes, id in ejus obedientiæ pœnam & castigationem contigisse.

V. Excpl. 1. p. l. c. 60. Historia ordin. D. Dominici Ferdinando Castillio auctore. Sine venia bibens à dæmone obsidetur.

6. Cùm S. Dominicus Bononiæ habitaret, ecce subitò de nocte dæmon fratrem quendam laicum tam crudeliter contundere cœpit fustibus, ut ad verborum inflictorum strepitum & fragorem reliqui fratres excitarentur: qui eum mox mandato S. Patriarchę ad templum detulere. Verùm adeò fuit gravis, ut vix decem fratres eum ferre possent. Januam ingressis, omnes flatu uno lampades exstinguuntur, nihil prorsus ut viderent, dæmone interea miserum Laicum diris modis torquente. Tum Dominicus eum in nomine ac virtute D. N. Jesu Christi dicere jubet, cur fratrem hunc cruciaret, & in ipsum ingressus esset? Respondit Dæmon, Quia hesterna vespera, sine venia & præmissa benedictione bibit, in quo instituti sui morem & Regulas est transgressus. Hæc dum fiunt, & ad Matutinum signum datur, dæmon eo audito, ait. Diutiùs hîc me commorari nefas est, quia jam cucullati ad Deum laudandum surgunt. Et his dictis abiit, fratre seminece recto, adeoque contuso & elumbato, ut toto die proximo in pedes consistere, seque loco movere non posset.

L. 1. dial. c. 4. Simile huic exemplum refert S. Gregorius in Dialogis, de Moniali, inquam, cùm Lactucam non præmissa benedictione comedisset, malignus spiritus ingressus est.

Cap.

V.Exempl. 1.p.l.c. 60. Historia ordin. D. Dominici Ferdinando Castillio auctore. Sine venia bibens à dæmone obsidetur,

Caput VIII.

De aliis quibusdam rebus, quæ Regularum infringendarum esse solent causa: & quo adversus illas remedium.

Magnũ Regulæ servandę obstaculum est retinentia sui.

1. Regularum violatio interdum, à nescio quo, pudore pusillanimi, & sui retinentia, vel (quod potiùs dicendum) nimia immortificatione ortum habere solet; nimirum dum quis, in petenda à superiore licentia faciendi id, quod sine illa facere nefas est, difficultatem aliquam sentit. Unde hanc necesse erit difficultatem complanare & tollere, quam tollendo magnum Regulæ prævaricandæ incitamentum erit sublatum.

Remedium practicũ.

2. Non dico igitur, ut planè ex gr. non bibas, non comedas, non loquaris, non accipias quod alius tibi dare vult; sed, ut omnia illa cum Superioris facultate facias. Quod enim cum Dei ac Superiorum benedictione facere potes, cur id sine illa exequi cupis? At dices, *Anne toties, & ad singulas reculas ac minutias, Superior mihi adeundus?* forsan est occupatus, & ægrè id feret. Hæc est impostura & error, contra quem in præsentia scribo. Adeò certè Superiores propterea non stomachantur, ut nulla è re majorem consolationem sentiant, magisve, ædificentur, si prudenti vel humano modo iste aditus exerceatur. Hoc namque eorum officium est. Tanti porro Religioso facit, esse te in obediendo prudenti modo exactum, nihilque penitus sine licentia facere (quo hac ratione magis proficias, & meritum tuum fiat amplius) ut nimium esse non credas, si unum alterumque tibi Superiorem constituat; quorum partes sint, tibi ad quæcunque opus erit, licentiam dare.

Ei. ibid. c.4.

Simile.

3. Ergo, cùm id suum esse officium, & in hoc se missos norint, certum est, illos minimè stomachaturos, gavisuros potiùs quod ad ipsos recurras. Non secùs ac mercatores & opifices ægrè ferre non solent, quòd aliqua negotiationis, opificiorum & artis suæ exercendæ sibi detur occasio: imò eo gaudent magis, quo opificium exercent sæpiùs, & plures merces ipsorum empturi confluunt. Sic & boni quique Superiores facere solent. Unde si tu secus de aliquo eorum sentias, tantundem haud dubiè facis, ac si eum ut bonum superiorem non haberes.

Quod ex Regula sit custodi Regulæ displicere non potest.

4. Adhæc, quomodo ægrè ferat Superior, quòd ad ipsum recurras, licentiam ab eo petiturus, faciendi ejus quod te ea non habita facere non posse novit? Si impertinentia & superflua quædam rogaturus, eum adires, vereri fortè posses, ut gratum tuum accessum haberet; sed cum petas quod in Regula signanter exprimitur, miro potiùs gaudio afficitur: magnæ quippe illi consolationi est, cùm videt subditos suos tam exactos Regularum esse observatores, & jussorum ita observantes, ut parva ac minuta tanti faciant.

Displicet po-

5. Contrà, quod cum hujusmodi rebus ad Superiores non recurratur, magno-

tius contra Regulam fieri.

magnopere ipsos cruciat, & molestiam iis non parvam creat: vident enim, Religiosum illum libertatem & exemptionem quandam ambire, & jam ex arbitrio, & sine licentia isthæc omnia facere audere, perinde ac si nullus domi Superior ad manum esset, ad quem posset recurri, & quasi nulla esset Regula, quæ iis de rebus meminisset. Hoc certè par est Superiorem, ceu bonum aliquem patrem, de bono filiorum solicitum, de malo verò indolentem, ægrè ferre. Hoc proinde seriò cavere deberemus, ut ne hanc Superioribus nostris molestiam creemus.

Nec grave debet esse negare id quod agere vetamur per Regulam.

6. Inde etiam infertur, quemadmodum nemini grave videri debere diximus, Superiorem adire, ad licentiam petendam ejus rei quam & à Regula præscribi & se sine licentia facere non posse novit: ita multò minus nobis grave videri & pigere debere, fratri nostro indicare, non esse nobis facultatem faciendi id, quod ipse per Regulam vetari, & sine facultate à nobis fieri non posse novit. Est hoc permagni momenti monitum.

Astutia Naturæ nostræ ad executiones invenien das contra Regulam.

7. Solent quippe idcirco nonnulli Regulas quasdam transgredi, ne se mortificent, dicendo, non habere se loquendi, vel accipiendi id quod datur, facultatem: qui tamen interdum se excusant, dicentes, ideò se id fecisse, nec dicere ausos fuisse id sibi facere nefas esse, ne alium illum mortificarent. Sed hoc nihil est aliud quam alium ut parum Religiosum, & Regularum suarum parum observantem censere.

Regulæ tuæ observans ædificat alios.

8. At noveris adeò eum inde non mortificandum, ut etiam valdè ædificandus sit, ubi te Regulæ tam vidébit observantem: utpote qui fortassis hac in occasione tui periculum facere voluit, & videre, quàm tu Regularum tuarum sis solicitus & tenax. Te igitur Religiosum (es etenim) & Regularum tuarum observantissimum esse ostende: hoc enim nemini displicere potest, placere potest plurimum.

Alia astuta adinventio contra Regulã.

9. Alii nihilo melius hic se excusare solent, dicentes: Ideò id feci, ne scrupulosus viderer. Hæc item parum laudabilis excusatio est: nam quòd quis Regularum suarum observans sit, non tamen est scrupulosum videri, quàm Religiosum. Et sanè malum inprimis & illaudabile foret, si quis eo erubesceret, quod Religiosus, Dei servus, Regularumque amans videatur.

Mundus curat quid alii loquatur dum benè agendum est. Joan. 3.

10. Hic namque inter alios mundi abusus & errores est, quod, cùm quis virtutum inire viam, Sacramenta frequentiùs usurpare, & aliquatenus se ab sæcularium conversatione per solitudinem subducere proponit; hi statim obloquantur, piaque alterius proposita exsibilent. Unde multi palàm & apertè virtutum se exercitio dare non audent. Sic in Evangelio princeps ille ad Christum nonnisi de nocte venisse scribitur, quòd de die & palam omnibus venire non auderet.

Non sic Religiosus.

11. At in Religione planè aliter se res habet: & danda nobis opera, ut semper ita se habeat. Inter alia magna, quibus nos Religiosi fruimur,

bona,

bona, illud non postremum est, quòd in eorum congregatione agamus, qui in virtute indies proficere, & semper Religiosores esse student: in quo qui magis excellit, is pluris æstimatur. Bonus porro Religiosus, ita in amore Dei ac virtute fundatus & solidus sit, ut esto aliquam in hoc cœpto contradictionem experiretur: non propterea à bono, & quod melius est, sectando dimoveri, nec Religiosus & Dei servus videri erubescere debeat.

Si iste erubescit Dominū suū cōfiteri, non agnoscet eum Dominus pro suo. Luc. 9.26

12. Nam quem hujus rei pudebit, timere debet, ne & Dei Filius eum pro servo suo agnoscere, & coram Patre suo confiteri erubescat, sicut apertè in Evangelio asseverat: *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua & Patris & sanctorum Angelorum.* Si quis nobilis conduxisset famulum, qui eum comitaretur & stiparet; hic verò tam arrogans & fastuosus esset, ut, cùm simul cum domino foras prodit, non ponè eum, sed procul ab eo sequatur, ne illius famulus videatur, certum est: illum domo ejiciendum, & proscribendum. Idem porro supplicium metuat, quem & Dei servum, & Regularum suarum servantem videri pudet.

Religiosus ex Reg. vivens domesticos & externos ædificat.

13. Ut autem rem hanc omnem clarè perspiciamus, ipsi nobis persuadeamus necesse est, non domesticos solùm, sed & exteros multum ædificari, si quando nos in Regularum observantia exactos, & illarum perstudiosos vident. v. g. Si quando cum illis loquentes campanæ signum audivimus, ac dicimus, Domine ad hoc vel illud officium signo hoc evocamur: & honestè modesteque eis dimissis, nos conferimus quò vocamur. Constat certè sæculares nonnullos hoc facto magis ædificatos fuisse, & plus inde commodi cœpisse, quàm ex longo sermone, quem apud eos manendo, pertrahere potuissemus, & verò cum qui id facit, senior est, majoribusque naturæ donis instructus, tunc magis ædificantur.

Falsæ prætensiones formamus, nō existentes à parte rei.

14. Quare, cùm quis in Regulis servandis exactus & serius est, & facultatem sibi petendam esse ait hoc illudve faciendi, quod alter eum novit sine ea facere non posse; id non est tacita suarum rerum retinentia, tenacitas & durities: non incivilitas (etsi alius ille Pater sit annis gravis:) non denique scrupulositas, sed ardens erga disciplinam Religiosam studium, & proficiendi desiderium, itaque dico, hoc neminem offendere & omnes maximè ædificare. Si singulare & extraordinarium quid cuipiam esset faciendum, aliquam fortè excusationem mereri videatur, tum dicere: singularis videri nolo, ne me quis hypocritam putet. Illud verò, de quo hîc agimus, non est aliud quàm Regulam servare.

Magna quies sequitur eum qui semel perrūpit hominū illecebras cōtra Regulam agendi.

15. Præterea si semel id feceris, januam quodammodo occluseris, ne hujusmodi quid in posterum tibi contingat: quod certè magnæ quietis occasio est. At si semel auscultes, & januam his adaperias; causam præbes ut & aliàs hac via te hostes adoriantur.

16. Imò

Aliud bonū ſequitur in ſocio Religioſi bene ſervantis Regulā.

16. Imò, præter bonum & commodum, quod inde ſibi quiſque colligit, ſocio quoque ſuo non mediocriter commodat. Nam alius ille forſan ad regulam illam non reflectebat: ad quam tuo exemplo commonitus, reflectere, & eam æſtimare incipit. Et ſanè melius & ſalutarius monitum ei dari à te non potuit.

Chrō. ord. S. Hier. c. 23. Exempl.

17. In Chronicis Hieronymianorum Religioſus quidam ſilentii legitur obſervantiſſimus extitiſſe, atque illo nomine apud omnes magno in honore & reverentia fuiſſe, qua fama vir nobilis excitus, monaſterium ejus adit, cum illo colloqui avidus. Fortè hic tunc ſolus ad hortulum ſuum properabat: quem ut vidit, ipſum inſequitur & inclamat, ut eum ad ſecum loquendum proliceret. At Dei famulus nec ſtetit ut videret à quo vocaretur, nec verbum ei ullum locutus eſt. Hunc ergo ponè cùm ſequeretur, ambo ſimul hortum ingreſſi ſunt. In cujus ingreſſu vir ſanctus ſe in terram ilico proſtravit, oculoſque manu operiens, nobili ait, An ignoras, Domine, fas mihi non eſſe, Prioris mei injuſſu te alloqui? Quo dicto, rurſus ſe in terram abjecit, aliud ultrà verbum non proferens. Nobilis autem ut hanc viri ſancti taciturnitatem vidit, ulteriùs eum premere noluit; ſed (ut hiſtoria teſtatur) domum abiit, magis hoc illius ſilentio, quàm ſi mille ex eo verba audiſſet, ædificatus.

Ibid. c. 21. Aliud exempl.

18. Alius ejuſdem inſtituti monachus ſanctitate celebris (uti in iiſdem Ordinis Annalibus refertur) inter cæteras, quibus conſpicuus erat, virtutes, hanc habebat, quòd valdè parum & rarò loqueretur, maximè temporibus iis quibus ſervandum erat ex Regula præſcripto ſilentium, nec non iis in locis, in quibus loqui eſt interdictum: puta in clauſtro, vel templo. Quare tam ſtudioſè cavebat, ne quod in iis, quæ diximus, locis verbum loqueretur, ut ne quidem reſpondere vellet ibidem ex ſe quid rogantibus. Fortè evenit ut Rex Henricus id Monaſterium inviſens, & caſu per clauſtrum obambulans, Religioſum hunc illac tranſeuntem videret: unde eum ad ſe vocavit, ut ſecum loqueretur, quòd illum ob vitæ ſanctimoniam magnifaceret, & carum haberet. At hic greſſum figere noluit? nedum reſpondere. Rex ergo ut nihil eum reſpondere vidit, altiùs inclamat, & illum inſequitur, nominatim vocando. Verùm Dei ſervus, nec ſtetit, nec verbum locutus eſt, donec extra clauſtrum veniſſet. Ergo cùm jā extra clauſtrū veniſſet, percontatur eū Rex, cur antè loqui noluiſſet? Ille cauſam rei hujus reddens: In clauſtro, inquit, in quo me Majeſtas veſtra vocabat, Religioſos loqui minimè decet. Atque hæc fuit cauſa cur nihil reſponderim, uſque dum eo egreſſus eſſem. Et addit hiſtoria, hoc Regem reſponſo mirè fuiſſe ædificatum.

Silentio Rex ædificatur.

CAP.

Caput IX.

De aliis mediis ad Regularum observantiam non parum conferentibus.

Primum incitamentum Reg. observantię est Ædificatio.

1. PRæter ea quæ diximus, maximè nos ad seriam exactamque Regularum observantiam exstimulabit. *Primò*, bonum ædificationis exemplum, quod dare nos omnibus oportet: juxta illud Apostoli: *Providentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Neque enim sufficit, esse nos bonos nobis, insuper necesse est vita & exemplo aliis luceamus. *Sicque luceat lux nostra coram hominibus, ut videant opera* nostra *bona* & vitam exemplarem, *& glorificent patrem* nostrum, *qui in cælis est.* Perinde ac homines Deum laudare, glorificare, ac benedicere solent, cùm vel arborem floribus fructibusque onustam, vel rosam pulchram & odoriferam conspiciunt.

Rō.12.17. 2.Cor.3. 11. Matt.5. 16.

Exempl. bonū omnibus debemus maximè domesticis & fratribus in spiritu.

2. Omnibus quidem hominibus sublustri hoc bonæ vitæ exemplo præluceamus oportet; fratribus tamen nostris, quibus cùm frequentiùs conversamur, maximè & potissimè. Neque verò bonum istud exemplum & ædificatio consistit in eo, ut gravia peccata non committas, sed ut parvas imperfectiones evites; nemoque non ad oculum videat, esse te inobedientia & Regularum observantia exactissimum, ac parva & minuta Religionis jussa consuetudinesque magni facere, & in pretio habere.

3. Unde, qui in hoc magis excellit, plus boni exempli & ædificationis dat: & quo professione antiquior, & scientia eminentior, hoc etiam magis alios ædificat, si in rebus illis exilibus solicitus ambulare, & exactus esse videatur.

Quo est eminentior ob. servans Regulā, eo plus ædificat.

4. Alia æstimari antiquitas non debet, nec aliter quis aliis dici antiquior, quàm quòd sit præ cæteris humilior: mortificatior, & in Regularum observantia, atque omnibus jussis, quantumvis exilibus, adimplendis exactior. Prout in Evangelio Magister noster Jesus nos docuit, dicens: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.*

Virtutis magnitudo debet esse basis æstimandi ætatem in ordine. Luc.22.2.

5. Hi sunt, nimirum, qui bono suo exemplo Religionem sustentant & efficiunt, ut virtus & disciplinæ Religiosæ vigor semper latius diffundatur, hi columnæ sunt, quibus ipsa suffulcitur & innititur. In Apocalypsi ait Christus; *Faciam illum columnam in templo Dei mei*, & Jeremiæ olim Deus dixit: *Ego dedi te hodie in columnam ferream, & murum æneum.*

Encomia observantiū Regulas. Apoc.3.12 Ier. 1,18.

6. Contra verò nullum majus quis inferre Religioni damnum noxamve potest, quàm pravum fratribus in ea exemplum præbendo: & quanto senior, talentisve majoribus instructus erit; eo hæc noxa erit major. Exemplum namque, ad monendum, & alios post se trahendos (uti S. Patres nos & experientia docent) est efficacissimum: in malo autem & vitio etiam multò efficacius ac potentius.

Damna ab eas negligentibus creata.

Primũ damnũ est scandalum singulariũ personarum.

7. Si ergo alius ille te, qui antiquior es, ita tepidè Regulas tuas observare videt, nec parva curare; quid faciet ipse, invitante illa inclinatione naturali, qua omnes quotquot sumus ad libertatem aspiramus, & Regulis arctari, restringi, ac cohiberi detrectamus? quid, iter complanatum, & ostiolum apertum videns, faciet aliud quàm per ipsum transire? Hoc scilicet, volebat, exspectabatque aliquem, qui sibi hîc Ducatum præstaret, & quæ inde sequeretur, verecundiam tolleret.

Secundũ damnũ est Reip. totius vel ordinis subversio.

8. Hoc sanè modo disciplina Religiosa paulatim relaxatur ac dissolvitur: cujus rei tu prima causa & initium es. Itaque non propriarum solùm, sed & alienarum, tibi culparum Deo reddenda erit ratio, quòd malo tuo exemplo illarum causa fueris: id quod Propheta regius deprecatur. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.* Hoc ergo nos ad exactam Regularum nostrarum observantiam exstimulare debet, utque nihil in iis agamus, quod aliquem offendere & scandalo esse possit.

Aliud mediũ Regulæ retinẽdæ in praxi.

9. Altera, ut Regularum observantia semper integra & in flore permaneat methodus, est in primis obvia, & admodum facilis: quam & nobis B. P. in Constitutionibus ac Regulis assignat, dum ait: *Aliquoties singulis annis omnes à Superiore sibi pœnitentias injungi propter defectum observationis Regularum petant: ut hæc cura indicium sit illius quam de suo profectu spirituali in via Dei quisque habeat.* Tanti scilicet nobis faciendæ Regulæ nostræ sunt, ut, dum eas transgrediemur, non modò propterea in animo interiùs displicentiam sentire debeamus, ob lapsum summopere dolentes; sed eam exteriùs ostendere, aliquam idcirco pœnitentiam nobis injungi petentes, injunctamque etiam exequentes.

3. p. constit. c. 1. §. 28. & reg. 51. Summar.

Lex tum viget quando improbitas castigatur.

10. Qua ratione, etsi quis subinde in Regulas impingat, pœnitentia tamen hanc rupturam ac detrimentum reparat; ipsæ quoque Regulæ in vigore, integritate & observantia sua perinde manent, ac si eas nemo violasset. Doctores Juris Civilis necnon Theologi vulgò docent, tum legem in vi sua, flore, vigore, & viridi observantia, atque tam integram ac si tunc primùm lata esset, manere, cum qui eam infringit, castigatur; neque enim necesse est, ut, quò lex aliqua in vigore & observantia manere dicatur, ipsa à subditis non infringatur, sufficit ad hoc, seriò advigilari, ut ejus transgressores pœnas dent: at, cùm passim ab omnibus quavis occasione violatur, violantesque impune habent, nec violatio curatur, id signum esse dicunt legem illam in vigore non esse, nec vim legis obtinere; sed per non usum, vel usum contrarium, jam derogatam & abrogatam esse.

Similiter Regula viget in ordine cùm se quisque plectit.

11. Id ipsum proportione de regulis dicere possumus. Quando videlicet tanta in Religione cura adhibetur, ut statim atque erratum & defectus committitur, & contra Regulam peccatur, sequatur pœnitentia;

ex transgressione.

tia; tunc optimè Regularum observantiam vigere: at cùm ex una parte Regulæ passim, & de facili violantur, multæque circa eas imperfectiones admittuntur, ex altera verò nullas propterea peti subirique videmus pœnitentias; verè nos dicere posse, illas minimè servari: cùm tam liberè & effrenatè violentur, ut huc ne quidem reflectatur, peccans impunè habeat, imò erratum etiam parvi fiat. Dicendum ergo, Regulam illam vim Regulæ jam non amplius obtinere, quod eam usus in contrarium abrogarit, cùm ea Superiorbus videntibus, vel consciis, infringatur, nec vindicetur, nullasque violator pœnas luat.

Lex tum viget quando improbitas castigatur.

Imo Superiores tenentur dare pœnitẽtias trãsgressoribus.

12. Atque hinc est, quòd Superiores (quibus ex officio incumbit, providere ut Regulæ in vigore & flore permaneant, quique Religionis ceu excubitores & custodes sunt) pœnitentias pro defectibus in earum observatione commissis injungere in conscientia teneantur. Quocirca dum te Superior re vel verbis castigat, non ideò facit, quòd malè erga te sit animatus, vel minoris te faciat (novit siquidem, nos homines esse, nec tanti esse unam vel alteram Regulam transilire;) sed ut officio satisfaciat, quod eum obligat & Regularum integritati consulere, & ut in vigore primo maneant, advigilare. Unde si illarum violationem vel parum curaret ac dissimularet, vel violantem impunè dimitteret; ostenderet haud dubiè se parvi eas facere, hanc violationem velut ratam habere, & consentire ut earum usus & exercitium paulatim intercidat, ipsaque Religio tandem relaxetur & intepescat. Atque hoc esse discrimen ait sanctus Bonaventura, inter Religiones observantię primæve servantes ac bene formatas, & alias dissolutas relaxatasque: non quòd in his peccetur, in illis minimè (hoc namque prorsus fieri nequit, quia *in multis offendimus omnes*) sed, quòd in observantibus & bene formatis, regulam infringens castigetur & reprehendatur; in dissolutis conniveatur.

De sex alis Seraphim, ala 1.

Iac. 1. 2.

13. Quod ergo Superior ratione officii sui facere tenetur, id etiam ab omnibus passim S.P.N. vult usurpari. Unde ait: *Aliquoties singulis annis omnes à Superiore sibi pœnitentias injungi propter defectum observantiæ Regularum petant.* Valdè quippe Superiori laboriosum foret ac molestum, si, ut lictor & vindex delinquentibus singulis à tergo instare, & eis pro quavis violata Regula pœnas ex merito injungere deberet. Neque id fieri planè posset: & esto posset, suavi tamen quem Societas usurpat, procedendi modo minimè id conveniebat. Tuum id est curare; tuum primò apud Superiorem culpam dicere, pœnitentiam pro ea poscere, nec committere, ut antè ab alio quàm à te tuam Præpositus culpam & defectum rescìscat. Tuæ enim eæ sunt partes, & ipse magis per hoc quàm alius quilibet, lucraris.

Sublevet ergo subditus Superiorem in semetipso plectendo sponte pœnitendo.

14. Inprimis verò ponderanda est, quam hujus rei in eadem regula S.P.N. assignat, ratio: *Vt hæc cura indicium sit illius quam de suo profectu spirituali*

Pœnitentiarũ frequens usus signum fervoris.

rituali in via Dei quisque habeat. Adeò ut, dum quis de pœnitentia ob defectum in Regulam commissum à Superiore petenda anxiè solicitus est, simul etiam se, de profectu spirituali laborare, & solicitum esse ostendat: contrà, qui variis Regulis violatis, multosque in iisdem defectus committens, aliquam propterea pœnitentiã petere negligit, de suo se profectu parũ laborare declaret. Unde, dum pium hoc exercitium domi frequens est, multæque passim pœnitentiæ & mortificationes suscipiuntur; certa nobis id conjectura est, rem domus optimè procedere, magnum ibi vigere fervorem? adeoque omnes benè ædificatos & animatos esse.

Duplex est Iustitiæ colendæ methodus; videlicet nō delinquere vel post lapsum pœnitere.

15. Hoc ergo secundum est medium quod in præsentia damus; idque observatu perfacile. Non dico, nullos omnino in Regularum observantia defectus à nobis committi debere (ad hoc enim Angeli esse deberemus, non homines: sæpè namque in eas impingemus: & quis, quantumlibet justus, non aliquando in venialia incidat? *Non est enim homo, qui non peccet.*)

3. Reg. 8. 46.

Si priore modo nō incesseris alterũ ne negligas.

16. Sed hoc volo, ut, cum delinques, aliquem saltem doloris ac displicentiæ sensum ostendas, ut appareat te Religiosum esse, Regulas magnifacere & æstimare, magnumque & ardens earum ad amussim servandarum desiderium præferre. Videaris saltem quamprimùm culpam & commissum dicere: nam per exiguam hanc pœnitentiam, quam subis, Regulæ violationem resarcis, quin etiam majus hinc accipies compendium, quàm antè passus es dispendium.

Dæmon pœnitentiis ultro susceptis confunditur.

17. Ipse quoque diabolus defectu, in quem præcipitare te compulit, non tam gloriabitur, quàm confusus erubescet, quòd ipse eum tam bene repararis. Ita id ipsemet aliàs S. Dominico, tametsi invitus fassus est, quando ab illo per omnes est Monasterii officinas deductus, & dicere jussus, quo in singulis earum modo & artibus Religiosos illius tentaret. Nam cùm ad Capituli locum tandem deventum esset, (in quo & culpæ palàm aperiuntur, & peccantes coarguntur & castigantur;) dæmon infrendens & ringens, Hic, inquit, perdo quidquid in recreationis refectionis ac reliquis locis antè sum lucratus.

Homines scandalũ passi recolliguntur.

18. Et non apud Deum solùm, verùm etiam apud homines, per has pœnitentias, Regularum violatio abundè reparatur, & ei satis fit. Negligens, v. g. fuisti in campanæ signo audiendo, vel ad id te conferendo ad quod vocabaris: publicè aliquem defectum, inspectantibus omnibus admisisti, ecce pœnitentia una publica culpæ tuæ confessione negligentiæ huic medicina fiet. At si defectus quidem videatur, nulla tamen propter eum pœnitentia suscipi; meritò dici potest, in domo illa observantiam Regularum non vigere, sed paulatim deficere & pessum ire.

His non obstantibus etiam Superios

19. Notandum autem hic est, licèt in Societate moris potiùs sit, ut pœnitentiæ ultrò petantur, quàm à Superiore injungantur, & ita id semper

Potest injũgere pœnitẽtias. per fieri conveniat; non propterea tamen secundum pœnitentiarum usurpandarum modum, qui in Regula præscribitur intermittendum videri: nimirum *quando eas propter eundem finem Superior imponit.* Hoc enim in causa foret, ut pœnitentiæ, quas Superior injungeret, difficiles viderentur, & nonnulli indignè ferrent has ab eo sibi præscribi? cum notabili Religionis detrimento & scandalo omnium. Quocirca hunc pœnitentias injungendi usum ampliùs extendi, & generaliter ab omnibus practicari par est: nunquam enim ejus usurpandi deerit occasio.

Reg. 4. Sũmar.

Reg. 37. Summar. Etiã ob nõ culpabilẽ defectum.

20. Imò, esto hæc deesset, vult S. P. *ut omnes parati sint admittere & adimplere prompta voluntate & omnes & quasvis pœnitentias, quæ sibi erunt injuncta, etiamsi propter defectum non culpabilem injungerentur.* In quo suam quis virtutem, humilitatem, nec non quo erga sui profectum feratur, desiderium magis patefacit, consentaneè verbis illis Apostoli Petri: *Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.* Parum sanè est, quòd cùm revera deliquisti, & reprehendi mereris, reprehensionem ac pœnitentiam æquanimiter sustineas: at, quando nullo tuo demerito reprehenderis & mulctaris, perinde ac si revera peccasses, pœnamque patienter & æquanimiter fers; hoc profectò permagni faciendum est.

1. Petr. 2. 20.

Tertium medium servandę Regulæ. reg. ult. Sũmarii.

21. Tertiò, ad regularum observantiam non parum conferet id; quod ultima Summarii, & ultima communium regula habemus, videlicet, eas scire & nosse: unde illic præcipitur, ut omnes eas in cubiculo asservent, & singulis mensibus legant, vel legi audiant. Hinc quibusdam satis non est, illas in triclinio semel in mense legi audire; sed præterea in lectione sua spirituali, quotidiè tres aut quatuor, præter communem lectionem, Regulas evolvunt: quo fit ut nullam non regulam singulis mensibus pensiculatè attenteq; percurrant & ruminent. Quæ sanè praxis inprimis laudabilis est, & optima spiritualis lectio futura. Adjumento demum huc erit, de hac ipsa Regularum observantia examen particulare instituere, non quidem de omnibus simul; sed primò de ea qua maximè quis opus habebit; ac dein de alia: interdum quoque de iis singillatim, quæ ad officium suum spectabant. Et erit id examen, inprimis proficuum & fructuosum.

TRACTATUS SEPTIMUS,

QUAM SE QUISQUE SUPERIORIBUS ET PATRIBUS SPIRITUALIBUS CLARE LIquidoque aperire debeat, integram & planam illis conscientiæ status rationem reddendo.

CAPUT PRIMUM.

Quanti momenti ac necessitatis sit, sincerè cum Superioribus agere.

Antiqu' mos est aperire P. sp, cõscientiã.

Lib.4.de instit. renunt.c.9. & collat. 2.Abbat. Moysis, c.10.

In Viis Patrum p.2.§. 104.

C.4.de obedient.

1. PATRIBUS illis antiquis id Cassianus scribit solenne & visitatum fuisse, ut, quotquot Dei se servitio primum manciparent, eos, velut primam alphabeti litteram, docerent, omnes tentationes, ac pravas cogitationes, & quidquid in anima contingeret, majoribus ac Magistris suis statim candidè declarare. Et erat id, ceu primum doctrinæ spiritualis, quam tradebant, principium & rudimenta. Unde S. Antonius dicebat: *Si potest fieri, quod passus ambulat Monachus, vel quot calices aquæ bibit in cella sua, habet declarare senioribus, ut non devietur in ipsis.* Joannes Climacus quoque testatur multos se quodam in Monasterio, sanctitatis nomine illustri, Monachos vidisse, qui de zona libellum gestarent, in quo omnes suas quotidiè cogitationes annotarent, ut illarum deinde archimandritæ suo rationem darent. Atque hoc eos Superioris jussu facere solitos. Idem documentum signanter proponunt S. Basilius, S. Hieronymus, Ambrosius & Bernardus.

In constit. Monast. & aliis in locis. In Reg. Monast. c.14. Lib. 2.off. De ord.vitæ c.4.

2. Quoniam verò hæc communis Sanctorum Patrum doctrina est, & primum apud priscos illos eremicolas principium vitæ spiritualis; ideò nobis S.N.P. velut permagni momenti rem, & necessariam inprimis verbis gravissimis, quæ in Constitutionibus legere est, inculcat: *Re,* inquit, *in Domino considerata, visum est nobis in divinæ majestatis conspectu mirum in modum conferre, ut superioribus subdi-*

Veteres PP. secutus est. S.Ignatius.

subditi omnino perspecti sint. Non solet autem S.P. aliis in rebus, etsi maximi momenti sint, tali modo loqui. Nec satis habuit, undè hoc modo rem hanc proponere, sed eam etiam rationibus efficacissimis probare voluit.

Ratio 1. pro aperienda consciētia.

3. Et *primò* quidem, cur necesse sit & magni referat, candidè se Superioribus declarare, ratio est, ut hoc pacto subditos hi suos meliùs dirigere & gubernare queant. Superior quippe tenetur te regere & conducere; hoc ejus officium est, hoc est Rectorem, hoc Superiorem esse. Jam, si te perspectum non habeat, si te ei non aperias; certum est eum munus suum, prout oportet, non posse obire. Ait enim Sapiens: *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur.* Si suam æger medico plagam & morbum non detegat, ab eo curari non poterit. Etenim, ut D. Hieronymus scribit, *Quod ignorat medicina, non sanat.*

Prov. 28. 13. In illud Eccles. 10.11. Si mordeat serpens in silentio.

Non solùm genericè sed specificè.

4. Necesse est tuam medico invaletudinem declares, si eum tibi medicinam facere velis: quinimò, si multis languoribus & morbis simul tenearis, eos ad unum omnes reveles oportet: nam vel unum celando, tale fortè tibi medicus medicamentum præscribet, ut magis tibi noceat quoad id quod tacuisti, quam conferat quoad id quod declarasti: quod enim salutare est Hepati, noxium est spleni. Unde te necesse est omnia mala declarare, quo ita suum medicus medicamentum temperet in uno, ut in altero minimè noceat. Consimili ergo modo, & ob eandem rationem, oportet te medico spirituali, qui ipse Superior est, omnes tuas indispositiones & languores aperire. Cùm enim medicus ægrum benè perspectum habet, omnesque ejus indispositiones, languores & naturalem complexionem penitiùs novit; eum multò curabit faciliùs & citiùs: statim enim ipsam morbi radicem agnoscens, videt quis humor peccaminosus prædominetur, quid illi prodesse, quid obesse queat, itaque haud difficulter conveniens & congruum illi remedium applicat.

Simile ex notitia medicorum.

5. Hanc ob causam solent principes & magnates secum medicos ducere, qui ubique sequantur, & comedentibus quotidiè assistant, Non ut hi ad singula momenta dicant, Hoc ne comedas, tam multum ne bibas (sic namque graves iis essent & molesti) sed ut, dum illos comedentes vident, ac quotidiana eorum exercitia, animi propensionem & quæ ipsis obesse vel prodesse solent, assiduo usu observant; eorum complexionem & naturam intimiùs perspiciant, ac postea, cùm in morbum aliquem eos incidere continget, meliùs curare & medicamenta adhibere norint.

Superior uti medicus, tu uti curandus es.

6. Hunc ergo morem nos S. P. N. servare, & medicos velut semper ad manum habere vult, qui omni nobiscum loco versentur, nostramque complexionem, naturæ inclinationem, debilitatem & robur, intimè perspectam habeant, quo meliùs pro re nata nos curare & gubernare norint.

Ratio cur ipsimet nos

7. Societatis nostræ regimen spirituale est, & ad interiora æquissimùm.

debeamus aperire.

mùm spectat, nec supplicijs & castigationibus vllis continetur, vnde vt plurimum per viam iuridicam informationum, accusationum, ac denuntiationum, non procedit; animæ dumtaxat tuæ remedium atque vtilitatem spectat; quare ipse te Superiori detegas ac manifestes oportet, velut medico, velut patri, qui Dei vices occupet. Quod ni facias, præsentissimo animam expones periculo, Deumque tentabis; vtpote qui hominum te adminiculo regere & gubernate vult: atqui hi bene te regere nequibunt, nisi illis te patefacias, quia ipsi te, qui sis, ægerrimè perspectum habent. Aliud ergo si spectes, Deum tentas, quia vis id, quod, moraliter loquendo, fieri planè non potest.

Ex fine societatis superiores debent suorum vires nosse & propensiones, ut eos bene disponant, & mittant.

8. *Secunda* ratio, qua prior etiam egregiè declaratur, est, quia quo Superioribus omnia subditorum interiora magis perspecta sunt, & euidentiùs patent; hoc illis melius, accuratius & maiori cum amore poterunt succurrere, animasque illorum à varijs tueri inconuenientibus ac periculis, in quæ fortè prolabi possent, si huic illiue loco, functioni, officio eos applicarent, quòd eorum tentationes, & prauas propensiones, quántaque eorum sit fortitudo, robur, & virtus, ignorant. Præsertim in Societate, ex vi professionis & instituti nostri, semper parati promptique esse debeamus ad quocumque terrarum & locorum, quotiescunque vel à Summo Pontifice, vel Superioribus nostris immediatis id nobis iniungetur, discurrendum. Vt verò in id genus missionibus non erretur, hunc, scilicet, mittendo, non illum; & hos ad hoc negotium, alios ad illud applicando; *non solùm valdè, sed & summopere refert*, (inquit S. Pater Noster) vt integram inclinationum & tentationum subditorum suorum, & ad quos defectus & peccata natura sint vel fuerint propensiores, notitiam Superior habeat; hoc enim pacto melius eos regere & dirigere poterit, nemini aut quod vires excedat, iniungendo, aut maioribus periculis & laboribus exponendo, quàm commodè ferre quisque valeat. Inter ceteras autem, quæ Societatis regimen ita facile, suaue & expeditum reddunt, causas, non vltima est istæc, quam Superiores vniuscuiusque subditorum suorum habent, perspicacia & notitia: qua singulorum talenta, dotes, habilitates tum bonas tum malas, & ad quisque aptus vel ineptus sit, intimè nouerunt, hoc enim modo sciunt quid de vnoquoque in particulare statuendum sit, quis cui rei applicandus. Ita fiet, vt nihil tibi impositurì sint, quod vires, tum spirituales, tum corporales excedat, neque vlli te sint periculo expositurì; sed vnicuique iuxta vires & talentum, & (vt in Euangelio dicitur) *Vnicuique secundum propriam virtutem* officia distributuri. *Mat. 25. 15.*

Necessaria est ad bonum omnium regimen sui manifestatio.

9. *Tertiò*, permagni hoc (inquit S.N.P.) refert, vt sic melius Superior ordinare & prouidere possit id, quod vniuerso Societatis corpori consentaneum & conueniens est, vtpote cuius bonum & honorem, vti & tui vnius particulatim, ipse respicere & curare

curare tenetur. Cùm ergo Superiori te tuo declarabis, eiq; integram plenamque animæ rationem reddes, tunc ipse de honore tuo per omnia solicitus esse, ac sine ulla tua nota & infamia, universale totius corporis Societatis bonum respicere & spectare potest. Si autem benè te integreque non patefacias, forsan honorem simul & animam, tuum, nec non bonum Religionis totius nomen & honorem, (qui à tuo unius dependet) in discrimen adduces.

Varietas munerũ ad zelũ animarũ requisitorum poscit hãc manifestationem.

10. Non erit absre, hoc loco, velut in transitu, considerare ac ponderare, quàm sint ea, quæ in rem & profectum proprium nobis Societas assignat media, etiam fini illius sint conformia & proportionata. Si quidem institutum nostrum esset, in cella & solitudine manere, chorum tantùm frequentare & refectorium: tanta sanè claritate, tam exacta conscientiæ redditione opus non foret; at, cùm Societatis alumni tam diversimodè applicari, aptari, & usurpari, tam periculosas sublimesque functiones obire, per mundum quocunque locorum inter fideles & infideles, subinde etiam soli, & per longum tempus, mitti debeant; Superioré antè probè nosse oportet, quid quisque possit, ne cùm ipsum, tum Societatem universam in præsens periculum conjiciat. Quin & ipsi subitò magnopere conducit, sincerè se candideque Superiori revelare, ut nimirum sic conscientiam exoneret, quietamque ac securam reddat: Nisi enim id faciat, omnia hæc pericula in illius caput recident. Nam si suam ipse in spiritu debilitatem, & exiguas vires, Præposito prius declarasset, minimè occasionibus, tentationibus & periculis his ab eo expositus fuisset, quæ quilibet sanæ mentis meritò à se removeri quàm longissimè optabit.

In moral. §.12.tõ.2. Simile à splendidis pauperibus desumptũ apparenti religioso accommodatũ.

11. Egregia similitudine rem hanc è Plutarcho declarabimus: Pauperes, inquit, dum divites videri volunt, magis inde depauperantur, ut tandem etiam nihil penitus habeant: pares enim opulentioribus sumptus & expensas facere volunt, id est majores quàm ensus & arcula sustineat, & sic indebita & angustias summas præcipitantur. Pari ratione si Religiosus quis à virtute inops, & humilitate destitutus vel vanitatem adhuc corde aliquantum prono amet, suam tegere indigentiam, dives apparere, & vult videri habereq; quod non habet; magis inde depauperabitur, & fortasse tandem sibi ipsi perniciem accerset, quia tractabitur ut dives, ac fructibus collectis instructus: tentationibus & periculis, ad quæ opes, facultates & virtutes, pares non habet, exponetur: omnia porro in illius caput mala convolventur, quod se ipse minimè revelarit. Unde, vel ob solam nostri ipsorum securitatem & satisfactionem, ut item conscientiam nostram exoneremus, ut nullum scrupulum sentiamus, ut hæc in nos pericula non incurrant: hanc nos nostri ipsorum Superiori rationem oporteret dare: tum verò maximè, ut Deum in nobis adjuvandis, atque ab

omni periculo peccandive occasione conservandis, benigniorem & faventiorem experiamur,

Sinceræ manifestationis fructus est quies & securitas manifestati.

12. Quàm verò Religiosus ille qui se totum Superiori manifestavit, omnesque miserias & imperfectiones suas sincerè patefecit in animo securus & quietus est, si postea ad missionem aliquam ablegetur, vel huic aut illi officio applicetur! quàm is in Domino confidit, se omni in re ab ipso adjuvandum, & in quibuslibet peccandi occasionibus ac periculis occurrentibus, à probro & lapsu eripiendum! Dicet enim; *Domine tu nosti me hoc officio non ambivisse, functioni huic ultrò me non ingessisse: imò verò meam quoad hoc insufficientiam, & exiguas spiritus vires candidè proposuisse, tu me huc promovisti, tu id injunxisti: supplebis ergo quod mihi deest.* Qua item fiducia repetit illud S. Augustini: *Domine da quod jubes, & jube quod vis!* Putat quippe, Deum teneri sibi concedere id, quod à se fieri mandat.

lib. 10. confess. c. 29.

Infidè se tegentis fructus est damnosa cordis desolatio.

13. Alter autem, qui animum minimè explanavit, imò fortassis, ut huic functioni & operi admoveretur, vel ab alio quod ipsi placebat, non amoveretur, aliquam tentationem, passionem, imperfectionem, vel debilitatem suam patefacere detrectavit, quam habere consolationem potest? Qui enim hujusmodi est, hunc nec Deus sponte mittit, nec obedientia verè huic muneri admovet; nam juxta philosophorum placitum, *ignorantia causat involuntarium.* Quocirca, non est hæc propriè voluntas Superioris, sed ipsemet propria voluntate se huc ingerit & intrudit, alienam voluntatem ad suffragandum sibi ambitiosè corrogans, verbo intrusus est, non vocatus; venit non missus. De quibus non incommodè dici potest illud Dei ore Jeremiæ pronuntiatum: *Non mittebam prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Qui tales sunt, quid mirum si impingant? si quæ agunt, non bene illis succedant? Unde & meritò timere, & perpetuo in angore & tristitia vivere possunt, non eo quidem, quod invalidè Sacramenta vel similia perficiant: sed quod illicitè.

Jer. 23. 21.

Et magis adhuc nequiter se humiliantis

14. Notent porro, velim, hi, minimè se conscientiæ suæ & debito satis facturos, & si Superiorem antè rogent, ne se ullatenus tali vel tali officio applicet, vel huic labendi periculo exponat, tantum in genere dicendo, sufficientes ad hoc vires ad virtutem se non sentire, hæ enim humilium solent esse formulæ loquendi, quibus compertis in homine adhuc magis quàm antea aptus esse censeri solet, quia si sic sese humili pallio se tegens sincerè voluit agi, opus erat causam suam magis in particulari, (uti postea dicemus) exponere: nam Superior, quidquid tale dici potest, humilitati attribuit: adeoque sanctissimi quique id genus plurima, sui humiliandorum causa, allegare solent.

Has ob causas valdè urget S. P. N. sui manifestationē sinceram

15. Ob has ergo rationes id S. P. N. tantopere nobis commendat, & identidem ac repetitis vicibus, in Constitutionibus (velut permagni momenti rem) ob commune totius

Socie-

Societatis bonum, inculcat. Tam porro in hac ipse se sententiæ obfirmarat, ut in quarta Constitutionum parte, ubi quid à quopiam clausum servari vetat, non januam, non arcam: addat, *Ne quidem propriam conscientiam*; etsi id eo loco ad rem minimè facere videretur. Tanti, scilicet, hoc fecit, tanti id apud eum valoris fuit, ut etiam importunè putaverit esse inculcandum. Idem facit & in sexta parte, cùm ait: *Nihil ex externis, vel internis, eos (Superiores) celent.* Adeoque hoc in Societate necessarium esse credit, ut, (sicut loquitur Apostolus) *oportunè & importunè*, id est sive ferat ratio, sive non, incessanter illius nos commonefaciat, & in mentem revocet.

4 p. Cōst. c. 10. §. 5.
6 p. Const. c. 1. §. 2.
2. Tim. 4. 2.

16. Cùm in quinta congregatione generali disquireretur, ecquæ substantialia & essentialia essent instituti nostri, responsum est ea ipsa esse, quæ in instituti nostri formula ac Regula Julio III. Pontifici fuere proposita, & ab eo, ac deinde ejus successoribus, approbata & confirmata: ea item omnia, sine quibus priora vel planè non possent, vel non nisi ægrè admodum, conservari: quorum unum esse dicebatur ipsa conscientiæ apud Superiorem retectio. Quare Societati hæc ita substantialis est, ut sine ea conservari ipsa non possit. Quo uno pronunciato paucis comprehendimus, quidquid demum de necessitate, utilitate & laude hujus sanctæ operationis dici potest.

Can. 17.
Substantiale medium conservandæ Societatis est sui manifestatio.

17. Quamdiu sancta hæc ad Superiores & Patres spirituales in omnibus rebus confugiendi, animæque penitus illis patefaciendæ, consuetudo in aliis Religionibus viguit; notarunt & observarunt historici nonnulli, tamdiu eas in primo observantiæ vigore integritas perstitisse; contrà, experientia teste constat, hoc ut plurimum causam esse, cur Religiosus pereat & pessum eat: quòd enim paulatim intepescere, passionem aliquam & malam inclinationem sequi, in exercitiis spiritualibus segnescere, & modò unum, mox alium defectum admittere incipiat: hanc verò imperfectionem obtegere satagat, suæque infirmitatis rationem non reddat; plaga hoc pacto paulatim vitiata putrescit, ingravescit, incrudescit, & quod initio parvum malum erat, mox ita adaugetur, ut post ea prorsus fiat insanabile & immedicabile, ac tandem totum ædificium corruat: quia jam à longo tempore rimas agere ac fatiscere cœpit, nullumque ei remedium adhibitum, aut fulcrum suppositum est.

Refert Bern. Ros.
Signol. li. 1. de discipl. Christ. per sect. c. 1.
Neglecta labefecit multas familias religiosas.
Imò vulnus insanabile secutū.

18. Quod etiam his verbis, quasi rem acu tangens, notavit S. Dorothæus: *Dicunt aliqui, Ideo cecidit hic, hac de causa Monasterio egressus est ille: quippe morbus eum exire, compulit vel parentes: at ego dico, nec hoc, nec illud in causa fuisse, sed quod ipse jam inde ab initio se non detexit, neque eorum quæ in anima sua contingebant, rationem Superiori dare voluit.*

Serm. seu doctrina.
Fitque causa apostasiæ.

CAPUT II.

Quanta quiete & consolatione mentis fruantur, qui superiori ac Patri spirituali totos se revelant, quantaque hac in re commoda includantur.

Lib. 1. off. c. 6. Lib. de amic. c. 5. In reg. monach. c. 34. De ordin. vita & morum instit.

1. SAncti Patres & Ecclesiæ Doctores, Ambrosi⁹, Augustin⁹, Hieronymus, & Bernhardus docent, unum è maximis, quæ hac in vita obtingere homini solatia possunt, esse, quòd fidelem quempiam nactus sit amicum, in quo conquiescere & cui fidere queat, totum animum & omnia cordis arcana illi detegendo, juxta illud Sapientis: *Amicus fidelis medicamentum vitæ*, Nulla, inquit S. Augustinus, est medicina ad plagas curandas tam efficax, quàm amicus, qui te in laboribus consoletur, in dubiis consulat, in prosperis tibi congaudeat & congratuletur, in adversis denique compatiatur. *Qui autem invenit illum* (talem amicum) *invenit thesaurum.* Quid dico thesaurum? *Nam amico fideli nulla est comparatio: non est digna ponderatio auri & argenti: contra bonitatem fidei illius.*

Amicus bonus vitæ medicina. Eccl. 6. 16. Eccl. 6. 14.

Talem egregiè Deus unicuique in Societate præbet.

2. Hanc porro gratiam ac beneficium tibi Dominus in Societate contulit: utpote in qua talem amicum (Superiorē scilicet) nactus es: ille enim pater tuus spiritualis, magister, medicus, mater & frater est, viscera & cor plusquam maternum erga te gerens, resque tuas tanquam proprias, & plusquam proprias curans.

Vtere igitur eo multum ut benè sit tibi. Eccl. 6, 14.

3. Vide ergo, tali ut amico debitè commodèque utaris, teque magna cum fiducia ei apertas. *Si videris* (inquit eo quo ante loco Sapiens) *sensatum* & amicum talem, *evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus*, assiduè eum de rebus tuis consulendo, tuaque illi communicando, quia quibuscunque in rebus in illo verum solatium, consilium & remedium invenies.

Æger es utere eo pro medio.

4. Quemadmodum infirmo solamen & allevamentum est, ei se aperire medico, à quo sanitati reddendus est: ita afflicto, mærenti, desolato magnam consolationem & recreationem adfert, pœnas, molestias, & afflictiones suas patefacere ei, qui consolationem & opem adferre potest.

Tristis es utere eo pro solatio tuo. 2. q. 28. a. 2.

5. Inter alia media, quæ tristitiæ pellendæ, & cordi afflicto exhilarando Philosophi morales assignant, est, afflictiones suas, alteri patefacere, inque aures ejus exonerare. Quod adfert & D. Thomas, ubi de tristitia tractat, hancque hujus rei dat rationem. Cum enim, inquit, quis mala & adversa sua solus secum vult tacendo concoquere, magis est ad ea mens attenta, corque validius eodem fertur; unde etiam hominem magis affligunt; at, quando ea aliis communicat, aliquatenus inde mentem divertit, cum attentio nonnihil tunc distrahatur ac dilatetur, atque animus hoc pacto aliquantum respiret. Ita id ipsi fieri communiter per experientiam videmus, vulgoque dicunt homines adversa sua aliis narrantes, *Ignoscas, quæso mihi hac gravamina mea narranti: videor enim mihi aliquam inde consolationem accipere.*

6. S. Ab-

De interpret Patrum qui erãt Sinæ. Simile petitũ è nube densa per pluitionẽ clarescente.

6. S. Abbas Nilus, Johannis Chrysostomi olim discipulus, id cõmuniter à Patribus illis antiquis hac in re solitum dari remedium scribit. Quod etiam scita quadam similitudine declarabant: Quemadmodum, ajebant, nubes tum densæ & obscuræ sunt, cum aquis turgent; at, postquam eas effuderunt, à se ejecerunt, & velut exonerarunt, clarescunt & splendidæ fiunt: sic, quamdiu quis à tentationibus suis onustus & gravis incedit, in magna tristitia, confusione, angoribus, & melancholia agit: at hoc à se onus excutiendo, pro eo ac id exstillat & à se abjicit, pro eo ac Superiori se manifestat, ilico ægritudine animi pulsâ, cor alleviatur, tristitia mitigatur, & homo gaudio, consolatione, miraque animi pace & quiete delinitur.

Serm. 5. Exemplum seu experimentũ S. Dorothæi.

7. Scribit Dorotheus tantam se tum animi pacem & gaudium sentire solitum, cùm omnia sua magistro Patrique spirituali retegebat ac manifestabat, ut, quod tanto mentis gaudio perfundebatur, timere ac suspicari cœperit, bonone in statu animæ suæ res versarentur, & sibimet ipsi indignari. Sciebat siquidem, cœlesti gaudio donari volentibus tribulationes & adversa Domino asserente, necessario subeundas esse (*quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei:*) cum porro se, non tam labores & tribulationes pati, quàm delitiis & consolationibus videret perfundi; formido illi obnata est, rectumne in cœlos iter insisteret, donec magistrum suum & formatorem (erat is Joannes Abbas) consulens, bono esse animo jussus est, quoniam ea quam sentiebat, pax & animi tranquillitas conscientiam suam Superiori, ita ut ipse retegentibus esset promissa.

Act. 14. 21.

Ca. præc. Superior in Soc. sæpe debet agere cum suis. *Reg. 25. Rector.*

8. Quæ res cùm tanti momenti sit, ideò S. P. N. nobis (ut antè diximus) tam operosè importuneque inculcat, vultque Superiores sæpè cum subditis agere & loqui. Nam, ut alia taceam quæ in hoc inclusa sunt, bona, per privatam & familiarem hanc conversationem mirum in modum subditi animantur ut ad Superiores filialiter ac sincerè refugiant, & perspicuè sese illis retegant.

3. p. c. § 12. & 4. p. c. 10. § 7. Imo præter Superiorem adhuc alius præf. rerum spiritualium esse, qui cum personis Soc. agat familiariter.

9. Quin, ut magis hoc fiat, & omnes majorem inde consolationem sentiant, in Constitutionibus statuit, ut in singulis domibus & Collegiis quidam esset rerum spiritualium Præfectus, ad quem omnes, ut conscientiæ suæ quieti consulant, consolationem in eo inveniant, & in cunctis animæ negotiis in Domino dirigantur recurrere possint.

Collat. 2. Abbat. Moysis. c. 10. Et ita opus est: quia vivere spiritualiter sine magistro est impossibile.

10. Unde præclarè Cassianus: *Videmus*, inquit, *omnes disciplinas humanas & artes mechanicas? quæ tamen nonnisi ad temporalia sunt utiles, & simulita materiales, ut eas & oculis videre, & manibus contrectare possimus; nihilominus addisci & percipi ab homine non posse, nisi is se alteri illas docenti in discipulũ dedat: Quomodo ergo tibi persuadeas, in sola profectus spiritualis scientia tibi opus Magistro non esse, qui te doceat, & quid faciendum sit præscribat; præsertim cùm tam obscura, spiritualis & invisibilis ea sit, ut non queat oculis corporeis, imò nec anima quidem (nisi magna*

gna cordis puritas accesserit) videri? & in qua qui errarit nō (uti in aliis sciētiis usu venit) temporalem, quæ facilè reparabilis est, jacturam facit; sed animam suam in sempiternum vel perdit? vel lucrifacit. Non hic cum hostibus visibilibus, sed invisibilibus: non cum uno aut duobus, sed innumeris Dæmonum, noctu & interdiu aßiduè nos impugnantium, catervis nobis certandum est. Hac de causa necesse nos est (inquit Cassianus) *diligenter & semper ad majores nostros & Patres spirituales recurrere, quidquid in anima nostra introrsum geritur, illis declarando, ut per eos hoc pacto dirigamur & adjuvemur.*

Particularius ad hoc declaratur utilitas manifestationis sui, ex his quæ sunt manifestanda.

11. Aliis autem rationibus omissis, ingens fructus, & bonum inde provenire natum quod singulis in domibus quidam sit rerum spiritualium præfectus, quodque is passim consolatur; liquidò patebit ex iis quæ cum ipso tractantur & communicantur. Declarandum enim ei 1. *quis orationis, quam quisque obit, sit successus*: id est, quo in illa modo & methodo procedat; quem ex ea fructum colligat: num quas ad hoc institutas & præscriptas habemus additiones & monita servet? 2. *qua super re particulare examen instituat*: num erratorum numerum per puncta annotet, unumque examen cum altero conferat. 3. *num spiritualem lectionem instituat*, quemnam ex illa fructum eliciat. 4. *num quas tentationes habeat*, & quomodo se in iis gerat. 5. *quas pœnitentias & mortificationes cùm privatim, tum publicè obeat.* 6. *quomodo in obedientia se habeat*, necnon in indifferentia, in humilitate, in Regularum custodia, & in aliis id genus rebus.

Duplex utilitas ex hac manifestatione emanat.

12. Qui autem novit esse sibi horum omnium alteri rationem reddendam; certum est primò eum ideò paulò accuratiùs super se advigilaturum, eam ut meliorem dare queat. *Præterea* constat, ad rem aliquam magni faciendā, & à nobis majori in pretio habendam, singulare medium esse, quòd & ab alio eam magni fieri & in pretio haberi videamus. Cùm videam ergo, ista semel & iterum à me quæri; certum est, teneri me idcirco accuratiùs ad eadem reflectere: &, si semel impegerim, dare operam, ne ad eundem lapidem impingam denuo.

Est etiā forte frænum pronitatis ad culpas, uti Confessio.

13. Adhæc, quemadmodum Theologi juxtà ac Sancti Patres docent, sacramentalem confessionem forte frænum ac retinaculum esse, ad homines à peccando retrahendos: uti re ipsa & experientia in Hæreticis patuit, qui eam & negarunt, & usurpare desierunt. Adeò quidem, ut, cùm propterea populus Germanus seductus sceleribus & flagitiis scatere inciperet, ipsimet hæretici legatione missa Imperatorem Carolum V. rogarint, ut lege lata omnes ad scelerum confessionem instituendam obligaret: quòd enim auricularis sublata esset confessio, civilem vitam vix posse consistere, nec bono inter improbos amplius tuto esse licere. Quem hominum istorum sensum gavisus quidem est, in eis restitui, vecordiam verò ex alia parte prolixè Imperator risit, tanquam si ipse rem hanc lege lata jubendo posset facere vali-

Domin. Soto tom. 1. in 4. Sent. dist. 11. q. 1. art. 1.

validiorem, quàm fuerat, cum divina & Ecclesiastica authoritate vigebat. Quemadmodum igitur hominem non parum à peccando avocat, nosse, sibi, quæ delinquit, esse per confessionem detegenda: ita Religiosos valde ab erratis & imperfectionibus admittendis revocat, videre, earum sibi apud alterum rationem reddendam esse.

Confessionis frequẽtatio est unum è primariis mediis salutis.

14. Ut verò comparationem hanc longiùs deducam, dico, confessionem frequentem unum è primariis esse mediis, quæ alicui ad salutem in tuto collocandam dare possumus. Nam præterquam quòd gratia & peccatorum venia in hoc Sacramento obtinentur, certè quæcunque cuipiam suggeri possunt remedia & consilia, in eo uno inclusa sunt. Unde dum sæcularem aliquem in spiritu excolere & simul proficere volumus, consulimus illi modò quidem ut Rosarium Deiparæ matri recitet; modò, ut quotidiè (siquidem per occupationes liceat) sacro Missæ officio intersit; nonnunquam etiam ut concionem audiat; aliàs ut conscientiã diligẽter excutiat; interdũ ut aliquas suscipiat pœnitẽtias, operamq; det, ne quis sibi elabatur dies, quin aliquam asperitatem subeat: denique velut omniũ præcipuum consulimus ei, ut sæpiùs pio prudentiq; alicui cõfessario delicta confiteatur. In quo uno, quæcunque demum ei dari possunt remedia, simul comprehendere, & quidquid illi dici queat, & opus habet, suggerere videmur.

Confessarii in hoc vis & officiũ.

15. Id enim si faciat, Confessarius singulis octo, vel quatuordecim diebus, vel mensib⁹, ea illi media remediaq; suggeret, quæ nec tu una vice ei dare posses, nec ipse accipere; simul etiam rationem ab eo tunc reposcet, quomodo quæ illi antea suggessit remedia, opere exequatur. Jam bonorum Confessariorũ partes sunt curare, ut pœnitentes sui semper in virtute crescant. Hinc & vitæ spiritualis magistri iisdem pœnitentibus semper consulunt, ut stabilem Confessarium semper habeant: Nã hodie uni, cras alteri cõfiteri, parvi esse profectus causa solet, quoniã nemo horũ confessariorũ judiciũ de pœnitẽte quoad profectũ ejus potest judicare.

Proportio inter Confessionẽ & Conscientiæ manifestationẽ.

16. Ad eundẽ modũ in hoc uno conscientię reddẽdę medio, particularia omnia remedia, quæ ad proficiendũ in virtute possunt dari, inclusa sunt. Ibi enim Superior vel Præfectus rerum spiritualium videt, quomodo ex orationis, examinum, & lectionis spiritualis medio proficias: quomodo tẽtationes, inclinationes, & pravã, quam habes, indolem vincas; ibi cernit, quomodo silentiũ, humilitatem, indifferentiam, & resignationem exerceas: num proficias vel deficias: hic denique suggerit remedium & consilium, prout tua particularis necessitas ac dispositio exigit, dum modò quidem corriperis, modò ad pergendum animaris. Cumq; hoc ea suavitate & caritate fiat, qua fieri oportet, & qua id Societas per Dei gratiam facit (adeò ut id solùm majoris boni tui & profectus in spiritu causa fieri, & hunc solum intendi noris) non potest hoc medium non esse efficacissimum, & maximæ energiæ.

CAP.

CAPUT III.

Suas Superiori vel Patri spirituali tentationes aperire, præsentissimum est adversus eas remedium.

Veterũ PP. de tẽtationũ remediis sententia aperire conscientiam.

1. COmmunis Sanctorum Doctorum doctrina est, & apud Antiquos illos Patres primum velut principium, vitæ spiritualis habitum, (uti antè diximus) tentationes quaslibet Præpositis, senioribus, ac Magistris, mox ut percipiuntur, declarandas ac detegendas esse.

S. Ignatii de eadem re P. Cõst. c. 1. §. 12. & Regul. 41. summarii.

2. Cujus rei etiam nos S. P. N. in Constitutionibus identidem commonet. At videamus, obsecro, quænam eum ad hoc tam operosè inculcandum, moverit causa: nam permagni intererit nostra, eam nosse, quò veritas hæc cordis nostri intimo profundiùs insculpta maneat.

Li. 4. de institutis renunt. c. 9. & collat. 2. Abbatis Moysis c. 1

Ratio hujus sentẽtiæ, quod ea potentissime dæmonis dolos frangat.

3. Rei itaque hujus (juxta Cassianum) ratio est, quia, idipsum si feceris, te cacodæmon ceu tironem, dolis, stratagematis, ac tentationibus suis decipere & supplantare non poterit, cùm Magistri tui, qui veteranus est miles, sis armis circumcinctus: non item, velut ignarum ac belli inexpertum, te fallere, si ad Patrem tuum spiritualem, qui gnarus est & expertus, ilicò recurras, & dictis ejus audiens fueris. Neque enim tunc cacodæmon, hostis tuus militem novum vel tironem, sed veteranum & in spirituali militia versatissimum cogitur oppugnare. Quandoquidem ea praxi omnem Confessarii ac Magistri tui scientiam, prudentiam, & experientiam facis tuam, dum sentiens periculum, illud ei patefacis, & consilio ejus acquiescis.

Method᷒ acquirẽdi veram prudentiam.

4. Unde docet idem Cassianus veram hoc pacto prudentiam & discretionem, quæ magna virtus est, & quam D. Antonius tanti faciebat, comparari. Cùm enim aliquando sancti illi Patres in collatione, vel conferentia spirituali, inter se quærere cœpissent, ecqua virtus homini plus ad perfectionem momenti conferret; unus *castitatem* nominaret (per eam namque sensuales appetitus sub rationis frænum rediguntur) alius *abstinentiam* (per quam sui ipsius homo imperium obtinet) Quidam verò *Iustitiam*, alius eam quæ sibi præ aliis eminere videbatur, virtutem in medium afferret; Tandem Antonius, auditis omnibus, & quid sequendum esset, definiens, ait: *Nulla ad perfectionem comparandam virtus magis necessaria & conducibilior est, quam prudentia ac discretio*: quòd reliquarum virtutum exercitia, nisi ab hac condiantur & temperentur, Deo non placeant, immò ne virtutum quidem sint actus. *Si ergo*, inquit Cassianus, *perfacilem perbrevemque virtutis assequendæ modum cupis; omnia tua superiori significa & communica, ex ejusque sententia, judicio, consilioque te dirige; itaque eam consequeris, ac prudentiam & discretionem Superioris tuam facies.* Idem disertè pronuntiat S. Bernardus de hac virtute agens: *At quia omnino rara ista avis* (discretio) *est in terris, hujus discretionis locum in vobis suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum*

Ser. 3. de circũcis.

peratum sit faciatis. Hoc modo, inquit, suppletur & resarcitur ipse discretionis & experientiæ defectus, & vera acquiritur prudentia.

Dæmon seducendę animę per secretum insidiatur. Sp. S. per manifestationem servat.

Ser. 5. itē Abbas Poemen, ut habetur in vitis Patrū p. 2. §. 147. Eccl. 4. 10.

5. Hinc Sancti Patres tantopere commendant, ut tentatus infestationes suas quamprimum alteri detegat: hanc quoque ob causam nihil adeò connititur & procurat Diabolus, quàm ut tentatus eas celet: alium quippe & contrarium finem, nostrum, inquam, damnum & interitum ipse spectat. Et nulla (ut ait Dorotheus) re adeò gaudet, quàm dum suas quis tentationes & cogitationes Præposito revelare refugit: tunc enim de victoria quodammodo certus est, & optimè sperat, quòd tunc soli cum solo, velut in duello ei certamen sit: *Væ autem soli, quia non habet sublevantem se*, aut qui lapsum impediat, aut post lapsum manum porrigat, ad resurgendum. Contrà nihil adeò timet dæmon, nihil quoque fert gravius, quàm dum se suasque insidias clarissimè alteri quis detegit: tunc namque omnem victoriæ spem deponit, animo cadit, & desperans se inde subducit.

Declaratur hoc simili apto.

In regulis ad motus animæ discernendos regul. 13.

6. Apta quadam comparatione id S. N. P. in exercitiorum libello declarat; quam quia adferre ipse non dubitat, & nos eam fas erit adducere. Ait ergo perinde dæmonem in nobis oppugnandis agere, ac qui lascivo amore actus, castam aliquam virginem honestis probisque parentibus cohabitantem, ad stuprum aut matronam viro honesto, & honoris conjugalis zelatori ardentissimo nuptam, ad adulterinum concubitum pelliceri studet: Hic ergo utramvis decipere satagens, ante omnia summa diligentia procurate, ne cui, quæcunque suggerit illicia vel promissa, revelent; immò nihil adeò timet aut dolet, quàm si puella cuncta illius molimina patri, matrona marito, mox patefaciat, hoc enim dum fit, votorum se compotem fieri posse, & de victoria sperata desperat: verùm cùm silentio rem premunt, aliquid tandem se consecuturum sperat. Ad eundem modum, inquit B. P. cùm aliquem fraudulenter cacodæmon in casses suos pertrahere satagit, ante omnia summo conatu allaborat, ne cui universæ ejus suggestiones, & quas adfert, machinæ & rationes detegantur: id enim si fiat, de victoria propemodum certus est, & consecuturum se confidit quod spectat. Ex adverso nulla re indignatur magis, quàm dum hæc Confessario aut superiori aperiuntur ac revelantur. Quòd enim plus astu & fraude potest ac lucratur, quàm vi aperta: hinc ubi se detectum & patefactum videt, quodammodo se victum fatetur, omnesque artes & technas suas frustra & evanidas esse. Id quòd est omnium eorum qui fraudibus & dolo utuntur, proprium, juxta illud Christi in Evangelio: *Omnis qui malè agit, odit lucem.* *Ioā. 3. 20.*

Exempl. Doroth. ubi supr.

S. Macarius monet monachum à dæmone il-

7. Ad hoc propositum adfert Dorotheus, quod olim S. Macario Anachoretæ magni Antonii discipulo contigit. Hic, cùm quodam tempore diabolum obvium haberet, rogavit eum, quomodo à suis Monachis tractaretur? Respondit dæmon. Pessimè:

lusum, ut tentationes aperiat. Pessimè: quia statim ac mala aliqua cogitatione eos pulso, superiori eam retegunt. Sed inter illos unus me quàm optimè habet, quem ego vicissim turbinis instar susque deque prout volo verso & reverso, quique nutui meo paret per omnia. Cujus Monachi nomen cùm dæmon edidisset, eum Macarius mox adiit: comperitque illum in eo à diabolo illusum esse, quòd Patri spirituali tentationum suarum rationem non daret, & illius consilia ductumque minimè sequeretur. Exhortatus eum ergò Macarius est, ut se candidè superiori patefaceret, & exinde ampliùs proprio judicio non fideret. Audiit bene consulentem Monachus, itaque remedium morbo suo invenit. Haud multò post cùm iterum in diabolum Macarius incidisset, rogavit eum, quo jam sibi modo res cum illo monacho succederet? Qui ringens & indignabundus respondit: Ille jam non amicus, sed inimicus meus est. Observat autem rectè hoc loco Dorotheus, omnes quidem Sancti Macarii monachos à diabolo tentatos & opugnatos fuisse; nullum tamen illorum expugnari ab eo potuisse, quòd ilico ad Patrem spiritualem referrent, quidquid in animæ suæ penetrali agebatur, & ad illius suasum consiliumque se conformarent, unum verò illum à diabolo victum & deceptum fuisset, quòd proprio judicio nimium quantum niteretur, ex sua se opinione regeret, Superiori denique suo Patrive spirituali animum declarare & retegere nollet: atque hic ipse quoque simul ac sua patefecit, diaboli inimicus factus est. Ubi supr. c. 10.

8. Non potest (inquit Cassianus) decipi & illudi is qui Patri spirituali se totum denudat & aperit: quod & confirmat illo Siracidæ testimonio, dicentis: *Si denudaveris & manifestaris absconsa illius* (dæmonis stratagemata, id est, occultas absconditasque ejus tentationes) *non persequeris post eum*, & ab eo non illuderis: nec non verbis illis Salomonis in Ecclesiaste, *si mordeat serpens in silentio.* Liberet, inquit, te Deus à serpente clàm & tacitè commordente: Cùm enim serpens vel vipera aliquem sonitum edit, & eminus sibilans ab incantante percipitur facile est morsui ejus remedium. Ad eundem modum avertat Deus, ne diabolus serpens ille antiquus, te solùm clam & in silentio mordeat: verùm, cùm Magister tuus spiritualis, qui aliquot è sacra Scriptura depromptis carminibus incantare illum potest, eum audit; nullum ab eo tibi imminet periculum. Non potest decipi, qui se sincerè sp. Patri aperit. Eccl. 27. 19. Collat. 2. Abbat. Mois. c. 11 Eccl. 10. 11.

9. Huc accedit, tanti Deum facere, quòd quis ad Superiorem & Patrem spiritualem recurrat, seque patefaciat: hancque in accedendo relucentem humilitatem adeò illi placere, ut per solam hanc retectionem, tametsi nullum prorsus suggerat remedium, imò ne verbum quidem Superiori respondeat, omnis tentatio & diaboli infestatio abscedat. Disertè id asserit Cassianus: In manifestatione placet Deo humilitas.

Exempl

Tamdiu,

Vbi suprà c.10. *Tam diu*, inquit, *suggestiones Diaboli noxiæ dominantur in nobis, quam diu celantur in corde: illicò enim ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, & antequam discretionis judicium proferatur; serpens teterrimus, velut è tenebroso ac subterraneo specu virtute confeßionis protractus ad lucem, ac traductus quodammodo ac dehonestatus, abscedit*: quia pater tenebrarum est, & ferre lucem nequit. Adhæc, quoniam natura ita superbus & elatus est, indignè fert, fœdas suas ineptias & vilitates manifestari & in lucem protrahi, &, qua est superbia, tolerare penitus hanc infamiam nequit: unde ilico fugit, ubi se detectum & proditum videt.

10. Si in orbe invenirentur medici, qui corporum morbos, simul ac declarantur, curarent, quanti ab omnibus fierent? Jam, quod in corporibus locum habere non potest, quotidiè fieri in anima videtur, & usu venit, nimirum tentationes, si solùm Superiori declarentur, non rarò antè evanescere, quàm ullum ab eo remedium suggeratur: imò, vel per solum Superiori vel Patri Spirituali eas denuntiandi propositum, sæpè easdem abire & dispelli. Ibas, videlicet, ut eam aperires: &, ecce, antequam ostium ejus pulses, omnem à te Deus nubem dispulit, &, à qua pulsabaris, tentationem & vexationem abstulit.

Exempl. 11. Egregium hujus rei exemplum habemus in Vitis Patrum Ægyptiorum. Quidam eorum, sexaginta continenter hebdomadarum jejunio, multaque oratione dubii cujusdam intelligentiam, cùm frustra cælitus petiisset; statuit alium Monachum eodem in deserto commorantem adire, & eum super dubio consulere. At, ecce, dum cellæ limen egreditur, obvium habuit, Angelum, qui dubitationem resolvit, dicens hac eum humilitate potius dubii hujus declarationem, quàm omnibus dum precibus, tum jejuniis promeruisse. Aliud præclarum hujus rei exemplum refert Evangelista Lucas. Cùm enim decem leprosi CHRISTO Jesu, Jerusalem abeunti occurrerent clamantes. *Iesu præceptor miserere nostri*; & Jesus illi diceret, *Ite & ostendite vos Sacerdotibus*; ecce, *dum irent mundati sunt*, etiam antequam se Sacertodibus stitissent. Usque adeò, scilicet gratum est Deo, nos humiliari, hominibusque, quos suo loco nobis præesse voluit, subjici, ut ostensurus quantopere hoc sibi placeat, miraculis id confirmare non sit dedignatus. Imò contingit non rarò, ut, si vel solùm comminetis, Superiori te rem & suggestionem declaraturum, tanto dæmon timore percellatur, ut, te relicto, ilicò fugiat. Quocirca juvat hac in parte pueros imitari, qui, si quis ipsis molestus sit, & injuriam faciat, statim patri se id suo dicturos dictitant, & minitantur.

Luc. 17. 13.

Caput. IV.

Non idcirco minùs suas quis Patri spirituali tentationes patefacere debet, quòd quæ hic adversus illas suggesturus est, remedia jam se nosse putet.

Objectio contra hactenus suasam manifestationẽ sui.

1. Occurrat hîc fortasse quis. Jam sæpè multa de tentationum remediis inaudivi; satis ex iis, quæ tum vidi, tum in libris spiritualibus legi, scio; quid mihi Superior vel pater Spiritualis respondere queat, quorsum ergo ad eum opus recurrere? Timendum sanè est, ne isthæc nobis tentatio aliquando oboriatur; & eo timendum magis, quo se quis in hac scientia provectiorem & versatiorem putabit. Valdè quidem jam olim ab ea divexabatur Sanctus Dorotheus: egregiè tamen eam eludebat. Refert enim, sibi, ad tentationem suam Superiori patefaciendam jam abire volenti, statim in animo occurrere solitum: *Quid frustra tempus consumere vis? hoc & illud tibi responsurus est: id jam tum ipse nosti: desine ergo Superiori hoc aditu molestus esse.*

S. Dorot. sermon. 5.

Quomodo eadẽ vinci possit.

2. Ita de se fatetur Dorotheus tentationem patiens, videamus quomodo idem de se scribat tentationem vincens. *Ego verò*, inquit, *tentationi, judicio, sensuique meo non parum succensebam, dicebamque: Apage Sathana, Anathema tibi, & judicio tuo, & intelligentiæ ac prudentiæ tuæ, cogitationis ac scientiæ tuæ. Proinde & tentationem & tentantem parum moratus. Superiorem adibam, quidquid mihi in animo suggerebatur, haud dißimulanter declarans. Si quando verò fiebat, ut Superior idem mihi remedium suggereret, quod antè mihi privatim occurrerat; statim mihi cor meum, nescio qua inquietudine & turbatione, dicebat: Numquid tibi dixi, istud te ab eo responsi laturum? quid ergo illuc opus erat recurrere? Tum contrà ego replicabam: Nunc bonum est remedium, nunc à Spiritu sancto est; sed cùm à te proficiscebatur, suspectum id mihi erat, & parum tutum videbatur.*

Adhortatio ad sic vincendum.

3. Hoc, scilicet, clypeo hanc à se vir ille sanctus tentationem repellebat, nec eam unquam in animum irrepere sinebat; at confestim in omni suggestione ad Superiorem, velut ad sacram anchoram, confugiebat. Nostrum id est imitari, nec proprio judicio vel minimum credere, aut inniti; est enim communis sapientum & sanctorum Patrum sententia, nullum in propria causa & negotio bonum esse judicem. Quod si verum est etiam cùm nullis homo tentationibus pulsatur, verius longè erit, cùm eæ jam adsunt, & animæ oculos excæcant, ut, quod consentaneum est, minimè videant, juxta illud Prophetæ: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.* Ps. 39. 13. Illo enim in articulo homo, quod malo suo quadrat, remedium non perspicit: & ut fortè speculativè id norit, ipsum tamen in utilitatem suam convertere, & ad actum redigere non poterit: tentatio quippe & passio vehemens animum excæcat, mentem eripit ac turbat; unde tunc magis eum Deus uno superioris verbo,

bo, quàm per quæcunque ipse novit, juvabit.

Medicina medici manu porrecta sanat.

4. Scitum est quod ad hoc propositum adducit Sanctus Augustinus. *Quidam*, inquit, *graviter ægrotans; medicum advocavit: hic veniens, eum medicamento adhibito, sanitati restituit.* Paucis post diebus, cùm eodem languore laboraret, memor nuperrimum illud remedium sibi mitè profuisse, id ipse sibi, non advocato medico (memoriæ quippe illius insculptum manserat) applicavit. Sumpsit; minimè tamen id sibi sensit prodesse. Miratus ergo medicum advocat, & rem ex ordine narrans, rogat quid causæ sit, cur, cùm idem ipse adhibuisset medicamentum, nullam inde jam utilitatem caperet? cui medicus lepidè simul & acutè respondit: *Causa, cur modò medicina hæc tibi minùs profuerit, est, quòd meis ego manibus eam tibi non propinavi.*

Pari se modo habet in conscientiæ morbis.

5. Idipsum & nos in hac materia dicere possumus. Quod ipse nosti, ac sæpenumero inaudisti remedium, ideò nihil admodum tibi conducet, quod Superior vel Confessarius (qui medicus tuus spiritualis est) id non suggessit; nam, ut aliam vim & energiam habet potio medici manu porrecta, utpote qui mali caput, vim, & circũstantiis novit; ita & in medicamentis & remediis spiritualibus usu venit. Bonæ quidem erant aquæ fluviorum Damasci, ac salubriores multò quàm aquæ Jordanis; Naaman tamen à lepra expurgare non potuere; sed illæ solæ, in quibus eum Elisæus Propheta lavari jussit. Consimili modo mira quædam vis inest

4. Reg. 5. 10.

verbis Superioris; cum quibus, uti & cum eo quod is tibi suggerit remedio, singulari modo Deus concurrit: hujus enim ille locum supplet. Quocirca obvium & commune remedium, manu Superioris porrectum, longè erit tibi conducibilius, quàm quidquid ipse demum nosti, tametsi multo etiam plura nosset.

Caput V.

Nemo ideò sua Præpositum celet, quòd tenuia & exilia videantur.

Alia objectio contra manifestationẽ sui.

1. Solet & alium quendam tartareus ille veterator nonnullis excusationis prætextum suggerere, quo minùs se suasque Superiori manifestent, nimirum nullius ea momenti esse, ac proinde opus non videri cum puerilibus hisce ineptiis ad eum recurrere; quin & turpe vile esse, cùm id genus reculis eum adire.

Resolvitur.

1. Res tenues aperire superiori, est perfectioni studere.

2. Ad hoc itaque respondeo. *Primò*, perfectionis acquirendæ studiosum non tam respicere debere, gravisne res sit, ac necessaria, & num obligationis; quàm semper id quod melius & perfectius est, procurare. Proinde rem quamlibet, quantumvis parvam, magni ei faciendam, & rationem ejus Superiori reddendam videri, hoc namque est perfectioni studere. Inter ea autem quæ alios valdè ędificant ac boni exempli sunt, non postremum esse, ad Superiorem res, etiam parvas referre, & quo quis professione antiquior, & scientia celebrior, eò magis ædificare: hoc enim est propter

Christum repuerascere, & infantem fieri.

Resolvitur 2. Nec sēper tenuia sūt quæ nobis videntur esse levia *Tract. 4. c.4.*

3. Dico *Secundò*. Res quandoque revera non tam parva est ac cuiquam videatur; sed pudor, & quam in ea declaranda sentit repugnātia, ad ipsam diminuendam, credendumq; quòd parùm eā referat subticere, rationes ei suggerit. Non secùs ac in cōfessione fieri solet; quando enim quis, præ pudore rem aliquam vilem & exilem fateri negligit; ilicò Diabolus, verecundia hac & naturali, quam homo sentit, repugnantia ut apto sibi utens instrumento; ei persuadet, nullum in hoc peccatum esse, vel saltem non letale, ac proinde ad ipsum confitendum minimè obligari.

Temerario judicio inter levia & gravia multi seducti sunt, etiā in confessione facienda.

4. O, quot hic illa via & techna supplantavit, & silere fecit id quod necessariò confitendum erat, itaque malas confessiones, & sacrilegas communiones instituere! Vel hoc solum, quòd in re aliqua superiori declaranda aperiendaque repugnantiam ac difficultatem experiamur, satis esse nobis debebat, ad nos suspectos habendos, minimeque dubitandum, quin ipsum aperiri ei debeat.

Ipse hórror aperiēdi est signum magni mali latentis.

li.4.de inst. renunc.

5. Unde Cassianus id unum ait è certissimis signis esse, è quibus intelligamus id verè malum, & meram Diaboli tentationem esse: additque eam communem priscorum illorum Patrum opinionem fuisse, *Generale*, inquit, & *evidens indicium diabolicæ cogitationis esse pronunciant, si eam seniori confundamur aperire.* Quod enim malum est, statim occultare satagimus. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Unde, cùm quis quid reticet ac supprimit: satis ostendit, animæ suæ negotia non rectè procedere: *Omnis qui malè agit, odit lucem.*

Ps.106. 42.

Ioā.3.20.

6. Dico *Tertiò*. Tametsi res modò parva sit, cùm tamen occultatur & absconditur, magna fieri & grandescere solet. Unde par est, eam, dum adhuc pusilla est, manifestari, ut in tempore illi queat remedium adhiberi: tunc quippè facilè ei occurri potest, postea nonnisi ægerrimè. Quemadmodum (inquit Climacus) avium ova si ab alis maternis vel stercore foveantur, conteganturᵣ, & incalescant: paulatim pullulant, animantur, vitalia fiunt, & aves alias emittunt: simili ratione pravæ cogitationes, cùm in corde occultantur, nec sincerè aperiuntur ei, à quo dispelli & curari valent, ut plurimum in lucem prodeunt, opereque complentur.

Simile.

Alia remora manifestationis sui ipsius

7. Solet Diabolus & alio quodam prætextu ac remora nonnullos quo minùs ad Superiorem recurrant, avertere: quòd nimirum sibi persuadent, se, per id genus reculas & ineptias, illi graves & molestos futuros: unde, ne quam ei molestiam creent & onerosi sint, ab illo adeundo abstinent. Insignis sanè id impostura est & illusio. Hoc si quidem Superioris officium est, atque unum è præcipuis illius muneribus, unde non mediocrem ei injuriam facis, quòd eum ob rem tam primariam, officioque suo ita necessariam, exequendam, molestia afficiendum ac fastidiosè turbandum censeas. Imò non parum gaudet, quòd rei tam substantiali (uti hæc est) & à qua spiritua-

ritualis subditorum suorum pro-profectus (ut suprà simili in casu ostendimus) itâ dependet, vacare sibi liceat.

Exempl. Tract.6. c.8. Coll.2. Abbatis Moysis cap.11.

8. Refert Cassianus exemplum, quod Serapioni Abbati adhuc puero contigit, & quod ipse postea Religiosis suis identidem commemorare solebat, ut eos ad omnia sua Superiori revelanda animaret. Cùm, inquit, adhuc novitius essem, usque eò ab ingluvie & gula tentabar, ut nullo viderer cibo posse repleri. Inde fiebat, ut, postquam cum Abbate Theona, qui meus Superior erat, comedissem, mensâ sublatâ, quotidiè paximacium in sinu meo latenter absconderem, quod illa vespera, sene ignorante, clanculò comedebam. Quod furtum licèt gula irritante, & insoliti desiderii incontinentia assiduè committerem; expletâ tamen concupiscentiâ, ita me conscientia arguens remordebat, ut majus id esset tormentum, quàm quæ è cibo à me percipiebatur voluptas. Nihilominus ita mihi gula dominabatur, ut postridie rursus panem suffurarer, & in abscondito comederem. Superiori verò meo tentationem hanc patefacere non audebam; quoadusque me Dominus misericordia sua è servitute hac & tyrannica captivitate, in qua agebam, eripere dignatus est. Hoc porrò modo res contigit. Venerant, nescio quo casu, duo deforis monachi ad Abbatem Theonam: hi, jam refectione sumptâ, de rebus spiritualibus inter se conferre (prout moris tunc erat) cœperunt. Senex verò ad eorum postulata & interrogata respondens de gastrimargiæ & occultatarum cogitationum viimperioque disserere cœpit. Ego verò compunctus, & remordente me conscientiâ solicitus, universa hæc mei causa ab eo dici, meamque tentationem & occultam peccatum cælitus ei revelatum credebam. Unde perterritus, & verborum ejus efficacia permotus, apud me clanculo lacrymari cœpi. Inde, cordis compunctione crescente, in apertos singultus lacrymasque prorumpens, paximacium, quod & illo die furtim subtraxeram & absconderam, de sinu coram omnibus protuli: & in terram prostratus, veniamque & pro commisso pœnas, postulans, meam publicè sum tentationẽ confessus, & quòd ab ea victus & subactus hujusmodi quotidiè furtum admitterem. Tum senex consolans me & animans, Confide, ait, puer: confessio tua, & heroicum illud opus, quod coram omnibus tentationem aperire & detegere hoc loco non dubitaveris, ab hujus te captivitatis vinculis & servitute absolvit. Hodie diabolum debellasti, & majorem de eo triumphum ac victoriam retulisti, quàm ille hactenùs de te. Ideò verò te Dominus à tentatione hac captivum & vinctum detineri voluit, quòd hactenus eam Superiorem tuum celasti. Jam illa detecta, nihil ampliùs dæmoni in te juris & dominii erit: sed statim à te serpens ille antiquus, utpote ferre

lucem

lucem non valens, se subducet. Vix dum verba senex compleverat, & ecce lampas aut fax accensa, de meo sinu prorumpens, ita cellam universam sulphureo fœtore complevit, ut præ illius vehementia vix in ea quisquam permanere posset. Tum admonitionem suam Abbas resumens, Ecce, inquit Dominus veritatem sermonum meorum re ipsa comprobavit, ut passionis incentorem de corde tuo confessione salubri fugatum, tuis ipse oculis pervideres, qui lucem & technarum suarum detectionem ferre non potuit. Unde non est, quòd vereare, illum ulteriùs in te locum habiturum, aut ad te denuo reversurum. Ut promisit, ita & contigit: nunquam enim postea ab hac fui tentatione pulsatus, imò nec ejus quidem ulla menti recordatio oborta est.

Caput VI.

Difficultatibus, quæ claram hanc manifestationem impedire solent, jam ordine satisfit.

Magna bona Naturæ corruptę sunt ingratiora. Sic & manifestatio sui clara.

1. HActenus ostendimus quanti referat, quamq; necessarium sit, Superiori se mentisque omnes latebras detegere. Verum quo quid majoris est momenti, majoremque perfectionem includit, eo majorem in eo natura nostra per peccatum depravata, sentire repugnantiam ac luctam solet: ad quam & cacodæmon omnis boni nostri adversarius ope sua concurrere solent, maximas nobis difficultates, ad eam impediendam, repræsentans.

Ideo adnitendũ est ut obstacula removeantur.

2. Unde non inconveniens erit, eis non occurrere, & illas ordine dissolvere. Et sanè operæ sumus pretium facturi, si in re tam primaria & necessaria, uti est hæc, viam omnem iis sublatis, complanemus. Ac quamvis cum Religiosis hominibus potissimum hic nobis sit sermo; quilibet tamen doctrinam hanc sibi potest applicare: est enim res hæc hujusmodi, ut ad omne hominum genus spectare queat. Unde & Gerson, de confessione loquens, eam tractat generaliter, uti mox videbimus.

Contra 1. obstac. Laboriosius homo se tegit, quam manifestet.

3. Et primò quidem, quia natura ita facti sumus, ut laborem omnem ac difficultatem qua possumus, fugitemus; & id, de quo hic tractamus, nobis perdifficile & laboriosum solet videri; ideo ab hoc capite initium ducemus, ostensuri, videlicet, ac declaraturi, longè homini futurum laboriosius, quod se occultet ac tegat, quàm quòd nudè omnia Superiori manifestet & videnda proponat. Est hoc imprimis notandum, utpote quod homines sui ipsorum amantes & quæ virtutis ac perfectionis sunt, præ difficultatis ac laborum in ejus exercitio subeundorum metu exequi negligentes, potenter jugulat & confutat. Fateor equidem, aliquam in omnibus tentationibus, propensionibus naturalibus, & defectibus suis Superiori patefaciendis, difficultatem mortificationemque contineri: longè major nihilominùs, me auctore, labor & crux est illa, quam homo hæc conticendo & abscon-

ſcondendo, ſuper ſe advocabit, cumque demum è plana ſui rectione & manifeſtatione accedere ei valeat.

Hoc ita eſſe demõſtratur.

4. Quotidiana ſatis id nobis commonſtrat experientia, & nemo non certiſſimis rei hujus eſſe poterit teſtis, ſi quid fortè aliquando Superiorem ſuum celare voluerit. Quos enim angores, quos remorſus, quam animi inquietudinem ſentit, qui ſua operire & reticere geſtit? *Colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum ejus. Dolores parturientes venient ei.* Semper quippe velut in partus doloribus agit, ſecum reputans: *Dicamne, an reticebo* ? ac velut in binio modò quidem aperire ſe proponit, modò propoſiti hujus eum piget & pœnitet: jam Superioris oſtio vicinus erat tentationem declaraturus, & mox inde ſe, quòd non auſit, ſubducit re indicta: (*Venerunt filii uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi:*) jam in proximo erat, ut tentationem & ſiniſtrum cogitatum, quem è diabolo patre tenebrarum in animo conceperat, in lucem eniteretur: at quia ſufficiens ei ad pariendum virtus non fuit, nec robur, hinc jugiter in partus doloribus manet; & quo diutiùs ea celat, hoc majora tormina experitur, quia poſtea majorem in iis dicendis difficultatem ac verecundiam ſentit.

Oſe. 13, 12

Iſa. 37. 3.

Et differendo manifeſtatiõe ſui, accedit nova difficultas.

5. Novus quoque inde ei accedit dolor, quod ea initio non detexerit: maximè autem illum excruciat, iſthæc cogitatio: Qua fronte jam poſt tantum temporis lapſum Superiorem adibo? ſi jam primùm tentationem ſentirem, eam pandere non vererer: at quo modo jam coram illo cum ea comparare præſumam, qui tam diu hanc eum celavi? quid dicturus eſt, quod illi me non crediderim, quando quidem jam inde ab initio me aperire nolui? Nullam ergo homo quietem, nullam animi tranquillitatem ſentiet, quamdiu animum candidè non patefaciet; ſemper enim eum remordebit, torquebit, & lancinabit conſcientia, quod in tanti momenti ac ponderis re difficilem ſe præbeat.

Contra per manifeſtationem ſui oritur in homine tranquillitas magna.

6. Simul verò ut ſe manifeſtavit, omnis illa tempeſtas detumeſcet, animuſque optata malacia & quiete gaudebit. Perinde, ac dum quis pudore præpeditus peccatum aliquod confiteri non audet, aſſiduis timoribus, inquietudine, & internis mentis tumultibus concutitur: cùm autem illud aperuit, tantam animi conſolationem & lætitiam ſentit, ac ſi vaſtam quandam turrim dorſo impendentem, à ſe excuſſiſſet. Unde præclarè Sanctus Gregorius: *Vulnera clauſa plus cruciant: quia cum putredo, quæ intrinſecus fervet, ejicietur ad ſalutem, dolor aperitur:* Ita dùm quis peccatum ſuum ſincerè confitetur, & tentationes infirmitateſque patefacit, ilicò omnis animi dolor abſcedit. *Quid eſt enim peccatorum confeſſio; & tentationum manifeſtatio, niſi quædam vulnerum ruptio.*

Lib. 4. Moral. c. ult. & l. 3. paſtor. admoni. 15.

Declaratur illud Simili.

7. Niſi enim hæc eruptio fiat, graviter homo cruciatur: perinde ac ſtomachus vitiatio humore cibiſque oppletus, eos ructibus

& jugi ad vomitum conatu studet egerere; quia nisi eos rejiciat, nullam habere quietem potest, illis autem ejectis, quietus est & sibi constans. Hinc ergo patet, eum, qui animum celat, longè magis hac duplicitate cruciari & affligi, quàm se aperiendo & manifestando, hic enim non nisi exiguus est pudor, & mortificatio statim pertransiens; postea verò multa animi pace & quiete perfruitur, propterea quod se revelavit. Quare ei, qui difficultatis & laboris subterfugiendi ergò, scelera pectoris non pandit, respondere possumus, molestias fugiendas, vel ad has eadem revelanda videri. Quia si celet, longè majorē laborem sentiet, internoq; cruciatu, velut sputido quodã & purulēto carcinomate sensim con-
Ps. 31.3. tabescet & consumetur (*Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea*) declarando autem se, multa introrsum pace & gaudio perfundetur.

Caput VII.

Primariæ difficultati, quæ sinceram hanc retectionem impedit, satisfit.

Contra 2. obstaculum. Ex detectione comparat sibi quis apud superiorē majus nomen, honorem, &c.

1. UNa ex præcipuis difficultatibus, aut certè omnium, ob quas nonnulli se ipsos & animum suum apud Superiorem detegere detrectant, præcipua est; quòd hoc pacto se confundendos, bonum, quod fortassis apud eum habebant, nomen auctoritatemque amissuros, in posterum se ab eo ut suspectos habendos, ac nihil sibi posthac credendum, neve deinceps diligendos se arbitrentur. Hac diabolus fraude multos decipit, eosque ut se vel omnino non, vel saltem non perfectè declarent, inducit. At si longè secùs se omnia hæc habere, ostendamus: & ita quidem, ut ex hac sui detectione & apertione potiùs honorem sibi, & nomen, & maiorem amorem comparent, ex celatione verò horum jacturam sanant; difficultas hæc penitus ablata & complanata videbitur. Quod, Dei juvante gratia, hoc loco monstrare conabimur, ut appareat, quàm aliter longè se res habeat, quam illam nobis dæmon, quo nos decipiat, repræsentat, quod & in omnibus adeò ipsius tentationibus usu venit: ipse quippe pater mendacii est.

Id verum esse cõprobatur.

2. Dico ergo nullà re magis quempiam suum apud Superiorem nomen & æstimationem amittere, quàm se non revelando, ab eo se subducendo, eique occasionem dando, ut se ceu duplicem, fictum & fucatum habere incipiat. Nulla, quam deteget imperfectione tantum sui nominis amittet, quàm hac celatione: nam imperfectio qualibet non nisi una est; sed aliquem ut tacentem & duplicem habere, multa simul complectitur; nam de multis imperfectionibus eum suspectum reddit. Dicetur quippe de eo: *Hic se candidè non aperit. Unde nosse possum; num, si ut hoc celavit, ita & alia multa celaturus sit?* Sanè hoc unicum judicium apud Superiorem magis gravat & cruciat, quàm quidquid ipse de te dicere pote-

poteras. Contrà, cùm quis totum animum suum Superiori detegit, id est omnes tentationes, propensiones & defectus aperit, non modò nomen quod apud eum habebat, non amittit; sed ipsum etiam mirè adauget; habet namque hic eum ut virum humilem, mortificatum, manifestum & sincerum, non aliud in animi recessu occultantem, aliud extima facie prodentem.

Manifestatio amorem Superioris conciliat.

3. Altiùs porrò rem hanc repetemus, & jam inde à prima radice declarabimus; est enim è præcipuis, quæ in hac materia sunt, punctis. Dico ergo Primò, nullo subditum medio ad Superioris amorem, benevolentiam, & voluntatem sibi conciliandam, efficaciori uti posse, quàm universum animum suum illi retegendo, nihil ut ipsum celet, sed limpidè in lucem proferat omnia. Nam ut passim Philosophi & sacri scriptores docent, nulla re quis ad amandum fortius provocatur, quàm amari se videndo, unde etiam hoc nos argumento Evangelista Johannes ut Deum amemus, provocat: *Quoniam,* inquit, *ipse prior dilexit nos.* Nulla ergo re magis ostendet quis ardenti se in Superiorem amore ferri, quàm animum illi suum omniaque arcana, magna æquè ac parva, liquidò patefaciendo. Nam, dum amicorum amor ita sincerus est, & eò procedit, ut nihil invicem celent; id demum magnæ & extremæ cujusdam amicitiæ indicium est, unde etiam discipulis suis Redemptor ait: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Et,

1. Ioh. 4, 10.

Ioã. 15. 15.

Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Cùm ergo Superior subditum universa pectoris sui arcana sincerè detegere, & nihil eo clausum retinere cernit; tunc demum intelligit, verè ab eo se diligi ac patris & Dei loco haberi, eò quòd totam animam & honorem suum illi concredat, omniaque in manus ejus consignet; hoc illius animum rapit, & suffuratur, hoc ipsum ad magis amandum, majoremque illius rationem habendam, provocat. Luc. 8. 10

Occultatio autem aversionē

4. At si eum videat mentem liquidò non detegere, sed dupliciter agere, tortuosis amfractibus & convolutionibus uti, & in parabolis loqui, *ut audiendo rem non intelligat;* sufficientem causam habet, bene de eo non sentiendi, & minus diligendi cum neq; se ab ipso diligi, nec magni fieri, nec patris loco haberi videat, ut qui se illi nec detegere fidat, nec audeat: hoc quippe naturaliter quandam aversionem & animi alienationem causat, cedo, quomodo à Superiore te vis diligi ut filium, cùm tu eum non diligas ut patrem? tu eum ama, ut patrem, illi te filialiter fidendo, & sincerè candideque cum illo agendo; & ipse te complectetur ceu filium.

Luc. 8. 10

Tract. 8. c. 1.

Eadem est ratio Superiorum ad subditos, si his illi sint suspecti sint detectis agendi modis.

5. Idem dicemus postea Superioribus erga subditos esse observandum. Cùm enim Superior clarè sincereque cum subdito agit, (quodcunque demum illi dicat) & sic eum alloquitur: *Ecce hoc & illo defectu laboras, ob hoc passim notaris, ob hoc omnes te carpunt: da operam ergo, ut te emen-*

des: tunc subditus eum diligit: agnoscit enim id è vero amore proficisci. At quando Superior contortis & amfractuosis ambagibus cum eo agit, & errata, quæ in eo notantur, quæque corrigi vellet, candidè non aperit; sed aliud deforis ostendit, aliud animo fovet: non est hoc veri sincerique amoris, sed duplicis & ficti, indicium. Ubi ergo claritas hæc & candor utrimque elucescet, tunc demum verus erit Superiorum in subditos, & horum in Superiores amor, vera quoque inter utrosque animorum unio; & bene omnia se habebunt: sin minùs, omnia inanis erũt species & mera fictio: Quamobrem, per sinceram sui apud Superiores declarationem, amor non solùm non deperditur, sed etiam augetur.

Conclusio itaq; sui manifestatione æstimatio non perditur.

6. Hinc sequitur Secundum, nimirum, neque hac ratione, illi de bono nomine & existimatione in qua antè apud Superioré erat quidquam decessurum. Nam ubi amor est, semper est æstimatio & nihil amat voluntas, quàm quod illi ab intellectu, ut bonum & amatu dignum, repræsentatur. Duo hæc, *amor & æstimatio*, ordinariè juncta sunt, & pari passu incedunt.

Alia ratio quod aperiendo tẽtationes æstimatio non perdatur, quia

7. Sed ut, his omissis, magis ad particularia descendam, certum est, hominem, quamlibet fœdissimas & spurcissimas tentationes habeat, nullã prorsus per eas quoad primũ jacturam facere: tentari quippe, potius est, hominum Deo servientium, & de spirituali profectu solicitorum proprium. Nam alii peccatores sæpè, quid sit tentatio, nesciunt, nec ad eas animum reflectunt: neque diabolum illis tentandis multum temporis opus est impendere, quòd eum sponte & sine ullo impulsu haud inviti sequantur: at, quibus Deo seriò servire propositum est, quique virtutis & perfectionis studiosi sunt, tentationibus assiduè solent pulsari, juxta illud Sapientis: *Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.*

tentari propriũ est Dei servorũ.

Eccl. 2. 1

Tentationes suas nõ vitii seu inexperti falso putant esse novas.

8. Nonnullis sua solet tentatio probrosa admodum & pudenda videri, eamque ipsi ut singulare quid atque extraordinarium esse, nec ulli: quid unquam simile contigisse opinantur: unde Superiori se declarare non audent, rati hoc illi novum & peregrinum maximè usum iri. Estque hæc tentatio novitiorum propria; qui cum rerum experientiam habeant, nec tentationum notitiam; novum esse credunt id quod antiquissimum & communissimum est. Quocirca certus est, nihil dicturum te, quod Superiori ac Confessario tuo novum sit, quantumlibet id tibi extraordinarium, peregrinum, & novum appareat. Jam in alios multos inciderit, qui ab hac tentatione pulsati fuerint; forsitan & ipse per eandem viam transierit. Dixit olim Sapiens, *Nihil sub cœlo Novum*, sed omnia antiqua: nulla ergo tibi videantur nova.

Eccle. 10

Ratio, quod nec defectus suos aperiendo

9. Adhæc nihil admodum de existimatione sua apud Superiorem quis amittet, suos defectus & imperfectiones ei patefaciendo, quam tamen jacturam maximè vereri solemus.

nullam boni nominis jacturam facit.

lemus. Ratio est: quia humanum est labi: constamus quippe è luto, quod facilè frangitur & dissolvitur. Et Superior, satis ex propria subditi fragilitatem agnoscit; omnes quippe ex eadem massa ficti sumus. Unde non miratur, nec novum ducit, dum suos subditus defectus & imperfectiones declarat. Gerson, junioribus & adolescentibus persuadens, nihil ut præ pudore confiteri omittant (quia alioquin error in id genus hominibus frequens esse solet) ait: *Ideone me minùs tibi benevolum fore, aut minoris æstimaturum putas, quòd tua peccata & imperfectiones norim? falleris: potiùs te tunc ceu filium charissimum, & qui mihi sincerè confisus est, & liberè detexit quod ne proprio quidem patri ausus esset detegere, complectar.* Novit Deus, inquit, *quo amoris affectu, & dilectionis visceribus in illum ferar, qui suas mihi miserias aperit; quæ quo abjectiores & fœdiores sunt, eo magis viscera & cor meum erga eum sentio commoveri.*

Tract. de parvulis ad Christum trahẽdis. p. 2.

Superior subditũ tentationes suas manifestantem magis diligit, & fovet.

10. Sanè, illa subditi in culpa declaranda humilitas & candor, illud ejus in spiritu proficiendi, & ut curetur juveturque, desiderium naturaliter Superiorem movet, & in causa est, ut eum intra viscera recondere, & animum suum totum in eũ velit effundere. Cùm vel externus quis nos adit, suaque nobis gravamina, mala, & miserias aperit; magnum in nobis ipsis, ad eum juvandum, amorem & desiderium concipimus, eumque consolari & animare quà licet procuramus: quid ergo filio fiet? Permagni verò interest, hanc ut veritatem omnes, quotquot sunt, intelligant, animoque imprimant; nimirum, adeò se, imperfectiones & infirmitates suas Patri spirituali declarando, nihil de amore & æstimatione sui amissuros, ut etiam magis ab eo propterea diligendi, & pluris faciendi sint: ne quis tanti momenti negotium, quanti hoc est, per diaboli repræsentationes in contrarium (quæ & falsæ sunt & mendaces) usurpare negligat.

Peccare coram Deo & hominibus est res pudenda, non item peccatũ fateri.

11. Porro, ad majorem horum confirmationem, notandum hoc loco est, ipsum malè agere, quin & malè agendi voluntatem ac propositum, pudendum ac probrosum quid esse, & indignum quod ante oculos tum Dei, tum hominum appareat: contrà, malè factum & peccatum ex animo detestari, ob id pœnitere & erubescere, lapsus lacrymis plangere, & confiteri, coram Deo non tam probrosum est, quàm honorificum: unde etiam coram hominibus, qui Dei locum occupant, tale videri & esse debere.

An SS. peccata apparebunt in die novissimo.

12. Quærunt, & disputant in scholis Theologi, num, quæ Sancti & beatitudine donãdi, aliàs in vita mortali admiserũt peccata, in die universalis judicii palàm & in apertum proferenda sint? Variæ sunt quo ad hoc opiniones: sed hoc, (quod ad propositum nostrum faciat) ut certum hac in re dicere possumus, siquidem ea publicanda sint, non tam in probrum & confusionem eorum, qui ea admisere, quàm laudem & glo-

Peccata Sanctorum in die Iudicii cum eorum gloria manifestabuntur.

riam cessura: nam unà cum illis talia pœnitentiæ & satisfactionis, effecta apparebunt ut non confundendi & aliquo pudore replēdi, potiùs honorandi & pluris propterea faciendi sint. Quod facere, Deo facere, & facile & solemne est, & etiamnum hodie in multis Sanctorum facere videmus: quotidiè namque Mariæ Magdalenæ peccata publicantur & celebrantur, eaque in die ejus festo, in Evangelio, magno ejus cum honore & celebratione, & ad insignem Dei gloriam & honorem (utpote qui etiam è peccatis tantum prolicere potest bonum; *Qui sugit mel de petra, oleumque de saxo durissimo*) publicè decantantur. Idipsum & in Apostolorum Petri, Pauli, Matthæi, & Davidis Prophetæ peccatis videre licet. Adeò ut ob illa, per talem pœnitentiam & satisfactionem expiata, nullam honoris sui æstimationisve jacturam faciant, sed potiùs quid lucrentur.

E peccatis Sanctorum Deus majorē eorum gloriam elicit. *Deut. 5.13*

Peccati cōfessio est limbus aureus laceræ vesti assut'.

13. Egregia id solet similitudine declarari: Sicut dum nova vestis pretioso è panno confecta, & benè concinna, casu nescio quo ad clavum aut paxillum adhærescens, laceratur, & jam propè est, ut velut inutilis abjiciatur; fracturæ & hiatui limbus aliquis pretiosus, vel aurea filamina, vel acu elaborata parerga, assuuntur: itaque ipsa vestis pulchrior ac spectabilior, apparet quam antè; Adeò ut non nisi studio ad majorem ei parandam elegantiam hæc fractura facta videatur. Sic Sanctorum peccata, si modò manifestanda sint, ita in die judicii extremi omnium oculis exponentur, ut nullam illis hæc infamiam aut confusionem, sed gloriam potiùs & honorem sint allatura; quòd tam potenter beneque illa à se abdicarint; superaffuerunt, videlicet, fracturæ suæ limbum aureum, vel arte phrygionica elaboratum, qui magnum ipsis honorem & decus conciliavit.

14. Ita porro se res habet in nostro proposito: ut, dum quis suas Confessario vel Superiori infirmitates & miserias, magna sui cum confusione, pœnitentia, cum vero remedii curationisque obtinendæ desiderio, manifestat; adeò nihil de honore apud eum deperdat, ut etiam magis ab eo honoretur, æstimetur, & ametur. Nam ut ait Sapiens, *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.* Confusio & erubescentia, qua impellente quis culpas aperit, magnum honorem adfert & gloriam: at, qua movente culpas occulit, nonnisi peccatum.

Sicut in confessione dicta peccata nō sunt probro, sic nec extra eā Spiritus gratia manifestata.

15. S. P. N. Ignatius cùm facerem Religiosis quidem votis obstrictum, sed vitæ solutioris & profanæ, sibique per omnia adversantem in viam salutis revocare vellet; sed frustra tentatis omnibus, operam & oleum perdidisset; statuit tandem, velut ultimum tentaturus, apud illum peccatorum confessionem instituere. Cùm ergo culpas quotidianas jam aperuisset, etiam superioris vitæ peccata quædam, quæ præ aliis eum remorderent, & angerent, se ait aperire velle. Incepit ergo adolescentiæ suæ ignorantias & delicta juventutis tanto

Lib. 5. c. 10. vitæ

Exempl. Peccatorū manifestatio homini perdito causa conversionis est.

tanto doloris & pœnitentiæ sensu, tantisque cum lacrymis, confiteri; ut inde confessor planè sit immutatus, atque amare ac revereri cœperit Ignatium, quem antea summopere abhorrebat, eumque in vitæ novæ ducem & magistrum assumere. Exercitia ergo spiritualia, illo instructore obivit, vitæque rationem in melius, magna omnium qui priùs eum noverant, cum admiratione, commutavit. Unde facilè apparet, quàm nullum sit homo per hanc sui detectionem, honoris & reputationis amittendæ discrimen aditurus. Nam eo ipso quòd in oculis Dei fit melior, & plus sibi comparat; etiam apud homines (qui Dei ministri sunt, ejusque mores ac conditionem imitari debent) nihil deperdere, lucrari potiùs debet.

Qui tentationes celant, parum de emendatione morum sunt solliciti.

16. Atque hinc veritatem quandam infero experientia crebra probatam, quæque etiam consideratu dignissima est; nimirum quando quis arcana cordis liquidò non aperit, sed qua potis est celat; colligi hinc evidenter, eum vitam in melius emendare nolle, nec de correctione sui hilum laborare; sed pertinaciter in delictis velle manere, & ex iisdem emergere nolle: si enim delictorum verè eum pigeret & pœniteret, & firmum vitæ posthac rectè ducendæ propositum conciperet; certum est nihil ei apud Superiorem per culpæ declarationem, nec non dolorem hunc & emendationis propositum, de nomine æstimationeque decessurum, sed accessurum potiùs. Unde efficitur, hoc inter alia causam esse cur de fama sua multum deperdant qui se candidè non declarant; quia sic satis ostendunt, nondum se mores correxisse, & eosdem corrigere nolle.

Caput VIII.

Difficultati superiori etiam alia ratione respondetur.

Humilitas ad tentationes manifestandas inducit.

1. POterimus & alia via difficultatem hanc dissolvere: si nempe, planè humiles essemus, vel verè tales esse desideraremus, humilitatique comparandæ seriò nos daremus; gaudere nos debere, quòd Superior nos totos perspectos haberet, & quales revera sumus, tales existimaret: atque vel hoc solo nomine omnes propensiones pravas & defectus nostros ei patefacere nos oportere: cur enim teneri velim pro eo qui re ipsa non sum? Vera quippe humilitas facit, ut non solùm homo semetipsum cognoscat & parvi faciat, verùm etiam ab aliis cognosci & vili pendi gaudeat. Est quidem hæc sui declaratio, & conscientiæ apertio, ob alios fines in Religione, (uti suprà dixim[us]) instituta; quamvis tamẽ aliud nullum in hoc lateret bonum, quàm unum hoc quo de loquimur; satis id nobis esse deberet, si modò verè ad humilitatem aspiraremus, hoc namque insignis est ejus exercendæ modus. *Cap. 1.*

Ambitio ad tẽtationes celandas incitat.

2. At, si humilitas desit, si æstimari quis ac magni fieri velit, si functiones & officia sublimia, si locum & gradum altiorem ambiat; mirum pro-

profectò non est, se vano quodam in se declarando concutiatur timore, qui hujusmodi personas perterrere, vel potiùs decipere solet, ut sic apud se ratiocinentur: *Certè si defectus meos rescíat, nunquam altiùs evehar, caput non efferam, semper obscurus & inglorius delitescam, & nullo numero ero.*

3. Sic isti cœcæ ambitionis cura occupati argutantur, sed valde aberrant, primum in eo quod honorem pro fine summo habent, deinde quod media importuna ei quærendo adhibent. Constat quidem Sanctos & Dei servos, etiam defectus in se quosdam, imò & peccata nonnulla, finxisse, ne ad dignitates & functiones honorabiles assumerentur, sed in angulo suo & cella inglorii ignotique latitarent. Verum errata quæ revera habet, tegere ac dissimulare allaborat, quo æstimetur, elevetur, ac pluris fiat quàm reipsa est; næ ille se nimis quàm procul à virtute hac remotum esse ostendit.

par.2. tract.3. c.25.

Religiosus debet tantum habere humilitatis, quãtum ad Regulas servãdas est opus.

4. Notandum autem hîc quoddam magni momenti punctũ (quod & alio loco pertractamus,) scilicet, sicubi humilitatem, mortificationem & reliquas virtutes Religiosus exercere & ostendere debet, in eo certè inprimis eas illi exercendas videri, quod ad perfectam regularum observantiam necessarium est: in hoc enim omnis noster profectus & perfectio consistit, unde si sat non habeat virtutis, ad ea humilitatis & mortificationis opera, ad quæ per regulam & institutum obligatur, exercenda, nihil omnino habere se existimet. Quorsum enim virtus & mortificatio, si, dum naturalis aliqua confusio, vel modica æstimationis jactura ipsi subeunda est, regulam tam primariam, qualis est hæc, transgredi & violare non veretur:

In sui manifestatione maximè exercitur Humilitas.

5. Sanè si veram humilitatem, si veram culpæ suæ cognitionem ac dolorem haberet; eam quæ ex ejus declaratione resultat; confusionem & verecundiam æquanimiter deberet, in ejusdem satisfactionem & expiationem, accipere, imò vel hoc solum nomine ad superiorem recurrere, sicut Imperatorem Theodosium fecisse constat, quod certè exemplum dignum est ut omnes imitentur.

Anno Christi 394.

Exempl. excellẽs.

6. Cùm Rufinus præfectus, prętorio seu Generalis exercitus, Theodosio Imperatori (ambigenti, an mediolani contra minas S. Ambrosii progrederetur in publicum, post cædem innoxiorum plurium patratam Thessalonicæ) suaderet, ne ad Ecclesiam se conferret, Episcopum enim Ambrosium eum eôdem haud admissurum; magna, qua erat submissione, religione, & humilitate, respondit: *Equidem Ecclesiam adire volo, & ibi ex Episcopo coram audire quod mereor. Ita & te Religiose dicere oportet: Superiorem vel Confessarium meum adire cupio, & ex eo quod promereor, audire: ipse me cognoscat & talem habeat, qualis verè sum; hanc Dominus confusionem & ignominiam, & peccatorum meorum satisfactionem & compensationem committere dignetur.* Bona hæc humilitas & confessio est, & bonum pœnitentiæ signum; non autem, quod quis gravius ducat homini culpam declarare,

clarare, quàm eam adversus Deum opt. max. commisisse. Hoc nimis quam est à vera humilitate alienum.

Alia ratio ex Regulis. *Reg.17. Sūmarii.*

7. Quòd si (uti regula prę scribente facere jubemur) *injurias pati falsa testimonia subire*, imò & *stulti haberi* (*nulla tamen ad hoc* à nobis *occasione data*) *velle* debemus; quanto hæc ipsa magis optanda sunt, ut aliquem virtutis, obedientię, ac religionis actum exercitemus, & tanti momenti regulam (uti hæc ipsa est) observemus?

Alia ratio temporalis Subdito se manifestanti multùm fidit superior.

8. Verùm ne omnia solùm spirituali via condocere videamur, atq; ut totum hoc negotium & planius & facilius reddamus; argumentum illud quod superiori capite indicavimus (quod certè bonum & verum est) resumamus; ostendentes, hominem Superiori se ingenuè declarando & patefaciendo, non modò nihil deperdere, verùm etiam sibi hoc pacto honorem, æstimationem, imò & majorem ejus amorem comparare; se autem occultando, hæc omnia apud eum amittere. Cui addo & aliud, quod hinc consequitur: nimirum, cùm hanc sinceritatem & perspicacitatem Superior in subdito perspicit, tunc huic permultum fidere, & jure merito: novit enim jam illum intus & mente, & præscit eum cum quæcunque illi supervenerit difficultas, ad se ilicò recursurum. At cùm se quis liquidò non aperit (id quod facilè videre est) tunc nihil illi Superior, quia eum ignorat, & quid in illo lateat nescit, fidere potest: unde necesse eum erit cautè, restrictè & timidè cum tali procedere, eum semper ut suspectum habendo.

Per manifestationem vitatur alienatio subditi à Superiore & contra.

9. Est verò hoc inprimis notandum, est enim de præcipuis radicibus, è quibus multæ animorum aversiones & amaritudines in subditis enasci possunt: quæ omnes indubiè evanescerent & cessarent, si sincerè superiori se subditus revelaret. Sic quotidiana experientia videmus, per hunc procedendi modum, & communicationem sui, multas umbraticas apprehensiones, imaginariasque suspiciones, quas de inferioribus Superiores, & contrà illi de his nonnunquam concipiunt effugari & finem haberi, sunt enim suspiciones & timores perinde ac phantasmata de nocte apparentia; quæ si eminus videantur vel audiantur, perterrent & consternant; si autem propiùs, ut tangas, accesseris, non aliud esse comperies id, quod adeò mirum & peregrinum videbatur, quàm arboris ramusculum. Ita in his rebus usu venit, nimirum, ut quod te tantopere percellebat, terrefaciebat, & aliquid esse videbatur, ubi ipsum tangis (id est, te aperis, & ipsum cum Superiore communicas) ilicò evanescat, & nonnisi merum phantasma esse comperias. Unde pręclarè Seneca, de constantia & animi robore, quo res aggredi debemus, loquens, ait: *Non, quia difficilia sunt, non audemus: sed quia non audemus, difficilia sunt.* Si enim seriò huc animum adjungeremus, & ea aggredi auderemus, videremus haud dubiè, non tantam iis, quanta fortè prima fronte apparet, difficultatem contineri. Et ad hoc declarandum, adfert illam, quam paulò antè obiter attigi, similitudinem de noctur-

Epist. 104 post medium.

nocturnis phantasmatis, necnon illud Poetæ, *Terribiles visu formæ*, Et notat, non dixisse Poetam, eas verè terribiles fuisse, sed tales tantùm apparuisse, quare accede, ac manu palpa, & videbis eas merum nihil esse. Taliter verò se res habet in eo quod in præsenti tractamus.

Æneid. 6

Caput IX.

Multum Deo debemus, quod ipsam conscientiæ retectionem in Societate adeò nobis facilem & suavem reddiderit: & quæ facilitatis hujus & suavitatis sint causæ.

Manifestatio sui tam sacramentalis quã ascetica est naturæ corruptæ difficilis.

1. IMmensas largitori Deo, ob singulare adeò, quòd Societati confert beneficium & favorem, gratias referamus oportet, quòd videlicet, isthæc subditorum apud Superiores declaratio talem, eo dante, locum in ipsa habeat, tantaque suavitate & animi alacritate usurpetur: hoc namque longè ex se difficilius est, quàm quælibet pœnitentiæ & corporis vexationes exteriores. Et verò quam res hæc ex se habet, difficultas satis intelligetur ex ea quæ in sacramentalis confessionis præcepto continetur: in quo majorem fideles ut plurimum sentire difficultatem solent, quàm adeò in reliquis omnibus præceptis.

Difficultati huic adhibitũ est remediũ silẽtii sacri.

2. Quamobrem ut minor ipsa foret & tolerabilior, necesse fuit, *confessionis sigillum & secretum*, quod adeò inviolatè integreque servandum est lege divina præscribi: hoc nihilominus præceptum quibusdam adeò videtur difficile, ut, ne se animumque aperiant, infernum quendam prævium (ob assiduos conscientiæ remorsus, anxitudines, & inquietudines, quas jugiter quocumque pergunt circumferunt) in hac vita pati malint, quem postea in altera consummatum & plenè sempiternum patiantur.

Manifestatio sui ascetica difficilior est quam peccatorũ confessio in Sacramento pœnitentiæ.

3. Majus quid verò tute facis, dum universum animum tuum limpidè in superioris sinum effundis: quia non peccata solùm aperis, & quòd confessionis materia est, verùm etiam quod nec peccatum est, nec confessionis materia. Et solet non rarò majorem homo in aliqua sua fragilitate, ineptia & parva imperfectione, quàm in aliis peccatis gravioribus, declarandis repugnantiam sentire. Huc accedit, quòd hæc omnia etiam extra confessionem aperiantur, quòd profectò longè majus est. Cùm ergo rem ex natura sua tam difficilem, attamen tam fructuosam, adeò nobis Dominus facilem & suavem reddiderit; magni sanè beneficium hoc faciendum est, & infinitæ propterea ei gratiæ agendæ.

Idcirco hæc etiã est remedio bono mitigata: gratia ordinis.

4. Videamus jam, ecquænam tantæ hac in re facilitatis & suavitatis in Societate sit causa. Prima & præcipua, est ipsa gratia Religionis: Deus enim cuique Religioni peculiaria quædam media, ad profectum suum proportionata, ac prout finis & institutum, quod ipsa profitetur, id videtur exigere, suggerit. Atque hoc est, quòd gratiam Religionis vocamus. Quoniam verò ad finem quem Societas profitetur (qui est, ut simus

Tr. 1. c. 7. ad quocunque terrarum discurrendum, ad animabus quà possumus, opitulandum, & cum omni hominum genere conversandum parati) tanti momenti, tamq; necessariũ medium est, ut nos penitus & à capite ad calcem, intus & foris, superior perspectos habeat, ob eas, quas ante diximus rationes; hinc est quòd peculiare quoddam auxilium & gratiam Deus opt. max. ad hoc nobis concedat.

Huc accedit paternus Superiorum in suos animus.

5. Secunda hujus facilitatis ac suavitatis causa, est benigna bonaque Superiorum susceptio, paterna, quæ subditi in illis reperiunt, viscera, benignitas & amor, quo ipsos venientes admittunt: tanta quidem, ut aliam ob causam ibi non esse videantur, quam ut aures tibi præbeant, & consolentur. Est hoc permagni momenti negotium, unde necesse est, subditi sibi persuadeant ac credant, se amicam hanc in Superioribus susceptionem & benevolentiam in certò inventuros, ut sic omnes fiducialiter ad ipsos recurrant, & tanti ponderis rem, quanti hæc est, ideò exercere non omittant, quod sibi à Superioribus metuant, eosque ut austeriores & præfractiores exhorrescant: Huc non parum etiam conferret, cogitare, ipsorum quoque Superiorum permultum interesse, sic benevolè amanterque subditos venientes accipere: hoc namque ipsorum officium est; alioqui partibus ipsi suis minimè satisfacerent.

Serm. 23. in Cant. Superiores subditis potius ubera, quàm verbera admovẽt

6. S. Bernardus, super illa Cantici Canticorum verba: *Exultabimus, & latabimur in te, memores uberum tuorum super vinum*: scribens, Superiores sic commonet, dicens: *Audiant hoc Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati rarò: erudimini qui judicatis terram, discite subditorum matres vos esse debere, non dominos: studete magis amari, quàm metui: &, si interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica: matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis: mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant.* Affertque hujus rei occasione illud Apostoli Pauli. *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris*, nec non illud Ezechielis: *Ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

Gal. 1. 6.

Ezech. 3. 18.

A superioribus ii, qui se suaque detegũt, benignè audiendi, & instruendi.

7. Væ, inquam, Superioribus, qui subditos, tentationum atque infirmitatum suarum detegendarum causa, ad ipsos accedentes benignè & amanter non suscipiunt. Væ illis, si exasperatos à se dimittunt, paterna viscera iis non exhibent: nam si subditum idcirco vel mori, vel deteriorari contingat, (uti non rarò solet contingere) id Deus à Superiore reposcet. Adeò ut vel sua causa suo Superior officio rectè fungi debeat, ut tu, benè fungaris tuo.

Facilis est sui manifestatio in Societate

8. Tertia, quæ hoc in Societate facilè & expeditum reddit, causa, est exemplum, & frequens ac communis rei hujus usus, utpote quam quotidiè à fratribus nostris usurpari videmus. Unde non immeritò quoad

te propter multorum exemplum. Lib. 8. Confess. cap. 11.

hoc dicere possumus, quod olim Augustinus, cum ad orthodoxam religionem transire proponeret, ac castè vivere difficilè illi videretur, adeoque hoc à se ipse impetrare non posset, evenisse sibi scribit. Apparuisse scilicet sibi continentiam inhonestæ cuiusdam matronæ specie, simulque multos pueros & puellas (quos capacis cuiusdam pallij syrmate tegebat.) nec non alios plurimos varij status, sexus & ætatis, eosque omnes mirè castus & honestos, ostendisse, ac subridendo (quasi illi inertiam ac pusillanimitatem exprobraret,) dixisse: *Quod isti & istæ, tu non poteris? An verò isti & istæ in se metipsis possunt, ac non in Domino Deo suo?* Quo viso, & audito, mirè fuit sanctus ille vir animatus. Hoc igitur & te, cùm aliquam tibi quoad hoc cacodæmon difficultatem repræsentabit, dicere oportet: Quid? te non posse, quod possunt omnes? Te non facere quod facit alius ille, qui te & antiquior, & doctior, & prudentior, & sagatior est? Ita porrò hæc cogitatio negotium istuc complanat, ut non modò ipsum reddat facilius, verùm etiam eius omissionem acerbam & gravem videri faciat; dum & cæteros offensuri, & notam aliquam incursuri videmur, si, quod communiter faciunt reliqui, ipsi soli facere negligamus.

Ad inducendam sui manifestationem multum valet exemplum

9. Quocirca, quotquot sumus, eniti debemus, ut salutaris hic usus & consuetudo longiùs se extendat, quo bono unius exemplo ad imitandum animentur alij. Veteranorum inprimis & doctiorum est, hanc aliasque id genus res, cum exemplo suo, tum sermone & colloquijs conservare ac stabilire: nam uti per hæc multum alijs prodesse, ita etiam obesse, & mali multum causare possunt. Reliqui enim singula ipsorum opera verbaque accuratè notant & intuentur, eaque magni faciunt & sequuntur, quæ ab ipsis æstimari & in pretio haberi conspiciunt.

seniorum & doctiorum virorum.

Frequentatis actibus acquiritur facilitas seu habitus.

10. His addo, permultum unius cuiusque nostrum interesse, rem hanc frequenter usurpare & exercere; ita namque ea nobis facilis evadet: si verò usurpare negligamus, paucis post diebus magnam nos in eo difficultatem reperturos: sicut & in aliis humilitatis & mortificationis exercitiis usu venit, & in confessionis præcepto quotidie fieri videmus, nimirum, qui semel duntaxat per annum confitentur, iis id perdifficile; qui autem sæpiùs, facile & suave reddi.

Superior in suorum delictis manifestatis non iudex, sed pater & magister est.

11. Quartò, huc etiam non mediocriter iuuat, hominem nosse, se, dum superiori vel rerum spiritualiũ Præfecto in conscientiæ ratione reddenda quid aperit, id non tanquam iudici, sed velut patri dicere, ut sic subditum consoletur, ei consilium det, & remedium suggerat. Proinde non potest quis ullatenus, ob id quod eo in foro deponit, castigari, etsi alioquin res ex se castigationem promereatur; uti nec ob quæcunque in Sacramento Confessionis depromũtur: quia duo fori hi ab aliis foris distincti sunt, nec quod de illis dicitur, his accommodari potest.

Cap. 4. exam §. 35.

12. Quintò, hanc conscientiæ claritatem maximè facilitat, & huc usq; dicto magis confirmat summum declarato-

Facilis sui manifestatio fit secretũ omne Superioribus servandũ

claratorum silentium (quod & in Constitutionibus nostris insinuatur:) ita ut Superior universa quæ dicuntur ; nulli prorsus mortalium sit revelaturus. Securus ergo & tutus esse potes, id, quod ei conscientiæ rationem reddendo, aperies, illius in corde clausum & observatum fore, nulli hominum aperiendum aut declarandum, nec nullum inde tibi damnum infamiamve secuturam. Hoc etiam (præterquam quòd secretum omne natura sua ad peccatum, & quidem mortale, obligat. R.P.N. Generalis Claudius Aquaviva, gravibus & severis decretis confirmavit ac stabilivit, salutis etiam pœnis & castigationibus in eo qui secùs facerent: usque eò ut etiam ab officio illos suo amoveri & in ordinem redigi velit. Nec vult tantùm subditis hoc suum decretum innotescere, verùm etiam illos scire Superiores, cùm in hujus observantia & executione aliquando delinquent, pœnas certissimè damus, quemadmodum ne ulli à Confessione Sacramentali deterrerentur, etiam necesse fuit sacerdotes, ad illius sigillum & secretum servandum, lege lata strictissimè obstringere: ita, ne quis se à conscientiæ ratione reddenda excuset, visum est R.P. Nostro illius secretum tam operosè & signanter inculcare, ne tanti momenti negotium aut intepescat, aut vilipendatur. Quo nescio num bono Societatis regimini dari quid possit perniciosius, utpote quæ suos ad perfectionem magis per culturæ internæ, & directionis spiritualis viam, quàm per alias quaslibet leges & pœnas exteriores conducere cupit. Unde satis intelligent Superiores quantum Religioni ipsi sint damnum, harum rerum secretum infringendo illaturi.

Instruct. de paternè exigẽda ratione conscientiæ à subditis, & secreti fide servanda.

Sui manifestatio præcipuum Societatis præsidium.

CAPUT X.

Quis in conscientia ratione reddendæ servandus sit modus.

Thre. 2. 9.

Ratio consciẽtiæ candidè reddenda.

1. *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini.* Hæc, quam Jeremias Propheta adhibet, comparatio satis declarat, quo cor nostrum modo aperiendum sit ei, qui Dei locum occupat. Cùm ergo conscientiæ rationem reddimus, non secùs eam reddamus oportet, ac quis aquam è vase effundit. Siquidem, dum oleum aut mel è vase effunditur, aliquid semper vasi adhæ rescit: dum vinum vel acetum, odor saltem in vase permanet. At dum aqua effunditur, ejus nihil penitus vasi adhæret, nullus superest odor, sapor nullus, imò ne vestigium quidem & signum, è quo aliquando ibi aquam fuisse colligas, perinde ac si nihil ei infuisset. Hoc ergo modo debes cor tuũ coram Superiore, cùm conscientiæ ei rationem reddis, effundere ac revelare, nihil ut ei adhęrescat, nullus odor, nullus sapor, nullum denique vestigium in eo supersit.

Quoties? Ratio consciẽtię bis in anno reddenda in Societate.

2. Quæres quoniam tanti momenti est, tamque primarium atq; efficax spirituali animarum nostrarum profectui comparando medium; ideò voluit S.P.N. ut, pręter frequentes illas conscientię declarationes,

quæ toto anno uſurpantur, peculiari quodam modo ſingulis ſemeſtribus hæc redditio fiat; quibus totius, quod interfluxit temporis, ratio redditur, eaque ipſam votorum renovationem ſemper antecederet. Sic ſemper id eſt in Societate uſurpatum, ac jam inde à quartæ congregationis generalis tempore in Regulas communes relatum. Ac quemadmodum vult, ut præter confeſſiones ordinarias, quæ ſæpiùs in anno inſtituuntur, generalis tunc temporis de intermedio ſemeſtri confeſſio fiat: ita & decernit, ut, præter redditionem conſcientiæ ordinariam, quæ frequenter à quoque noſtrum inſtituitur, tunc generalem quandam de toto quod ab ultima intercurrit, tempore rationem quiſque reddat: ratus nullum ſe poſſe, ad interiorem ſpiritus renovationem faciendam, medium nobis dare melius & convenientius.

Reg. 4. cōmunium.

Reddita conſciētiæ ratio ad ſpirit⁹ renovationem & augmentum virtutis proficit.

3. Unde & R. P. N. Generalis Claudius Aquaviva, illius uſum, in inſtructione Viſitatoribus data, ſingulari quodam modo commendans, ait: *Si, ſicut oportet, à ſubditis conſcientiæ ratio reddatur, atque à Superioribus accipiatur: magnum procul dubio momentum habebit ad ſpiritus renovationem, & augmentum* virtutis & perfectionis in Societate. Quibus conſonant & conſentiunt illa S. Baſilii verba: *Debet unuſquiſque eorum qui inferiores ſunt (ſi quidem memorabilem ullam facere progreſſionem ſtudet, & ad perfectionem pervenire) nullum animi ſui motum apud ſe ipſum retinere*: Sicut in aquæ limpidæ fundo etiam lapilli & arenulæ quantumvis minutæ, jacentes apparent: ita ſubditus ita liquidò & tranſparenter ſuo ſe Superiori declarare debet, ut is omnes animæ ejus feſtucas & imperfectiones perſpectas habeat: *Hoc enim modo fiet, ut & quod laude dignum ſit, in nobis confirmetur: & quod minus probandum, congruo remedio ſanetur: atque ex hujuſmodi mutua exercendi inter nos conſuetudine, per modicas acceſſiones ad perfectionem pervenietur.*

In quæſt. fuſiùs diſput. reſpon. 21.

Inſtrūctio & regula de reddēda conſciētię ratione.

14. Ut autem meliùs majoríque cum facilitate hoc facere poſſumus; extat inſignis in Societate quoad hoc Inſtructio: circa quam hoc ſolùm à lectore notari volo, ex duabus, quas habet, partibus principalibus, primam, (quæ ejus procœmiũ eſt vel caput) præcipuum eſſe, quòd in ea univerſa Regulæ quadrageſimæ Summarii Conſtitutionum (quæ eſt de conſcientiæ ratione reddenda, & quo hæc modo reddi oporteat, declarat) ſubſtantia contineatur. Itaque poſtquam cogitare quemque juſſit, quanti rem hanc S. P. in Conſtitutionibus faciat, ait: *Proinde unuſquiſque magna cum puritate ſub ſigillo Confeſſionis, aut ſecreti, aut quacunque ratione ei placuerit, & ad majorem ipſius conſolationem fuerit; totam animam ſuam integrè manifeſtam faciat, nullam rem celando: qua Dominum univerſorum offenderit, poſt ultimam rationem redditam conſcientiæ; vel certè aperiat eos defectus, qui magis ab eo tempore gravant ipſius animam.* Dico ergo, in hoc præcipuum rei hujus momentum verſari, & eum, qui quod procœmium hoc ſuadet, omitteret, bonum

num integramque conſcientiæ ſuæ rationem neutiquam redditurum; etſi alioqui ſecundam partem, quæ quatuordecim capita ac puncta particularia complectitur, totam obſervaret.

De tentationibus, paſſionibus & malis inclinationibus præcipua ratio cōſcientiæ reddenda eſt.

5. Et verò ut hoc clarè pateat, non erit opus per omnia puncta diſcurrere, ſed duntaxat in uno de præcipuis exemplum ponere: nempè tertio, quo tentationum, paſſionum ac malarum inclinationum noſtrarum rationem reddere jubemur. Hoc quippe unum de præcipuis eſt, quorum nobis eſt danda ratio: Quas nimirum tentationes habeamus, an eæ nobis ſint moleſtæ & importunæ; quàm iis facilè, difficilè, & quomodo reſiſtamus? Idem eſto de paſſionibus & pravis motibus & propenſionibus judicium. Neque aliud in hoc interrogatorio, nec in tota ſecunda hujus inſtructionis parte, quoad hanc materiam ſpectat, additur.

Non ſolùm inclinátiones, ſed & lapſus ſunt aperiendi.

6. Jam quæro, num ſatis bonam & perſpicuam is conſcientiæ ſuæ rationem Patri ſuo ſpirituali ſic redditurus, (ita ut hic animæ illius ſtatum, quoad hoc punctum, exploratum habeat) qui omnes tentationes omneſque propenſiones ſuas vitioſas illi declaraverit? Equidem ſatis id eſſe nego; niſi inſuper lapſus, ſi qui in iis intervenerint, indicet. Aliud quippe eſt dicere: Inclinatus ſum ad ſuperbiam; aliud: Adeò in ſuperbiam ſum pronus, ut tale quid fecerim, vel facere voluerim, quò ab aliis magni fierem, & æſtimarer; vel ægerrimè tulerim, hoc illudne mihi demādari, & tali excuſatione illud à me amoliri ſim conatus: idque ideò tantùm, quod ſatis mihi ad illud exequendum, virtutis, nec humilitatis fuerit; etſi alioquin facilè id facere potuiſſem. Aliud idem eſt, dicere: Sum cholericus & impatiens; aliud verò: Adeò ſum impatiens & cholericus, ut extra limites me ira & impatientia abripuerit, & fecerim ac dixerim, quod proximum offenderit. Aliud denique eſt, dicere: Tentationibus pulſor inhoneſtis; aliud: in illis ita ignavè me geſſi, ut diutiùs iis ſim immoratus, vel delectationem inde hauſerim, &c.

Ratio propter quam etiam ipſi lapſus aperiendi ſint.

7. Certum namque eſt, aliud & diverſum formari judicium, de eo qui tentationi ſuccubuit, aliud de eo, qui ab illa quidem fuit impetitus, ſed validè animoſeque eſt reluctatus. Unde etiam alia medicina & cura adhibenda eſt illi, alia huic quemadmodum aliter curatur febris, in forti valentique ſubjecto, aliter indebili & infirmo; quod noſſe, permultum & medici intereſt, & ipſius febricitantis (aliter quippè febris in debilis, aliter in validæ complexionis ægro curanda eſt.) Similiter & medici ſpiritualis, & tui, permultum referet, noſſe quod tuum vel robur, vel infirmitas ſit, ut inde ſciat, quo te modo curare, quodnam tibi adhibere remedium debeat. Satis proinde non eſt, illi te tuas tentationes & parvos habitus declarare, niſi ſimul & lapſus, ſi qui intervenerint, aperias. Hinc quippe liquebit, quanta tua ſit in ſpiritu infirmitas, quanta potentia & fortitudo. Propterea quadrageſima primæ Summarii Conſtitutionum

Regula.

Reg. 41. Sum ma- ri.

Regula (quæ etiam hanc materiam tractat) sic habet: *Nullam debent nostri celare tentationem, quam Superiori non aperiant, uti nec defectus.*

Integra sui manifestatio facienda, non est sine lapsuū indicio.

8. Hoc ergo in Instructionis hujus proœmio declaratur, in quo ita liquidè universum animum subditi Superiori manifestare signanter jubentur, nihil ut ipsum celent, quo divinam Majestatem offenderint; aut certè eos aperire defectus, qui animam ipsorū maximè gravant. Quod ipsum in quatuordecim quę sequuntur punctis, amplius non exprimitur, nec pluribus declaratur. Quare, si quis hoc negligeret, is profectò tanti momenti negotium, & quod tanti in Religione vulgò fieri solet, nonnisi specie tenus, imò ne vix quidem, exequi videretur. Potest hæc doctrina generatim omnibus prodesse, ut norint, videlicet, quo Patribus suis spiritualibus modò animæ rationem reddere debeant.

Nec lapsus in genere solùm, sed speciatim aperiendi.

9. Ut autem majori hac in re claritate procedatur, sufficere homini non debet, dicere sua errata & defectus in genere, sed ad particularia ei est descendendum: Sic enim claram sui dat notitiam; nō aliter. Quod etiam quoad confessionem Sacramentalem perutile est documentum & monitum: in qua satis tibi esse non debet, generalibus quibusdam terminis uti, dicendo, v.g. A malis quibusdam cogitationibus me passus sum abripi, sed quousque te abripuerint dicas oportet.

10. Ac tametsi defectus in his admissis culpam venialem non excedat; veniales autem culpæ necessaria confessionis materia non sint; nihilomin⁹, posito nos eas cōfiteri (uti sanè cōfitendę sunt; nō sunt eę generalib. quibusdā terminis exponēdæ; utpote qui culpam mirè contegunt & derogant; sed ad particularitates veniendum est, è quibus culpæ gravitas magis patescat, Neq; enim bene is culpam declarat, qui dicit: *Protuli verba, quæ alios mortificare possent; verba impatientiæ; verba, quibus aliorum honorem læsi*; si quidem illa tua verba fuere huiusmodi, ut, si ea plane prout dicta sunt dicerentur, graviorem esse culpam ostenderent, quam generalibus his terminis utendo. Si quis item inobedientia sua peculiari quodam modo alios offenderit; satis ei esse non debet, dicere: *Accuso me de inobedientia*; sed res illa, & modus, in quo deliquit, in specie est exponendus: hic enim culpam eius evidentiùs declarat, efficitque ut confessarius aliud de ea judicium ac conceptum formet.

In manifestatione conscientiæ omnia in particulari facienda. Ephe 5.17

11. Sic nec in conscientiæ ratione reddenda generalibus est terminis, & involutis circuitionibus utendum; sed sincerè, purè; candidè, planè procedendum, nullus ut angulus inexcussus, nulla ruga & plica inexplicata maneat, prout Apostolus Paulus de Ecclesia loquitur: *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam* Ecclesiam, *non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* In rugis quippe, latere solent sordes & illuvies. Nulla ergo in animo nostro esse debet ruga: nulla duplicitas, sed omnia plana, lævia & aperta.

12. Sed

Cap. 4. exam. §. 35. Ad sui manifestationẽ pertinet, etiam inclinationes veteres aperire,

12. Sed P. N. tam claram, limpidam, & integram conscientiæ rationem ab unoquoque exigit, qui Societati nomen dare vult, ut aperiat non solùm malas inclinationes, quas de facto jam habet, vitia quoque ac peccata, in quæ modò magis propendet; verùm & jam eas, in quas olim propensior fuit, quæque illum aliàs divexarunt & impugnarunt vitia. Quemadmodum enim ingens medico ad curandum subsidium est, cùm æger non infirmitatem solùm, à qua in præsenti affligitur, verùm & illas quibuscum est aliàs conflictatus, patefacit; ut hinc ipse colligat, num talis morbus inde originem trahat, utque tale morbo præsenti remedium præscribat, quo infirmitates priores non reviviscant: ita, si claram & integram animæ tuæ notitiam spirituali medico dare velis, non tantùm habitus mali, & pronitates, quas jam in te sentis, declarandæ tibi sunt, sed & præteritæ. Proptereà, confessionem generalem facere cupienti consulere solemus, ut eam apud illum confessarium instituat, apud quem deinceps ordinariè confiteri cogitat: ut hic animam pœnitentis hoc pacto magis exploratam habeat, itaque meliùs illum juvare queat.

Tentationes à priore vita malè acta nascuntur.

13. Etenim tentationes, & sinistri motus, quos in præsenti quis sentit, non raró sunt antiquarum infirmitatum vestigia & reliquiæ, adeoque malè actæ vitæ prioris pœna & castigatio. Unde, tametsi, modò super actiones & verba sua maximè advigilet, valdeque restrictus & circumspectus ambulet; sępè tamen patietur invitus, quod pati nollet, idque in pristinæ libertatis, & pravæ consuetudinis superioris, pœnam & castigationem. Neque tamen idcircò angi animo aut percelli debet; at potius patientem se ostendere, & humiliari, operamque dare, ut non solùm è præsentibus, verùm etiam præteritis, dolorem & confusionem sui excitet: ita fiet, ut nihil inde damni sit relaturus.

14. Illud hic postremò notandum est, ipsam conscientiæ declarationem, & generalem confessionem distinctũ quid in Societate esse; quod & Regulæ, quæ de utroque diversæ sunt, indicant; adhæc quia utriusque finis & materia, diversa est. Simul quoque certum est, hanc conscientiæ declarationem, vel in confessione, vel extra eam, fieri posse, prout declaranti magis expedire videbitur, seu pro maiori ejus consolatione: ita quippè id expreisè Constitutiones innuunt. Verùm tamen advertenda hoc loco res est, quam R. P. N. Generalis Claudius Aquaviva, in instructione Visitatoribus data commonere non dubitavit: quæ quoniam tam gravis & tanti momenti est, visum mihi est, formalia & ipsissima ejus verba adscribere.

Distincta sunt cõfessio generalis, & manifestatio conscientiæ.

Cap. 4. Exam. §. 36. & 38. & 6. par. Constit. c. §. 2. Reg. 40. Summarii.

15. Postquam ergo ostendisset, quod sit inter conscientiæ declarationem, & ipsam confessionem discrimen; dixissetque, posse quem, si videatur, suæ rationem conscientiæ inter confitendum reddere, addit: *Quare ut non sunt: cogendi*

Idem habetur in instructionib. resultantibus ex con-

gregatione 6. generali instruct. 1. c. 2. nu. 2.

nostri ad rationem conscientiæ reddendam extra confessionem, cùm Constitutio id liberum relinquat pro cujusque consolatione: ita laudandi, qui semotis his quæ ad confessionem propriè spectant (quæ in confessione Superiori manifestari poterunt) extra confessionem eam reddunt, totosque se ipsos patefaciunt, quo liberius, & absque ullo respectu, superiores ad illorum directionem, & utiliorem gubernationem, ea notitia ad majus Dei obsequium uti possint. Melius ergo & consultius fuerit, ipsam conscientiæ rationem extra confessionem reddere, quod qui facit, næ ille Superiori suo egregiè fidit: perinde ut qui pretiosum aliquod monile amico, ab eo asservandum, patenter in manus consignat, majorem se de ipsius fide fiduciam habere ostendit, quàm si id arcæ sigillatæ inclusum ei traderet.

Extra cõfessionẽ conscientiam aperire est meliꝰ

Caput XI.

Nonnullis respondetur dubiis, quæ ex antedictis resultant.

Dub. I. An grave crimẽ teneatur homo manifestare extra confessionẽ?

1 Ex iis quæ huc usque dicta sunt, quædam oriuntur dubia, quæ alicui forsan subinde occurrerint. *Primum* est: Diximus suprà, hinc quidem, melius esse conscientiæ rationem extra confessionem dare; illinc verò, in hac conscientiæ ratione non solùm esse tentationes & in malum pronitates; verùm etiam, si qui intervenêre defectus & lapsus, aperiendos; ac, nisi hi declarentur, conscientiæ rationem rectè non reddi. Peto itaque, num, si quem (quod Deus avertat) à vehementia tentationis superatum, in grave aliquod & pudendum crimen incidere contingat; hujus Regula velit Superiori extra confessionem rationem reddi; Videtur id sanè perdifficile, & arduum inprimis, atque onus ita grave, ut vix quisquam id tolerare posse videatur.

2. *Respondeo*, hoc in casu nec Regulæ, nec S.P. nostri intentionem esse, ut tale crimen extra confessionem aperiatur; imò unam de præcipuis rationibus, cur Regula disiunctivam hanc posuerit, dicendo, *hoc vel sub sigillo confessionis, vel secreti, facere fas esse, ad majorem cujusque consolationem*, fuisse hanc: quemadmodum id etiam expresè est in Regulis Provincialis declaratum: ubi S.P.N. de modo conscientiæ rationis, quà dandæ, accipiendæ, agens (cũ dixisset; pone, postquam quis dixerit quæ dicenda habuit; Provincialem, si quæ ultrà existimaverit interroganda, id facere) hanc restrictionem disertè addidit: *Quamvis, quæ hominem pudore multùm afficerent, ea extra confessionem interroganda non essent.* Quæ autem hujusmodi sunt, adeò à Superiore & Patre spirituali extra confessionem roganda non sunt, ut ne velle quidem debeant, hæc à subdito sibi extra eam reserari. Piæ aures talia extra confessionem audire non sustinent: unde satius ea est in tempus confessionis reservare. Atque hoc demum sibi vult R. P. N. Generalis, verbis illis superiori capite allatis; quando docens satius facere eos, qui extra confessionem conscientiæ arcana pandunt, addit: *semotis*

Resolutio.

In fine Regul. Provincial.

semotis his, quæ ad confeßionem propriè spectant.

Dub. II. Quomodo consistat manifestare se per confessionis viā, & tamen ex manifestatione regi debere?

3. *Dubium secundùm*, gravius est & implexius. Diximus ex una parte & quidem (quod & S. P. N. signanter & disertè in Constitutionibus consulit:) ideò Superioribus conscientiam universam aperiri, ut sic subditos suos meliùs regere & gubernare queant, (utpote omnia ipsorum arcana & abdita explorata habentes) commodiùs quoque ordinare & decernere, quidquid tum ad uniuscujusque privati, tum ad totius corporis Societatis regimen expedire censebunt. Ex altera verò, juxta earumdem Constitutionum præscriptum, licere cuique, in confessione conscientiæ statum patefacere. Unde sequitur, Societatis totius, & ejusdem Præpositorum, regimen pendere à notitia in confessione accepta.

Resolutio dubii 2. Societas per notitiam è confessione habitam suos secundum exteriorem hominem non dirigit: & passim docet id fieri non debere. Inordin. impress.

4. Multos hæc difficultas hactenùs non parum torsit, quòd ignorarent, quis quoad hoc Societatis sit usus & consuetudo. Ut autem is intelligatur, *dico Primò*: Tantum abest ut Societas juxta notitiam è confessione partam suos in foro externo regat, ut quamvis Theologi nonnulli doceant, posse Confessarium etiam citra ullam sigilli injuriam, pœnitentes interdum juxta id quod per confessionem accepit, dirigere; tamen R. P. N. Generalis sanctissimè vetet, ne quis Theologorum nostrorum hanc doctrinam verbo scriptové doceat, illavé ullatenus utatur, sed ita se Confessarii in rebus auditis gerant, perinde ac si nihil in confessione inaudissent. Quod ejus statutum conforme & consonum est, diplomati ac decreto, quod quadriennio pòst Clemens Papa VIII. circa hanc ipsam materiam tulit; cujus P. Franciscus Suarius, & alii meminere. Quin etiam hoc amplius Societas facit: nam & illius declarationis conscientiæ, quæ extra confessionem redditur, sigillum strictissimè (uti suprà diximus) servari jubet. Si ergo in rebus, quæ extra confessionem cognoscuntur, tam cautè ac secretè procedat, quàm putas, circumspectionem adhibebit in iis, quæ ad confessionem pertinent, ne vel ipsa odiosa reddatur, vel ullo sacrosanctum sigillum ejus sacrilegio violetur?

Tom. 4. de pœni. disp. 33. sect. 7. Tho. Sanchez. to. 1. de matrimon. lib. 3. disp. 16. q. 1.

Ipsas Animas regere secundùm cōfessionis scientiā licitū & bonum

5. Verùm, ut puncto, in quo versatur difficultas, respondeam; *dico Secundò*, nullum in eo malum esse, quòd spirituale & interius animarum regimen, secundum confessionis scientiam fiat; immò verò id unum è magnis fructibus & commodis esse, quæ ex ea consequuntur. Quo enim clariùs quis omnia sua vulnera, morbositates & infirmitates Confessario manifestat; hoc potest hic (ceu animæ ejus medicus) meliùs illic medicamentum adhibere, expedientius remedium applicare, denique eum instruere, quomodo se impostèrum gerere debeat, usque adeò porrò id verum est, ut Alexander III. Pontifex vel ob hunc animarum in viam salutis conducendarum ac dirigendarum, convenienterque ipsis consulendi, finem, jubeat, etiam hominum, ita malorum & nefariorum, ut abso-

Capit. quod quidam, de pœnit. & remiss.

absolutionis minimè sint capaces (quia se continere, & à peccando abstinere posse negāt; ac proinde verum emendandæ vitæ propositum non habent:) confessiones excipi, quibus etsi absolutio danda non sit, consulit tamen illis Pontifex, ut saltem Confessarium adeuntes, omnia peccata confiteantur, totiusque vitæ mala, nec non exiguæ, quam ad confessionem illam adferunt, dispositionis rationem ei reddant. Simul quoque Confessario mandat, ut eos qui tam desperatæ sunt salutis, benignè admittat & audiat, quo vel salutare consilium & remedium illis suggerat: fore enim fortassis, ut hoc pacto cor eorum emolliatur, ipsiquoque o-omnes peccandi occasiones à se amoliantur, & divina majestas, hoc humilitatis & bonorum aliquot quæ usurpare jubebuntur, operum exercitio provocata oculos illis aperiat, quò peccatis tandem emergant, bonamque eorum confessionem instituant. Non est igitur novum sed perantiquum & in Ecclesia Dei satis usitatum & approbatum, animas juxtà scientiam è confessione acceptam conducere & gubernare.

Lib. 3, c. 1. vitæ. Exempl. directi per confessionis scientiā in foro interno.

6. S. P. N. Ignatius cùm in Generalem Societatis, quam ipse fundarat, Præpositum unanimi primorum Patrum suffragio semel & iterum delectus esset, ipse autem electioni suæ quà poterat refragaretur, ad id se munus idoneum esse negans; ab omnibus tamen identidem premeretur, ut hoc ipse onus susciperet, dicentibus: Ipsum excutere velle, Dei esse voluntati obsistere, utpote quæ per tam conformia suffragia facta electione satis innueretur; eos tandem ad medium quoddam quod ipsemet delegerat (cùm nihil dum ab ipso impetrari potuisset) fecit condescendere. *Ego*, inquiebat, *universum hoc negotium in Confessarii mei manus resignabo, universa totius vitæ meæ peccata ei declarabo, vitiosósque animæ habitus & inclinationes, necnon infirmitates ac miserias, tam præteritas quàm præsentes, spirituales æquè ac corporales, patefaciam; qui si, his non obstantibus, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI mihi præcipiat vel consulat, ut ingens hoc onus in humeros suscipiam, ei haud gravatè morem geram.* Dictum, factum: cumque se ad aliquot dies in solitudine collegisset; generalem vitæ totius confessionem apud virum quendam sanctimonia conspicuum, nomine Theophilum, è D. D. Francisci familia instituit. Quâ factâ petiit ex eo, num Præpositturæ onus suscipere suaderet. Ille nihil cunctatus, ipsum ut susciperet, suasor & auctor exstitit: nam huic electioni si resisteret, fore ut Spiritui Sancto resisteret. Cujus consilio acquiescens Ignatius, tandem impositi sibi muneris provinciam adiit.

S. Ignatius nisi conscientia Cōfessario aperta, Præpositurā refugit.

7. Peto nunc ego, ecquis, etsi livido malevolentiæ veneno totus suffusus, de hoc Beati Patris facto sinistrè loqui audeat, vel ei detrahendo, vel aliquem in eo dolum intervenisse dictitando? Neminem sanè futurum existimo, qui de eo quidquam loqui præsumat, nisi fortè ad ipsum dilau-

Defensio facti in præcedenti exemplo S. Ignatii.

Distinctio r[...] minis dupli[...] in So[...] tate.

dilaudandum: unde id etiam in Vitæ ejus historia, ceu honorificum & gloriosum inprimis refertur. Qua ergo via S. P. nostrum, velut caput & fundatorem Religionis hujus, Dominus conduxit, ea ipsum docuit ut & nos, qui ejus filii & sequaces sumus, conduceret. Unde etiam hoc ipse medium, quo Superiori, sub sigillo confessionis vel secreti, omnes pravos habitus, pronitates, vitia, passiones, omnes denique defectus & imperfectiones nostras detegimus, nobis assignat, quo nos Superior per virtutis & perfectionis, quam profitemur, viam meliùs hac ratione conducere queat.

Distinctio regiminis duplicis, in Societate.

8. Unde dico, Politicum & Exterius Societatis regimen, nec esse, nec esse posse, secundùm scientiam è confessione acceptam; at ut spiritualis & interior animarum directio, per viam confessionis eo quo diximus modo, fiat, convenientissimum esse, & persæpè necessarium. Sic in Dei Ecclesia moris esse, & communiter servari videmus, ut, quando quis animi dubius & incertus est, quomodo in hoc vel illo negotio gerere se debeat; prudentem aliquem doctúmque Confessarium eligat, cui in confessione, vel extra eam, sed sub secreti sigillo (prout ad majorem sui consolationem id facere putabit) totius illius negotii rationem reddat, ut ab illo in ejusdem conductione, consilium recipiat & juvetur. Hoc ergo vult S. P. N. cùm dixit hanc conscientiæ retectionem in confessione facere posse eum qui majorem in illa hoc pacto facienda consolationem sentiet. Quamobrem nulli in Societate Rectores, aut Professi, aut Professores scholares, nulli quoque Officiales subordinati constituuntur, vel deponuntur, ex scientia quæ per confessionem capitur: hoc namque insignis foret error, imò, id vel cogitare.

Confessarius potest imponere, ut se aperiat Superiori pœnitens, si ita expediat.

9. Notandum autem hic (quod sanè notatione dignum) fieri posse, ut talis in quopiam sit dispotio, ac tales concurrant circumstantiæ, ut eum possit confessarius, qualiscunque demum is sit, in conscientia & sub pœna peccati obligare, ut Superiorem ipse per se candidè præmoneat, ne se tali officio applicet, talem sibi missionem injungat, denique tali peccandi occasioni se exponat, declarando & causam, & evidens, quod inde sibi (pro ratione fragilitatis) imminere videt periculum. Rogo itaque, num hoc in casu, ei qui hujusmodi est; melius & cum honore ejus conjunctius, dari possit medium, quàm ei suadere ut Superiorem adeat, illique rem hanc in confessione exponat? tunc quipe eum potest Superior, magno tum privato, tum Religionis totius cum honore, occasioni præsenti subducere, nec majoribus periculis exponere, quàm ejus vires ferant: atque ita fiet, ut & ipse, juvetur, & præsenti periculo infamiæ occurratur. Hoc autem totum tunc facit Superior, illo non modò permittente & annuente, ve-

rùm etiam ut ita fiat rogante, quòd permagni hoc ejus intersit. Aliàs quoque, cùm quis planè certus non erit, periculone se exponat, an secùs, de eo tamen quadantenus dubitat, ac metuit; non mediocri profectò quieti & consolationi ei tum erit, suam superiori dubitationem & difficultatem detegere, inque manus ejus totum se consignare. Si enim nihilo minus tunc rei huic tractandæ applicatur, id quod hinc sequitur, periculum illius rationibus non ascribetur; uti ascriptum fuisset, si minimè se declarasset; sed in caput Superioris omnia recident. Deus quoque cum ejus obedientia concurret, viresque pares ei suppeditabit, ad debitè defungendum exequendumque id quod ei erit injunctum; eo quòd præstitit quidquid à parte sua præstari oportuit.

Melius extra, quàm intra, confessionē ratio cōscientiæ redditur. Cap. 10.

10. *Dico Tertiò*, quamvis per Regulam, in ipsa confessione conscientiæ rationem dare liceat; melius tamen ac laudabilius esse, eam extra confessionem reddi, uti antè monuimus. Quòd autem omnes id jam norint, hinc etiam communiter eligere volunt quod melius est, eam, videlicet, extra confessionem dare. Quòd cùm fit, omnibus, quicunque suboriri possent, scrupulis murmurationibus, & suspicionibus, (quasi Superiores ex inter confitendum auditus, subditos gubernent) via præcluditur: quia plerique extra confessionem hanc conscientiæ rationem reddunt. Imò nullus est, quantumlibet imperfectus, qui non etiam in casu, cujus in primo dubio dicebamus quempiam in confessione rationem dare velle, gaudeat, & etiam ultrò petat, ut, quò benè animæ suæ consulatur, ac peccandi sibi occasiones auferantur, ac nullis periculis exponatur: Superior erga se scientia per confessionem accepta utatur, ita tamen, ut nullum inde sibi damnum, sed bonum dumtaxat, sequatur, nec alii defectum, aut imperfectionem suam percipiant: nam tantum abest, ut quidquam illi decedat, multum ut accedat potius: Superioremque quodammodo obstringat, ut etiam ideò majorem de honore illius solicitudinem & curam gerat. Inde patet, Societatem ne quidem spirituale & internum animarum regimen, (quod sanctè liciteque alioqui juxta solam notitiam è confessione partam peragi posse diximus) usurpare; sed eas dūtaxat juxta id quod extra eam novit, dirigere. Omnes enim sectatores ejus extra confessionis forum omnium quæ ad hoc sunt necessaria, rationem dare gaudent & malunt; ut sic liberiùs & sine ullo ad confessionem intuitu, Superior eos in via perfectionis conducere, dirigere, & juvare valeat.

Tract. de sex alis Seraphinis. 7. Doctrina hactenus tradita cōfirmatur

11. Quam Doctrinam & S. Bonaventura signanter tradit, docetq; expedire, ut singulorum subditorum conscientias, necnon inclinationes & mores, Superior perspectos habeat: vires item tam corporales, quàm spirituales ut sic meliùs omnes regere & gubernare queat, singulis pro virium modulo onera officiaque dispertiendo & injungendo neque enim omnes æqualiter indiscriminatim

possunt

possunt omnia. Atque hunc ad sensum adaptat illud quod in lib. Numerorum legitur: *Aaron & filii ejus* Nũ.4.19. *intrabunt in sanctuarium, ipsique disponent opera singulorum, & divident quid portare quis debeat.* Aaronem quippe, ejusque filios, figuram esse ait Prælatorum & Superiorum, tam majorum quàm minorum: quos in subditorum interiora & adyta intrare oportet, uniuscujusque virtutem, robur, vires, peculium perspiciendo, ut hoc pacto officia, munia, onera, ministeria Religionis, *unicuique secundum propriam virtutem*, distribuere & committere queant.

TRACTATVS OCTAVVS,

DE CORRECTIONE FRATERNA,

CAPVT PRIMVM.

Correctio signum amoris est, & quantum ea boni contineat.

Serm.42. in Cantic. Deus quem amat, castigat. EVidens, è D. Bernardi sententia signum est, à Deo nos filios diligi, si ab eo reprehendamur, & castigemur. Pluribus id locis sacra Scriptura contestatur. Ait quippe Sapiens: *Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi*: & S. Prov. 3. 11. Apoc. 3.19. Heb. 12. 6. Ioannes in Apocalypsi: *Ego quos amo, arguo & castigo.* Et Apostolus Paulus: *Quem diligit Dominus, castigat, flagellat autem filium quem recipit: quis enim filius, quem non corripit pater?* Quare è maximis, quæ Deus animæ conferre solet, beneficiis & gratiis esse SS. Patres docent, si ab eo interdum corripiatur, & interiori quodã in conscientiæ fibris remorsu, dum peccat, vel ad imperfectionem aliquam exorbitat, exagitur. Est hoc haud obscurum Dei in te amoris argumentum, & è quo facilè colligas, esse te de electorum numero, propterea quòd ex toto te non deserat, sed per remorsum hunc interiorem, ad se vocet & invitet.

2. At ubi interiorem hanc reprehensionem & lancinationem non sentis, nec ullo in te Deus flagello animaduerit; manifestè hinc erui volunt, ipsum à te esse aversiorem, tibi irasci, hocque de acerrimis & maximis flagellis esse, quæ quidem in hac vita homini Deus queat infligere. In cujus propositi confirmationem affert S. Bernardus illud Ezechielis: *Et requiescet indignatio mea in te, & aufe-* Contra ubi castigatio cessat in hoc sæculo, ibi quodammodo Deus desperat.

Bernard. Ezech. 6. 42. *auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* Quod idem est cum eo, quod per Isaiam idem Dominus, velut gravissimam comminationem intentans, dixit: Isai. 54. 9 *Iuravi, ut non irascar tibi, & non increpem te.* Super quæ sic Bernardus scribit: *Vides, quia tunc magis irascitur Deus: cùm non irascitur. Si ergo te zelus deseruit, & amor: neque eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris*: quòd hoc benevolentiæ & favoris genus non aliis exhibere soleat Deus quàm iis quos amat.

Simili modo in hominibus signum amoris est correptio fraterna vel paterna. 3. Sicut ergo correptio signum est, Deo nos ceu filios gratos esse; ita etiam nihil est, in quo suum, quo in subditum fertur, amorem Superior magis patefaciat, quàm si eum ex caritate corrigat, & defectuum, qui in eo notantur, commoneat, ut sic eos exuat & deponat. Ait siquidem Sapiens: Prov. 27. *Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus.* Caritas latens, & amor interior, quo me prosequeris, fateor, bonus est quidem si verùm tibi uni bonus, quia mihi parum hic prodest, nisi eum mihi deforis opere ipso ostendas. At cùm Superioris amor eò pervenit, ut me erroris, quem ipse vel non videbam, vel errorem non esse credebam, commonefaciat, ut eum ipse emendem; major haud dubiè is amor est, mihique summè fructuosus, quia, est amor opere exhibitus, & verè amor patris, de bono filii sollicitè laborantis. Nisi enim Superior te amaret ut filium, bonumque & profectum tuum spiritualem desideraret, non te corriperet, nec erroris defectusque admoneret. Sic videmus patrem, dum filium videt peccantem, & reprehensibile quid facientem, ilico in eũ animadvertere & castigare; quòd ejus sit filius, eum ut filium complectatur, & in bonum probumque virum evadere cupiat: at eum, qui filius non est, tametsi peccare videat, impunè habere sinit, non reprehendit, non objurgat, & parum noxam ejus moratur; propterea quòd suus non sit filius, dicens, Curam ejus suus gegerat pater, benè is eum instituat; ad me equidem istuc non spectat.

Correptio paterna nõ solùm amoris, sed confidentiæ est signũ. 4. Adhæc, non solùm in hoc Superior ostendit, te ceu filium ab ipso diligi, verùm etiam se persuasum habere, se vicissim ceu patrẽ diligi à te; simul te credere, te ab ipso diligi; hęcque tibi è visceribus & dilectione quadam paterna, magnoq; erga bonum & salutem tuã affectu, insinuari. Ostendit præterea credere se, ea te virtute & humilitate esse præditum, ejus ut commonitionẽ & correctionem in bonam sis partem accepturus: alias enim te non corriperet.

A superioribus non corrigi, sępè virtutis defectus est causa. 5. Econtrà cum hac tecum Superior claritate, candore, & sinceritate non utitur, nec te defectuum, qui tibi insunt; & eorum quæ in te alii notant & reprehendunt, admonet; ideò fit, quòd te non diligat ut filium, vel, quòd se à te ut Patrem non amari norit, vel deniq; quòd satis tibi virtutis inesse non credat, ad correptionem suam & admonitionem æquo animo accipiendam. Hæc omnia amoris & æstimationis defectui sunt asscribenda; neq; enim ibi verus est amor. Fortasse quidem talis exteriùs apparebit,

revera tamen verus amor non erit, at duntaxat simulatus & fictus. Quid enim tibi profuerit, quod exteriùs amorem & æstimationem erga te ostendat, si intus & in animo hac illave in re te imperfectum vitiosumque ducat, & hujus rei te commonere non audiet? Hoc est, cum duplicitate & fictè procedere, aliud in cordis recessu occultando, aliud extima fronte prodendo; aliud exteriùs, aliud interiùs declarando.

Damnabilis modus agendi, sed vitio sæpe necessarius

6. Hæc agendi & loquendi ratio mundanorum quidem propria est, qui non audent quod sentiunt apertè prodere, itaque aliud deforis ostendant, aliud corde fovent. Veruntamen tu ipse, Religiose, si tecũ eo modo agitur causa es, cur ita tecum agatur. Itaque quodammodo cogis Superiores tuos, ut abblandiendo te tuaque laudent, benè erga res tuas se affici cõmonstrent, intrinsecus longè secùs sentientes: ad imitationem eorũ, de quibus ait Propheta: *Molliti sunt sermones ejus super oleũ, & ipsi sunt jacula. Ore suo benedicebãt, & corde suo maledicebant, Linguis suis dolosè agebant. Venenum aspidum in labiis eorum.*

Ps.54.22. Ps.61.5. Ps.15.11. Ps.139.4.

Affectus boni religiosi quoad correctionem suam.

7. A Religione obsecro ejusmodi duplicitates exuleret; omnia sincera, candida, & plana ibi sint oportet: quia caritas, & quã profitemur, unio aliud non patitur. Habebo, v. g. defectum unum, vel plures, quos fortasse ipse nec adverto, nec ut defectus duco, nec ab aliis notari puto; Superior verò illos videbit, & alios propterea offendi & murmurare sciet: nemo verò erit, qui eorum me commoneat nisi te docilem ostenderis, cur enim gratis odium emat? At crede mihi, ista ratio agendi tacendique, non est caritas, uti præclarè B. P. N. Franciscus Borgia ostendit, dicens: si pallium inverso modo induisses, si vultum fuligine inquinatum haberes; certum est, gratam tibi rem facturum eum, qui te rei hujus moneret, eique te gratias acturum: contrà ægrè laturum, & ut injuriam irrogatam interpretaturum, si alius hoc animadvertens tibi non significaret. In defectibus igitur, virtutis, & animæ maculis, quibus fratres nostri offenduntur, magis id locum habeat par est.

Epistol ad Societatẽ.

Correptor erga correptũ amorem suum ostendit corripiendo.

8. Proinde magni cujusdã beneficii loco ducere debemus, quod quis ex amore & caritate, eorũ nos commoneat, quod enim nos ipsos nimiopere diligamus, frequenter ipsi eos nõ videmus, nec defectus esse existimamus; noster quippe nos affectus & philautia excæcat. Nam sicut nimius, quo filium mater prosequitur; amor efficit, ut quod deforme est, pulchrum; quod furvum est, bene coloratum, ei appareat: ita nec nobis argumenta colorateque rationes desunt ad defectus nostros colorandos, & obtegendos.

Nemo sibi bonus judex.

9. Hac de causa Philosophi præclaram hanc gnomen vel effatum inter sua constituerunt, dicentes: *Neminem bonum sui ipsius judicem esse.* Si enim iura civilia eum judicem, ut suspectum habẽt, qui alterutri litigantium plus æquo favet & amicus est; quanto magis homo in causa propria est suspectus habendus, qui tantoperè sui ipsius amans est? At alius quislibet,

libet, quia res nostras oculis omnis passionis expertibus conspicit, defectus nostros defæcatius intuetur; meliorque eorundem est censor. Ut omittam, quatuor oculos (uti vulgò dicitur) plus videre quam duos.

Lib. de utilit. capied. ex inimic.

Inimici veri nostri amici sunt, in defectibus indicandis.

10. Plutarchus etiam multo auro inimicum aliquem nobis ait comparandum eo quod ex inimicitia magnum commodum capiatur. Siquidem inimici nobis vera dicunt, & fatui. Quid hodie amici tui agunt, aliud quàm adulari, blandiri, & dicere; nihil penitus in te desiderari, omnia absoluta videri; cùm tamen nihil sit, quod ipsis satisfaciat. Sanè id adulationis genus in mundo admodum frequens est: avertat verò Deus, ne & in religiosas domos increpat. Tanta verò nostra est vanitas, ut illa quàm libentissimè audiamus; imò etiam prę philautia (quod deterius est) credamus; cùm tamen Regius nobis Propheta hac in re præeat, qui de se dicebat: *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Ps. 104. 5.

Adulatorum pernicies.

Epist. 147 ad Proculian. Episc.

11. Per lenem hanc peccatoris unctionem hoc loco vult S. Augustinus adulationem & blanditias intelligi. Has autem Propheta detestatur, mavultque à justo corripi in severa misericordia, quàm blandis adulantium sermonibus laudari, & deliniri: hæ namque aliò non conservunt, quàm ut laudatum magis dementent ac decipiant magisque rationis lumine privent! Et adducit ad hunc sensum illud Isaiæ: *Populus meus, qui te beatum dicunt: ipsi te decipiunt, & perniciem tibi creant.* E diverso,

Isaiæ. 3.16

qui nos corripiunt & monent, ingenti indubiè nos beneficio afficiunt. Nam *meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.* Quod enim mordet & pungit, hoc persanat, adulatoria verè manus curationem difficiliorem reddit: credimus quippe nullum defectum subesse, itaque de correctione nostri nihilum laboramus.

Prov. 27. 6.

Eccl. 7. 6.

12. Ajebat Diogenes, ut suos defectus & vitia quis emendet, debere vel fidum quærere amicum, à quo commoneatur; vel acrem durumque inimicum, à quo reprehensus, vitium seu defectum suum corrigat. Secundum in mundo communiter hodie locum habet: nam istic nulli sua vitia indicantur, nisi ab inimico & adversario, quem habet: in inimicitia veritates quippe aperiuntur. At hic in Religione, dum vel vitia indicantur, vel quis peccans reprehenditur ac commonetur; id fit non ex odio, rancore, contentione, æmulatione, aut aversione à te; sed ex vero amore, & sincero erga bonum tuum affectu.

Laert. l. 6

Correptio religiosa ex amore fit, secularis ex odio.

13. Primum ergo quod Philosophus ille requirebat, hîc reperire est: in Superiore siquidem fidum verumque experimur amicum, qui magno cum amore nostrorum nos defectuum commonefaciat. Quam sanè rem permagni nos facere oportet, ac simul existimare ingentem ab illo nobis retegi thesaurum tum, cùm alicujus nos defectus admonet, qui, quia nobis perspectus & no-

Elige ergo religiosum, ne tibi necessaria fiat sæcularis.

& notatus non erat, hinc etiam de eo corrigendo non laborabamus.

CAPUT II.

Causa cur correctio non æquo animo admittatur, unica est superbia.

Superbia causa est cur corripi nolimus.

1. INtolerabilis hominis superbia nullibi magis se prodit, quàm quòd, dum errorum ac defectuum notatur ac monetur, non prout oportet, ipsum accipit: quod quidem malum adeò jam invaluit, & commune est, vix ut sit, qui eorum notari monerive velit. Apertè id declarat S. Augustinus: *Quis facilè inveniet, qui velit reprehendi? & ubi est ille sapiens, de quo dictum est Proverbiorum: Argue sapientem, & diliget te.* Næ ille verè sapiens est; cùm eximium illud correctionis beneficium amore compensare, seque ideò gratum exhibere norit. Verùm, ubinam locorum viros ita sapientes reperiemus? *Quis est hic, & laudabimus eum?*

Epist. 17. ad Felicitatem & Rusticū. Prov. 9. 8. Eccl. 31. 9. Lib. 10. Moral. cap. 12.

Excusationes sive prætextus Nolentium corripi.

2. Unde S. Gregorius: Tam pleni sumus, inquit, superbia, adeoque illa profundè cordis nostri fibris infixa est, ut nostros ipsi errores ac defectus ab aliis repeti non sustineamus, nec salutarem illorum correptionem æqua mente excipere possimus; *credimus enim, hoc pacto æstimationi nostræ quidquam decedere,* aut minoris nos apud alios fieri: & quoniam in cute quodammodo tangimur, honor, inquā, noster & æstimatio nostri periclitatur; hinc quamprimùm indignabundi exsilimus, ac tantum abest, ut propterea corripienti gratias agamus, ut nobis etiam insignem injuriam; contumeliam, imò etiam persecutionem, irrogari arbitremur. *Isti,* inquit, *cùm se impeti redargutione conspiciunt, gladium persecutionis credunt.* Unde etiam nonnulli, dum identidem errorum defectuumque corripiuntur, dicere apertè non verentur sibi persecutionem à monentibus intentari, illos sibi esse exosos, illosque ex animi rancore quodam correptionem illam obire.

Lib. 22. Moral. cap. 14 & l. 24. c. 12.

3. Sunt præterea, inquit idem alio loco, qui suos quidem ipsi defectus libenter apud alios enarrant ac produnt; si quando tamen ex aliis eos audiunt, aut propter eos coarguuntur; quamprimum indignantes excandescunt, eos propugnant, & excusant: neque enim tales credi haberique volunt. Hujusmodi neque verè humiles sunt, nec cum vera cognitione sui defectus suos edicunt; si enim humiles forent, seque verè defectibus plenos agnoscerent, taliaque non fictè sed sincerè de se dicerent ac sentirent; non tantoperè stomacharentur, si quando ea ex alio quopiam audiunt: neque etiam adeò se purgare, existimationemque tueri suam tam præfractè contenderent. Vera quippe humilitas in eo sita, ut primò se quis cognoscat, parvi faciat, pro nihilo ducat: deinde suos defectus etiam aliis patere, & nullo se in numero apud eos haberi velit ac gaudeat.

Aliud effugium versutū contra correctiones, se ipsum incusare fictè.

4. Qui tales sunt (inquit Gregorius) satis indicant, suos se defe-

Quæ ficta, quæ vera humilitas. ctus non aperuisse, ut ob eos parui ducerentur, sed quoddam bonitatis & humilitatis nomen aucuparentur, bonique & humiles mundo apparerent. Scriptum quippe est, *Iustus prior est accusator sui*, suaque errata haud invitus, confitetur. Honorem aliquem scilicet comparare tibi gestis, & haberi ab aliis humilis: ad quod, quoniam optima tibi ratio videtur, culpas & defectus tuos aperire, idcirco eos declaras; dispar verò & inepta, eos ab alio enarrari, teque corripi, præsertim, cùm periculum sit, ne in dedecus aliquod tuum, infamiam, & contumeliam id redundet; hinc correptionem æquanimiter ferre non vales. Tam hoc, quàm illud, superbiam redolet. Inde nonnunquam fit, ut, etiamsi quis ad oculum videat & agnoscat, vera esse, quæ sibi ab aliis oggeruntur, illosque efficacissimis ad hoc monendum rationibus impelli; nihilominus propterea turbetur, & indignans concitetur.

Prov. 18. 17.

Prov. 9. 8

Diversitas eorũ qui corripiuntur, diverse remunerat monentes.

Ibid.

5. Quare non jam dicere licet, *Argue Sapientem, & diliget te*: (vix enim tales sapientes reperire est, qui corripi reprehendique gaudeant, & corripienti ac monenti gratos se exhibeant, gratiasque agant:) sed id, quod immediatè antè eodem loco idem Sapiens posuit *Noli arguere derisorem aut superbum, ne oderit te*, ne à te fiat alienior, & tu ipse ei exosus. Ita hodie in mundo passim se res habet, talis hac ætate mos communiter obtinet. *Non amat pestilens eum*, imò verò detestatur & abhorret, *qui se* ob defectus notatos *corripit*, veritatemque ei aperit, *nec ad sapientes graditur*. Verè enim hic *veritas odium parit*.

Prov. 15. 12.

6. Unde non inscitè id genus hominum assimilant SS. Patres ægrotis phreneticis, cerebrumque turbatum habentibus: qui & medicum nullum ad se adire patiuntur, sed longè longiùs ab eo fugitant: & omnia, quæ sibi applicantur, medicamenta repellunt, abhorrent, à se rejiciunt: idque tum ex ipsa morbi vi & vehementia, tum quòd malè se habere nesciant. Quæ eo comparitio melior est, quod illam etiam Spiritus Sanctus adhibuit. *Qui* inquit, *odit increpationes*, & correctionem abhorret, non solùm à virtute & humilitate parum instructus est, verum etiam judicio prudentiaque id destitutus, ac, verbo ut dicam, *insipiens est*, quod medicinam omnem repudiet, & medico medicari ac juvare enixè cupienti, indignetur ac succenseat.

Aug. Epi. 87. ad Felicitatem & Rustic. & epist. 167.

Corripi indignãtes similes ægris phræneticis.

Pro. 12. 2.

Caput III.

Quæ sequi incommoda nata sint ex eo, quòd correptio in deteriorem partem accipiatur.

1. EO jam superbiæ & dementiæ perventum est, vix ut sit hodie, qui alium defectum notare aut monere ausus sit: nemo enim amici sui gratia vult excidere, nemo jurgia aut alienationem suo, ut dicitur, ære mercari. Justè autem ac pro meritò fit, ut qui hujusmodi est, derelinquatur, nec à quoquam postea curetur. Quid enim æger, curari detrectans, ac medicos repellens mereatur aliud, quàm

Corripi indignãs deseri meretur.

quàm ut non curetur, deseratur, mori sinatur? Idem ergo promeretur, cui corrigi refugit, & commonitionem correptionemque in deteriorem partem interpretatur. Unde Sa-

Prov. 15. 10. & 32. piens: *Qui increpationes odit, morietur: & qui abjicit disciplinam, despicit animam suam.* Promeretur inquam, ut à nemine deinceps corripiatur, sed in gravia scelera prolabatur, eaque publica, quæque in omnium oculos incurrant, & ob quæ passim murmuretur, interim verò nemo sit qui ea ipsi aperiat vel manifestet. Ita plerumque id genus hominibus contingere solet. Quod sanè unum de maximis gravissimisque, quæ quidem eis

Ier. 15. 9. infligi queant, flagellis est & castigationibus. *Curavimus,* inquit Propheta, *Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Cùm vinea ampliùs non pastinatur, nec putatur; prorsus emori sinitur, & de feracitate ejus desperatur: pari modo perditæ ac desperatæ salutis vulgò habetur homo tum, cùm nemo eum (propterea quòd bona consilia monitionesque in bonam partem non accipit) curare sustinet.

Epistola ad Societatem. *B.F. Borgia consilium.* 2. Quare B. P. N. Franciscus de Borgia, de incommodis & dispendiis, è correctione animo iniquo accepta sequi solitis loquens, in hanc ferè sententiam scribit: *Ita fiet, ut in duorum gravium inconvenientium alterutrum simus prolapsuri. Vel enim, quòd desit correptio, defectus constabilientur, firmabuntur, solidabunturque in iis qui eos habebunt; quod non fit, qui infirmo tàm moroso impatientique adhibere medicinam velit. Vel si fortè monetur reprehenditurque qui verè reprehendi opus habet; adeò se gratum non exhibet, ut inde amaricetur, turbetur, atque aversionem animi à benè monente concipiat. Vnde brevi universa domus quædam fellis & amaritudinis colluvies est futura, inde ortum sumentis, quòd imperfectiores seipsos non agnoscant; cùm monitionem correctionemque alienam non prout oportet excipiant, sed velut injuriam interpretentur id, quod in summi beneficii loco reponendum erat: & inde offendi injuriaque se affici putant, quod gratitudinis esse debeat occasio: adeò ut antipharmacum convertāt in venenū.* Quocirca, maximè timere quisque deberet, atque ita secum ratiocinari: *Quis scit, an idcirco non monear, quòd desperatæ sim salutis? ideò errorum ac defectuum non coarguar, quòd correctionem reprehensionemque aliàs datam secùs atque oportuit excepi?* Vult autem eo loco P. Borgia, ut illam, quæ nascentis Societatis initio vigebat, (quando, videlicet, correctio, & defectuum reprehensio nullam animorum amaritudinem, visceralem potiùs amorem, & insignem gratitudinem causabat) simplicitatem, caritatem ac candorem non modò integram conservemus, sed & ad posteros transmittamus.

3. Inde est, quòd gravis quidam Doctor corrigi detrectantes dæmoni assimilet, propterea quòd hac ratione se ipsi incorrigibiles reddant. *Qui non vult corripi, non vult corrigi.* Nam ex eo quòd quis corrigibilis sit, vel incorrigibilis, facilè apparet, peccatorne sit an cacodæmon. Homo enim quantumlibet enormis peccator, quamdiu in hac vita mortali agit,

Diabolo sunt persimiles, qui in bonitate corripi nolunt.

correctionis capax est; at diabolus incapax. Et ad hoc propositum, adfert illud Sapientis: *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris*, id est diaboli: hic enim antonomasticè peccator nuncupatur. Adeò ut, sicuti vestigium & nota pedis, pedi simile est; ita qui correctionem abominatur, dæmoni non sit abominatur, dæmoni non sit absimilis, quia se reddit incorrigibilem: quod enim ad vitam emendendam convenientissimum & efficacissimum medium est, huic is januam occludit.

Eccl. 21. 7.

4. De quo hominum genere rem S. Basilius scribit consideratione dignissimam: *Qui huiusmodi*, inquit, *est*, id est, qui non vult corrigi, correptionemque in deteriorem partem sumit, *huius conversatio inter reliquos fratres perniciosa est: siquidem exemplo suo à suscepto certamine ceteros abducit.* id est, ab illo & alii discunt benè monentibus obstrepere, & correctionem aversari, itaque illos avocant ab eo, cuius gratia Religionem iniere, vitæ scilicet, emendatione & reformatione. Quocirca hos idem S. Pater à reliquorum fratrum commercio convictuque proscribi & excludi suadet, ne ad illos pestilens hæc contagio proserpat.

Basil. in regul. Brevior. n. 159.

Et communitati inprimis sunt noxii.

In anim-adverf. adversus Canonicos delinquentes §. 2.

Caput IV.

Quanti referat, correctioni monitioniq; æquo animo auscultare.

1. Tam salutare ac bonum hac in re consilium suggerit Galenus, ut aliud hac in materia requiri non posse videatur: Non satis hic habuit, quosdam corporibus medicandis curandisque aphorismos scribere, nisi præterea alium de animi morbis cognoscendis & curandis commentarium ederet. In quo hoc inter alia præcipit: *Quisquis suos emendare volet defectus, & in virtute progressionem aliquam facere; is probum prudentemq; ante omnia conquirat virum, à quo, si quos defectus observet, commoneatur. Si quem ad hoc munus idoneum nactus fuerit, eum privatim & clam aliis, quam potest instantissimè roget, ut fideliter hoc munus erga se obeat, & quoscumque in se notabis defectus liberè significet & coarguat. Simul etiam asserat & spondeat, id sibi gratissimum futurum, se ut verum amicum eum habiturum, & majori sic ab eo, beneficio afficiendum, quàm si ab infirmitate aliqua corporali ipsum liberaret: quòd anima corpore sit potior & antiquior.*

Lib. de cognoscend. curandisque animi morbis.

Monitor etiam studiosè conquirendus.

2. Siquidem alter hoc se facturum spondeat; aliquot tamen ipse videas elabi dies, quibus nullius defectûs gratia monearis; serio cum illo expostula, & longè quàm antè contentiùs roga, id ne facere negligat; sed mox ut aliquem in te defectum videbit, ob eum te coarguat. Illi verò respondenti, se quidem promissi immemorem non fuisse; at nihil interim occurrisse, cuius te commonitum oporteret, minimè credas; sed omissæ hucusque commonitionis causam puta fuisse, non, quòd nihil correptione dignum admissum sit; sed unam è tribus sequentibus.

Si monitor non faciat officium suum.

3. *Primò*, monitoris negligentiam & incuriam, quòd, videlicet, ad defectus

Causa triplex ob quam

Monitor tuus officium suum omittere potest.

fectus tuos non reflexerit, & commpromissi deinceps non sit recordatus: paucos quippe reperire est, qui hanc in se provinciam suscipere, ac studiosè profectui tuo invigilare velint. Vel *Secundò*, si quos in te defectus adverterit (fortè enim notavit aliquos) eum crede vel è verecundia, vel nescio quo impedimento, vel denique quòd amicitiam dissolvere, tuoque amore & gratia excidere nolit, indicare neglexisse: novit quippe hunc prolatæ palàm veritatis, hodie fructum esse. Vel *Tertiò*, quòd subinde te viderit correctionem admonitionemque alienam, non pro eo atque oportebat excepisse: unde à se ipse impetrare non potest, ut credat, verè te, esto id verbis proloquaris & asseras, ab aliis corripi & commonefieri velle: plus enim credit rebus ipsis quàm verbis.

Nunquã à monitore correptus neget aut excuset.

4. Monet præterea: Cave, ne, quamvis te nonnunquam alter falsò insimulet, aut crimen in immensum augeat; ipsum vel inficieris, vel excuses. *Primò*, quia fieri potest, vt meliùs id aduerterit admonitor quam tu; meliùs quippe quis defectũ in alio, quam in se ipso, aduertit. *Secundò* licèt falsò reprehensus sis, id tibi nihilominus occasioni erit, vt posthac incedas circumspectiùs, ad quælibet agenda magis reflectas, atq; diligentiùs deinceps caueas, ne quam cuipiam tale quid de te suspicandi, nedum dicendi, occasionem præbeas.

Monitoris partes obire quam sit molestũ.

5. Hæc quidem Galenus, mira si gentilem, si medicum corporalem fuisse consideres. Quæ sanè omnia prorsus necessaria nobis sunt, vt inveniamus aliquem, qui libenter & non invitè hoc Monitoris erga nos officium obeat. Maxima quippe in hoc est sita difficultas, quam per se quisque satis perspicere poterit, non solùm ex eo quod in se sentit tum, cùm ab alio quolibet monetur & reprehenditur, verùm etiam cùm ipse alios id facere jussus, huius vel illius defectus coarguit. Imò & ipsi Superiori id molestissimum est & durissimum, præsertim cum subditi parum virtutis & humilitatis præferunt. Quòd enim ex una parte, ratione officii, ad eos coarguendos & dirigendos teneri se norit superior ex altera verò metuat, ut commonitionem correptionemque parum æquis auribus & animis excipiant; perinde se habet, nec minùs angitur & sudat, quàm si aliquod eis deberet inurere cauterium; interdum quoq; anceps restitat & perplexus hæret, dicturusne rem sit, nec ne? Modò quidem, non inutile futurum putat eos commonere, commodam ad hoc oportunitatẽ & occasionem captando, molli aliquo futuræ monitioni specimine viam præparando, & verbis aliquibus mellitis eam dulcorando, ne adeò amaricet. Modò autem tantã in subdito videt & experitur repugnantiam, ut satius existimet, illam omittere, licet alioquin suo is in errore ac vitio perseveret. Timet enim ne commonitio adeò illi nõ prosit, ut noxam potiùs sit allatura, nullusq; alius ex illa sit secuturus fructus, quàm quòd inferior à Superiore sit futurus aversior & alienior, suoque forsitan posthac officio & ministeriis minùs libenter ferventerque functurus.

6. Nam

Diversi effectùs correptionis in humili, & contumaci explicatur Simili.

6. Nam uti sol ceram emollit & liquefacit, lutum verò & argillam exsiccat & indurat: sicut item frutices & arbores terræ profundiùs irradicatas, aqua, ventus, aër, simul & sol adjuvant, ut lætiùs crescant, & feraciores sint; eas verò, quæ nonnisi summo hærent solo, nec fibras introrsum transmisere, hæ ipsæ causæ idem agendo arefaciunt, & ut citius marcescant in causa sunt: ita humilem, in propria sui cognitione profundiùs radicatum, correctio emollit, delinit, & ampliorem progressionem faciat, inducit; contrà, qui humilis non est, nec profundas in propriæ cognitionis fundo radices egit, inde putrescendi, arescendi, & indurandi sui occasionem accipiet. Ob hanc igitur causam Superiores subditos nonnullos defectuum suorum commonere verētur, quòd medicina obsit potiùs quam prosit, & theriacum ipsis in venenum transeat: dùm è quadam animi aversione, odio, & rancore fieri existimant, quod nonnisi è mero amore, & summo erga salutem bonumque ipsorum affectu fieri, in confesso est. Unde digni sunt, qui planè deserantur.

Nullo modo, ne quidem iniuste correptus te gravatum ostende ob graves causas. Ecclesi.20.

7. Si ergo nolis, tanquam incorrigibilis & incurabilis ab ijs derelinqui, commonitionem & redargutionem in bonam partem accipias necesse est. *Quàm bonum est*, inquit Ecclesiasticus, *correptum*, culpæq; reprehensum, eam agnoscere, *manifestare pœnitentiam*, emendandique sui propositum concipere? Ut demus verò, eum, ob quem reprehenderis, defectum te non admisisse, nec eo contigisse modo, nec tam gravem esse, ac dictum est; exterius tamen id non est vultu verbisque ostendendum: sed alteri debes ob affectum, propensam erga te voluntatem, beneficiumque quo te cumulat, gratias agere, atque emendationem aliquam spondere, diligentiùs te posthac in hoc advigilaturum, magnoque te abs illo beneficio affectum videri dictitans: hoc namq; pacto eum ad te postea commonendum, excitabis.

Damna recusantis monitionē, vel similis.

8. At si quamprimùm ad te purgandum & excusandum descendas, fiet, ut postea te ejus rei non commonefaciat, cujus fortasse maximè necesse habeas moneri. Sunt nonnulli, qui mox ut errati alicujus coarguuntur, ipsum excusant; prorsus excusari id nequeat, saltem aliquot ad imminuendum, elevandum, & tam grave id non fuisse ostendendum, argumenta conquirunt. Quod est januam occludere, & impedire, ne te quis posthac redarguat. Videns quippe monitor, te, jam ante aliquoties monitum, neutiquam culpam agnoscere voluisse, sed semper ad tui purgationem effugiumque, ratiunculas aliquas adinvenire; statuit, exinde te nihil ampliùs commonere. Hoc, scilicet, excusationibus tuis, quas ipse specioso satisfactionum nomine vocas, lucrifacis, quòd te jam nemo monere & notare velit. Vt taceam, hanc agendi rationem malo cæteris exemplo esse, & quotquot eam vident, ea offendi.

Superiores etiam aliorum monitiones benignè admittant.

9. Etiam in ipsis superioribus vitiosum inprimis, & summè illaudabile ducitur, commonitiones & consi-

consilia aliorum non pro eò atque oportet excipere, & benè monentibus minimè auscultare: ita quidem, ut aptior ad regendum & gubernandum communiter censeatur is, qui pauciora quidem novit, sed seipsum cognoscit, & commonitionem ac consilia prudentium æquissimo animo excipit, quam qui plura scit, interim tamen multum de se præsumit, ac se solum scire omnia credit, qui denique nullum reprehensorem fert, & data ab alio consilia non libenter amplexatur. Pluribus quidem in locis id testatur Scriptura; maximè tamen in libris Sapientialibus: in quibus legere est: *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia. Ego sapientia habito in consilio. Salus autem ubi multa consilia.*

Prov. 16. 12.

Prov. 12. 15.

Prov. 8. 12.

Prov. 11. 24.

10. Unde etiam inter alias sapientiæ de cælo descendentis conditiones à S. Jacobo recensetur, quod non sit pervicax, non contentiosa, sed pacifica, & facilè persuasibilis: *Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens.* Si ergo, etiam Superioribus, tantopere laudi vertatur, quòd privatorum monita consiliaque placidè excipiant & sequantur; contrà vitupetio ac reprehensioni, cum secùs fit: quanto æquiori jure illi sugillabuntur subditi, qui ne Superiorem quidem monitionem correctionemque æquo animo accipere sustinent?

Sapiens libenter moneri sustinet. Iacob. 3. 17.

11. Ut, autem pluris hoc faciamus, magisque huc animemur, non inutile fuerit, nos ingens, quod in eo latet, bonum intelligere & considerare: nimirum, quando quis monentem & corripientem libenter audit, Superior id sciens & perpendens, de defectibus visis non adeò laborat: tametsi enim hi appareant, simul tamen eorumdem remedium & medicina ipsi in aperto est. Sed, ubi nullum admittendæ medicinæ locum videt, errata visa mire eum cruciant & lanciant: videt enim vitium, sed, qua via ipsum auferri, quo tolli medio & arte queat, non videt. Hæ demum Superiorum angustiæ sunt & cruces.

Commoda libenter excipientis admonitionem.

12. Unde salutare inprimis & consultum est, hominem in particulari Superiori suo declarare, quàm sibi gratum & volupe sit ab eo moneri, quàm bonam ad hoc in se dispositionem & desiderium sentiat: simul etiam ex animo enixeque eum rogare, ut omnes quos in se notabit defectus, instar patris, magna cum sinceritate, candidè libereque coarguat & reprehendat, neque respiciat aut curet, quòd fortè interdum (ut homines sumus) correptionem non pro eo atque oportebat, exceperit, beneque monentibus succensuerit. Neque verò satis ei esse debet, semel duntaxat id rogare, vel tantum pro forma, & quasi in speciem id dicere; sed sæpiùs, & ex animo, ac non fictè. Quæ sanè omnia tibi facienda esse, credas velim, quo Superior tibi credat, & hoc monitoris munus (pro difficultate quæ in eo continetur) benè & accuratè erga te obeat. Quocirca etsi gaudere debeamus, quòd in

Superiori aperiat subditus corripi sibi gratum esse.

aliis rebus Superior nos imperfectos &parum mortificatos habeat; (quæ sanè sunt plurimæ; (in hac tamen minimè ferendum est, vt adeò Superiori superbus, præfractus, & immortificatus videatis, vt vereatur, ne, qua te corripiet, monitionem & reprehensionem, in malam sis partem accepturus. Quin imò; operam da, vt quàm optimè is, quoad hanc partem, de te præsumat, qua tenus te tam eximio beneficio, medioque ad tuum in spiritu profectum tantopere facienti non priuet.

In regul. brevio. nu. 158. & in regul. fusiorib. nu. 52.

13. Vnde præclarè S. Basilius: Quemadmodũ, inquit, æger, de salute recuperanda sollicitus, applicita à medico medicamenta æquissimo animo tolerat, etiamsi acerba & aspera sit curationis ratio; nec in medicum insurgit indignabundus, imò ne in animum quidem inducit, cogitare, sinistra hæc intentione ab eo applicari: Pari modò vir humilis, quique reuera perficere in spiritu cupit, monita consilia que corripientium æquissima mente complectitur, ne cogitans quidem, ab animo maleuolo & à passione aliqua effræni trãsuersim abrepto, ea proficisci. Si, salutis corporalis recuperandæ ergô, catapotia, quantumlibet amaricantia, non repudiamus, & iam gratanter permittimus, vt medicus aut chirurgus, vbicumque & quomodocumque lubitum fuerit, secet & adurat; quin & gratias ei propterea agimus, & in summi beneficij loco incisionem hanc reponimus; quanto, ait Basilius, nos erit æquius, id ob spiritualem animæ valetudinem, & ad vniuersale Religionis totius bonum, præstare, etsi correctionis medicina æquo sit asperior & amarulentior?

Subditus credat omnem correptionem à beneuolo animo proficisci.

Caput V.

In quo supradicta aliquibus confirmantur Exemplis.

1. S. Iohannes Chrysostomus exhortans nos, vt benè monentes benignis auribus audiamus, eisque non obstrepamus, vtitur ad hoc exemplo illo quod de Mose commemorat Exodus. Hic enim tametsi tanta esset sapientia & auctoritate vir, vt eum in populi sui ductorem ac rectorem Deus elegerit, multaque tam in Ægypto, quam in deserto per eum prodigia patrarit; nihilominùs, quod ei Iethro socer, vir priuatus, quoad populi regimen directionemque consilium ac monitum dabat, in bonam partem accepit: auctor hic ei fuit, ne vniuersum populi regendi onus in sui solius humeros tolleret, sed partem eius aliquam in alios, qui sui, secundaria cum potestate, adiutores essent, diriuaret: *Non bonam, inquid, rem facis, stulto labore consumeris,* Notat autem eo loco Chrysostomus, Mosen quam primum nõ intulisse: *Ecce, quis hic nobis consulere velit!* (vti respondent hodiè nonnulli, qui quantumlibet salutare & bonum consilium sit, ipsum tamen à tali vel tali suggeri iniquè ferunt:) sed magna cum humilitate id consilium accipiens, ilicò executioni mandauit.

Exempl. 1.

Ho. 1. super 1. Epist. ad Corinth.

Moisis moniti mansuetudo.

Exod. 18. 17.

2. Ea.

Exemp 2
Epist. 15. *ad Quintum li.* 2. *contra Donatis c.* 1.
S. Petri à S. Paulo correpti benignitas.

2. Eâdem occasione ponderant & expendunt SS. Cyprianus & Augustinus exemplum principis Apostolorum Petri, dum est à S. Paulo, occasione circumcisionis, cui eos, qui è Gentibus ad Christi fidem recens convertebantur, subjicere tunc ille volebat) reprehensus. Ecce Petrus, inquiunt, nihil sublime de se præsumpsit, nihil altum sapuit, non se ultrà quàm par erat extulit, dicens: Ego Ecclesiæ totius sum princeps, & supremus Hierarcha magis mihi est quàm aliis reddendum, meæ fideles omnes sententiæ accedere, & voci obedire oportet. Nec Paulum idcirco est aspernatus, vel minoris duxit, quòd Ecclesiam nuper fuisset persecutus; nec ideò etiam est ab eo corrigi monerique dedignatus; sed benè consulenti haud invitus obsecutus, & rationi ac veritati quamprimum, succumbentis instar, manus dedit.

3. Exẽpl. Theodosius Imp. benignè monentẽ audit S. Ambrosium.
Historia tripart. p. 2. *l.* 7. *c.* 6. *& historia Ecclesiast.*

3. Memoria item dignissimum est exemplum, quod hac in re nobis dedit Imperator Theodosius, S. Ambrosii correptionem monitionemq; æquo animo summaque humilitate excipiens: tam, cùm eum sacris, ob iniquam & atrocem in innoxios Thessalonicenses ex terminii latam sententiam, interdixit, & Ecclesia exclusit: quàm cùm ei, oblato ad altare donario suo, intra sacrarium & sacerdotum septa manere volenti, nuntio misso, significatur, ut unde se proripiens ad commune & laicorum templum transiret; quòd locus ille solis esset sacerdotibus ac Presbyteris deputatus, & purpura Imperatores faceret, non sacerdotes, ut pluribus in Ecclesiastica historia refertur. Quo loco, non sine ratione, disquirendum proponitur, magisne laudanda sit sancti Præsulis constantia & fortitudo, quàm admirabilis religiosissimi principis obedientia & humilitas.

In vita ejus Paulinus.
Exẽp. 4.

4. Quin & hic ipse Ambrosius (uti in ejus vita refertur) si quando ab aliis defectuum commonefiebat; magnas monitoribus gratias agebat, singularique se beneficio ab iis affici credebat.

Exemp. 5 Cistercienses orant pro monentibus & corripientibus.

5. Monachus quidam Claravallensis (ut in Cisterciensis instituti Annalibus refertur) quoties corripiebatur vel reprehendebatur, unam minimùm Orationem Dominicam pro sui monitore, in gratiarum actionem recitabat. Atque sanctam hanc consuetudinem exinde illo in monasterio inolevisse, & legis cujusdam inviolabilis vim obtinuisse, eodem in libro scribitur.

Exẽpl. 6. S. Arsenius æquo animo defectus moneri sustinuit.

6. Abbas Arsenius (uti apud Simeonem Metaphrasten legitur) inter omnes suæ ætatis monachos sanctimoniæ fama & nomine notissimus, quique in sæculo vir primarius & illustris fuerat, (utpote Theodosii senioris Imperat. filiorum, Arcadii, videlicet & Honorii, qui patri deinde in Imperio successere, præceptor;) aliquot nihilominus defectus, etsi leves, habebat, qui sanctitati illius nequidquam derogabant. Nam quoniam in sæculo vir fuerat inclitus, & delicatiori vitæ generi assuetus, aliquæ ei jam tum converso, libertatis illius Palatinæ & Aulicæ, in qua hactenus egerat, reliquiæ adhæ-

 sere;

ſere : hinc fiebat, ut in communi cum aliis fratribus conſeſſu ſæpè pedem unum alteri ſuperimponeret. Qui pedum ſitus (utpote parum decorus, & modeſtiæ Religioſæ non conveniens) ſanctis illis Patribus non parum diſplicebat. Omnes quidem eum rei hujus commonitum volebant: at nemo ei audebat proponere. Grave enim & perdifficile ipſis videbatur, rei tam parvæ ac frivolæ Patrem adeò gravem ac venerabilem notare. Quocirca, quid opus facto eſſet, iis inter ſe deliberantibus, Abbas Paſtor, ſingulari vir prudentia & ſanctitate, commodum quoddam, cui mox reliqui aſſenſi ſunt, conſilium ſuggeſſit. Proxima, inquit, vice cùm conveniemus, eodem ego ſitu de induſtria pedes meos collocabo : vobis verò ejus me rei admonentibus, quamprimum demittam ; unde ille, ſe in hoc reprehendi arbitratus, mox etiam demittet ſuos. Placuit omnibus pii ſenis conſilium : quare, cùm proximè ad ſpiritualem collationem Patres conveniſſent, eo Abbas Paſtor pedes ſuos poſuit modo, quo ſuos poſuerat Arſenius. Patres ergo, hoc viſo, eum ob indecorum hunc ſitum, & malum omnibus datum exemplum, acriter coarguunt : ipſe verò, ilico ſe ad modeſtiam compoſuit. Arſenius, audito viſoque, quid in vicino fieret, velut aliud agens, ſuum ſenſim pedem demiſit. Tam benignè autem, teſte hiſtoria, obliquam hanc correptionem accepit, ut numquam exinde ampliùs eo pedes modo compoſuerit. Sic quiſque publicam aliorum reprehenſionem & correptionem, velut ſibi uni factam exiſtimare debet. Simul etiam hinc obiter liquebit ea, quam in alio corrigendo monendoque ſitam eſſe diximus, difficultas.

Caput VI.

De Regula & Conſtitutione Societatis, quæ jubemur fratrum noſtrorum defectus immediatè ad ipſum Superiorem deferre.

1. Nona Summarii Conſtitutionum Regula ſic habet: *Ad majorem in ſpiritu profectum, & præcipuè ad majorem ſubmiſſionem, & humilitatem propriam, contentus eſſe quiſque debet, ut omnes errores & defectus ipſius, & res quæcunque, quæ notatæ in eo & obſervatæ fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confeſſionem eas acceperit, manifeſtentur.* Cujus Regulæ magna perfectio quin quibuſdam mira & inſolens fuerit viſa, ne hoc aliis iterum contingat, vel ſcandali occaſionem det, res in hac Regula contenta paulò fundamentaliùs eſt explicanda. *Cap. 4. Exam. §. 8. Regul. 9. Summarii.* Societatis homines contenti eſſe debent quolibet moneri & ad ſuperiorē deferri.

2. Pro eorum igitur quæ dicturi ſumus, pleniore intelligentia & fundamento, norint oportet omnes, etſi omnes noſtræ Conſtitutiones à ſummis ſint Pontificibus approbatæ, confirmatæ & illarum initio præfixa ſit clauſula motus proprii Gregorii XIII. quo eædem approbantur, hanc tamen de fraterna correctione Regulam & conſtitutionem, ſpeciatim ab *Regulæ Soc. à Summis Pontif. approbata maximè iſta Regula IX.*

ab eodem Pontifice, & in judicio contradictorio (quod est peculiaris quædam conditio) approbatam fuisse. Cùm enim sacerdos quidam (qui olim de Societate fuerat, sed, ob inquietum & turbulentum ingenium, ab eadem dimissus erat) quamdam Summæ Cardinalis Toleti partem Romæ prælo subjecisset, & suppostitium ei de suo caput addidisset, in quo quandam esse ajebat Religionem, erga quam ipse (quòd viros ea doctos aleret) afficeretur, quæ Regulam haberet, directè Evangelicæ doctrinæ repugnantem, jubentem, videlicet, ut visi notatique in aliquo defectus, altero non monito, immediatè ad Superiorem deferrentur: è quo plurima sequi posse ajebat incommoda. R. P. Everhardus Mercurianus, qui tum Generalem Societatis Præpositum agebat, Summum Pontificem adiens, de hac injuria est conquestus. Hic tam librum hunc, quam Regulam nostram videre voluit: &, quæ Societatis quoad hoc esset praxis, accuratè inquisivit. Quo cognito, palàm declaravit, *Regulam hanc non modò Evangelicæ doctrinæ non adversari, verùm etiam apertè patere, nulli penitus calumniæ obnoxiam esse; imò Evangelicam & Apostolicam quandam in ea perfectionem contineri.* Simul edixit, ut spurium hoc libri assumentum, & partus suppositius proscriberetur: uti eum de facto Cardinalis Sirletus (cujus eæ ex officio partes erant) proscripsit ac damnavit. Uti refert P. Ægidius Gonsalvius in suis ser. spirit. utpote testis oculatus. Erat enim eo tempore Romæ assistens.

Idque ex vi regulæ & quas hæc passa sit calumnias.

Matt. 8. 15.

3. Satis quidem hoc testimonio hæc Regula justificata & propugnata videtur; ad majorem tamen satisfactionem & consolationem nostram, duo potissimùm hoc loco; disputationibus & argumentis scholasticis ad scholas amandatis, tractabimus: *Primò*, Regulæ hujus momentum & necessitatem declarabimus: *Secundò*, rationibus aliquot ostendemus, quàm ea sit rationi consentanea.

Regulæ hujus momentum ex necessitate & rationabilitate.

4. Quod ad primum attinet, Regulæ hujus momentum & necessitas, abundè ex alia magni etiam momēti Regula (qua cōscientiæ status Superiori patefieri jubetur, de qua tractatu superiori locuti sumus) constabit, omnes quippe rationes & congruentiæ, quas S. P. N. in Constitutionibus adducit, ad evincendum, suā quemq; Superiori conscientiam retegere debere, etiam pro hac Regula militant, ejusque momentum & necessitatem ad oculum ostendunt. Quas etsi illo loco fusè deduxerimus; ad duo tamē omnes reduci capita possimus. *Primū* est, ut suum Superior subditū meliùs gubernare, dirigere ac curare queat. *Alterum*, ut quæ ad universale Societatis bonū conveniunt ac necessaria sunt, hoc pacto meliùs provideat & statuat. Propter has ergo rationes, permagni interesse S. P. N. existimavit, ut de defectib. & erratis suis per quemcunque, dummodo extra confessionē is ea norit, Superior certior reddatur. Quendam autem hac in re habere voluit quasi fidejussorem ac

Argumentū ex necessitate.

Trac. 7. c. 1.

vicarium, si fortè tu ea, quæ & necessariò facere teneris, quæque partim ad tui unius, partim ad universale Societatis totius bonum tantopere faciunt, ex incuria facere negligas. Itaq; quod tu ex instituti tui præscripto facere debebas, & teneris, id supplet in hoc frater tuus. Idque totum ad maius cùm tuum, tum totius Religionis bonum spectat, utq; nostris in ministeriis, majore cum securitate procedamus, Superiores vero neminem naufragii periculo exponant.

Quam sit eadem Reg. rationi consentanea ostenditur ex praxi aliarum Religionum.

5. Quod ad secundum spectat, multæ ad Regulam hanc confirmandam, & æquissimam censendam, adferri rationes possunt. *Prima* sit, per antiquus rei huius, etiam in aliis Religionibus usus. In Franciscano siquidem Ordine idem prorsus quoad hoc servatur, quod in Societate Jesu, ut nimirum Superiori immediatè errata aperiantur, non præmonito delinquente; ut videre est in libro, qui inscribitur *serena conscientia*, quæstione CIV. Adhæc in statutis quibusdam generalibus dictis Barcinonensibus (quòd in Capitulo quodam generali Barcinone anno M. CCCCLI. indicto decreta sint) jubentur Fratres, qui foras prodierunt, domum jam reversi, Superiorem certiorem reddere, si quid majoris momenti & gravius foris sociis suis acciderit; qui verò id facere negligit, in pane & aqua jejunare, vel certè aliis pœnis, ex arbitrio Præpositi injungendis, addici jubetur. Idem quoque in antiquioribus Religionis statutis, in Capitulo quinto conceptis, reperitur. Denique, in Capitulo quodam generali (cùm S. Bonaventura Generalis Ordinis totius esset Minister) id est communis totius Capituli consensu suffragioque confirmatum & approbatum; insuper statutum, ut omnis in contrarium doctrina, velut pestilens, & totius disciplinæ Religiosæ destructrix, à Religione proscriberetur: qui autem eam docere præsumpserit, abstinere juberetur, suffragio adhæc cum activo, tum passivo privatus esset, denique etiam in custodiam compingeretur.

Antiquitas huius praxios in Ordinibus Religiosis monstratur.

6. Cæterùm ut appareat huius doctrinæ antiquitas, quantumque semper ab ijs, qui perfectioni incumberent, accepta fuerit & approbata; ecce tibi priscum quoddam Stephani & Pauli Abbatum antiquissimorum decretum, ab Abbate Smaragdo citatum; in quo inter alia sic legitur: *Si quis alterum in quacunque parte viderit illicitum quid operari, vel sermonem facientem, & distulerit Priori publicare, cognoscat se esse nutritorem & fautorem huius peccati, & per omnia æqualem peccanti.* Suspectus quippe de criminis participio est is, qui, cùm ipsum auferre & impedire valet, minimè impedit. Norit autem, inquit, *quia & animæ suæ, & illius quem tegit, est durißimus inimicus:* etenim non amicè, sed hostiliter erga eum se gerit. Adfert mox & aliud decretum, cuius hic est tenor: *Si quis autem alium, districtionem monasterii non ferentem, fugam meditari cognoverit, & non statim prodiderit: perditionis illius participem se esse non dubitet, & tamdiu à conventu Fratrum sequestrandus est, quamdiu*

In Commentar. super regul. S. Benedicti c. 23.

Ib. c. 24.

diu ille valeat revocari. Quare id non jam novum quid est, & nostræ Religioni proprium ac peculiare: sed perantiquum, & aliis etiam Religionibus usitatum.

Fundamentum huiusmodi Constitutionũ religiosarum.

7. Hæ vero Religiones in hisce suis decretis, factis circa denuntiationem defectuum, in aliquo extra forum pœnitentiæ observatorum, ad superiorem, absque præmonitione eius qui deliquit, in ipsius de correctione fraterna præcepti fine (ipsa, inquam, fratris mei correctione, & emendatione) fundatur: qui, ferè Superioris ipsius, non autem privati alicuius, operâ & adminiculo secuturus speratur.

Denunciatio ista in Soc. non est contentiosa sed paterna.

8. Secunda, (per quam Regula hæc confirmatur, & nec tantum rigorem ac difficultatem, ac nonnulli sibi finxere, continere, ostenditur) ratio est, quòd aliud nihil illa nobis præcipiat, nec alius illius in Societate usus sit, quàm ut defectus fratrum Superiori tamquam Patri spirituali aperiantur, quatenus eos ipse, pro paterna sua caritate & amore, tollat, & qui lapsus est, vel lapsui jam proximus, in pedes vegetus exurgat, & meliora respiciat. Uti id Regulæ vigesimæ Communium verba disertè declarant: quæ sic habet: *Qui gravem tentationem alicuius noverit, Superiorem admoneat, ut ei ipse pro paterna in suos cura ac providentia convenienti remedio possit occurrere.* Non defertur ergo culpa aliena ad Superiorem, tamquam judicem; neque etiam ita, ut ob eam in delinquentem animadvertat; sed tanquam ad patrem, qui prodesse reo queat, non obesse, & quod oportunum ac conveniens fuerit remedium, ei adhibeat, atque incommoda, quæ, nisi manifestaretur, & remedium adhiberetur, sequi possent, præcavendo antevertat.

Reg. 20. communium P. Francisc. Suarez disput. 34. de pœnit. sect. 4. nu. 22. to. 4. in 3. part.

Superior pro bono regimine potest inquirere in subditorum qualitates. ergo etiam ei denunciari possunt.

9. *Tertia.* Egregia prægnantique id ratione confirmare solebat R. P. Hieronymus Natalis, vir doctrina æquè ac virtute eximius. Moris, inquit, esse videmus in Ecclesia Dei, tam in regimine Ecclesiastico, quàm politico ac civili, ut accuratissima, antequam ad dignitatem aliquam quis assumatur, rerum etiam abditissimarum (pro diversa muniorum mandandorum qualitate) inquisitio instituatur. Hoc porrò non tam eò fit, ut delinquens pœnis quibusdam subjaceat, (etiamsi alioquin quid castigatione dignum occurreret,) quàm, quòd antè nosse velimus, cui Ecclesiam, domum, familiam, rem domesticam, animam deniq; meam concredamus. Jam in Societate Jesu nemo est, qui non ad missiones obeundas cooptari possit (sunt eæ namq; instituto nostro propriæ:) ad has autem virtus quædam solida, non elanguida, nec elumbis, qua bonum Religionis nomen disperdatur, & penitus destruatur, requiritur. Potest ergo Superior, tum per se inquirere, tum per alios de rebus his secretis & abditis certior reddi, & ad hoc Regulam hanc vsurpare; quatenus in tanti momenti negotio (quale hoc est, & cuius tantum cùm tua, tum Religionis totius inter est) certò procedat, & non decipiatur.

Commoda ex

10. *Quartò*, vt appareat quàm consit in ratione hæc Regula fundata, in

vna

denunciatione; & damna ex celatione sui nascentia componuntur.

vna bilancis lance damnum, quod tibi è defectu tuo, Superiori tanquam patri declarato, sequitur; in altera verò damna & incommoda ex ipsius celatione enascentia ponamus: videamus dein vtra pars alteri præponderet. Damnum profectò tuum, non est, nisi modica quædam infamia, aut exiguum honoris, quod subire tibi videris, detrimentum: sed quod ex harum rerum occultatione damnum sequi solet & potest, est *Primò*, quòd malum tuum maneat incuratum: quod cùm non tollitur nec præsecatur, semper increscit, vlteriùs serpit, & demum alios inficit. Sequitur *deinde* hinc magna cum tua, tum Religiosi tui instituti infamia, probrum ac dedecus: *Quia nihil occultum, quod non tandem reveletur*, serius aut citiùs, hac via, vel illa. Et quod antè facillimo negotio, vel aquæ lustralis aspersione curari potuisset, si modo initio Superiori (uti oportebat) dixisses; postea non nisi cauterio & ferro adhibito tolli poterit. Longè sanè id gravius est, quam modicus pudor, & exigua honoris jactura, quam incurrere inde te arbitraris, quòd Superior defectus tui reddatur conscius.

Luc. 12. 2.

Imo interdum tenetur homo, & quidem sub mortali denuntiare, & non reticere.

11. Quocirca disertè tibi affirmo, dum quis erratum fratris Præposito manifestat, eum adeò non in caritatem fraternam peccare, ut ipsum etiam ex instituti obligatione patefacere teneatur, &, nisi patefaciat, vix à noxa eum immunem pronunciare audeam; & tam gravi quidem, fieri ut possit, ut interdum ad mortalem ascendat, non quidem ex virtute Regulæ cum (Regulæ nostræ, uti antè dictum est, ad peccatum non obligent) sed ob gravitatem materiæ, incommoda, & damna, quæ hinc sequi & possunt & solent, quorum certè is causa est, qui cùm prævenire & impedire illa, in tempore præmonendo, potuit minimè impedivit: Cùm tamen ad id teneretur.

Tract. 6. c. 3.

12. Unde disertè & graviter S. Basilius huc nos exhortans ait: *Peccatum fratris tui occultare*, & Superiori retegere nolle, *nihil aliud est, quàm ægrum sua sponte ad mortem ruentem impellere, & procliviorem reddere*. Nam peccatum opertum & dissimulatum ad instar est ulceris cuiusdam interioris, semper introrsum corrodentis, donec ad usque præcordia pertingat, & hominem enecet. Unde, quemadmodum rem nobis gratissimam præstaret is, qui abscessum hunc aperiret, & inclusam illam purulentiam (etsi cum acri doloris sensu) foras derivaret; contrà, qui per speciem compassionis, apostema incidere, & vitiosum illum humorem & putiscentem saniem eijcere nollet, hostiliter nobiscum ageret: pari modo, ex eiusdem Basilii sententia, non amici, sed inimici opus agit, qui fratris sui erratum occultat, nec Superiori, seu medico & patri, ut & medicinam faciat, & remedium applicet, ipsum patefacere vult: tantundem enim facit, ac si eum ad mortem sua sponte ruentem impelleret, eamque quodammodo acceleraret. Eadem similitudine usus quoque est S. Augustinus: *Nec vos ait indicetis*

Simile. In Regul. fusior. n. 46.

esse

Reg. 3. c. 13. tom. 1. in fine. *esse malevolos, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari, cùm timet secari, nonne crudeliter à te sileretur, & misericorditer indicaretur: quanto ergo potius debes manifestare, ne deteriùs putrescat in corde?*

Dissimulatio in celandis delictis quàm sit noxia. 13. Quamobrem Dissimulatio hæc, non est lex charitatis: uti nonnulli in alienis culpis indicandis pigri & dissimulantes prætendunt, qui ne in legem virorum proborum & cordatorum (ut quidem id ipsi nominant) peccent: Sed est turpis & effœminata conniventia in culpa. Videant isti, quid in catalogo alienorum peccatorum legant, qui sibi honori ducunt, & rectè facere se credunt, quòd alienas culpas Superiori non indicent: magnamque in patefaciẽdis illis difficultatẽ sentiunt, quod hoc nõnisi cũ honoris sui existimationisque detrimento se facturos putant: palamque dicunt, nolle se dissensionum zizania spargere; ulli damnum inferre, aut quemquam apud Superiorem insimulando traducere. Non est profectò ille spiritus Religiosus, nedum Societatis Jesu, sed lex quædam mundi, mala consuetudo, nec non amicitia & confidentia sæcularis, Religionique maximè perniciosa: non est hoc, schismata & divisiones causare, non maleficio fratrem, sed beneficio singulari afficere: contrarium verò, tam illi, quàm Religioni noxium est. Quis porro ita erit excors, ut toti Religioni suæ esse velit infidus, quò alteri cuipiam privato homini & uni personæ gratificetur? utri magis obnoxius es, huic ne privato, an Religioni? Dissimulatorem certè esse, & ut talem vulgò haberi, ignominiosum est, & honori suo detrimentosum ducere quisque prudens debet, non autem, quòd Religioni fidus sit, & serius Regularum suarum observator. Sic quoque rem hanc concludit S. Basilius: *Nemo sit ergo*, inquit, *qui peccato alterius latebras quærat; ne pro amore, quem fratri debet, exitium illi conciliet.* Nullas ergo mali ac infirmitatis fraternæ occultandæ rationes conquiras, sed eam medico (qui ei antequam incurabilis fiat, vel ignem ferrumque adhibere necesse sit, mederi debet) quantocyùs revela. Et erit hoc veri in fratrem amoris, sinceræque caritatis indicium. Hac enim ratione fratrem tuum lucraberis, cui alias præsentem fortasse perniciem creabis. ubi supr.

Peculiaris obligatio Hominum in Soc. ad tolerandum se denunciari. 14. Hæ aliæque id genus rationes, quas tum Theologi, tum sancti Patres passim adferunt, satis sufficienterque probant, regulam hanc justissimam esse & sanctissimam, etsi nullam sui juris, quoad suam famam, cessionem fecerit in aliqua Religione religiosus. In Societate tamen alia peculiaris, præter eas quæ dictæ sunt, adhoc nos impellere debet ratio. Est autem hæc. Cùm primum quis in eam admitti & cooptari postulat, ei Regulæ, & ipsum observandarum Constitutionum Summarium (in quo isthæc Regula legitur inter alias) evolvenda traduntur: rogaturque, num

num paratus sit eas servare? quin imò circa hanc ipsam Regulam singillatim consensus ejus exquiritur, num videlicet id, quod illa præscribitur, ratum habere velit. Quod ipsum & postea, singulis semestribus, in Novitiatus biennio, antequam ad votorum nuncupationem admittatur, ab eo quæritur. Adhæc ipse Novitiorum magister Regula sua jubetur, Novitiis enucleatiùs declarare ea circa quæ aliqua ipsis postea difficultas posset suboriri: inter quæ hoc ipsum, quo de agimus, speciatim nominatimque exprimitur. Ipse quidem Magister hæc iis proponit, illi verò se contentos fore spondent, tùm ad magis in spiritu proficiendum, tum *ad majorem sui humiliationem & submißionem*, ut in Regula significatur, quod est, alia & nova circumstantia, ad hoc ipsum magis facilitandum, mirificè faciens.

Reg. 15 Magistri Novitior.

Quilibet habet potestatem renuntiandi juri suo, quod habet ad honorẽ non necessariũ.

15. Certum autem est, hominem, cùm primùm Religionem ingreditur, posse, ad majorem perfectionem comparandam, suo quoad hoc juri renunciare, plenamque facultatem dare & permittere, ut omnes sui defectus Superiori immediatè (ita ut necesse non sit antea se præmoneri) manifestentur; quisque enim sui honoris & famæ dominus est & dispensator hinc, ad majus bonum suum, & spiritualem profectum, potest enim, apud Superiorem, suum deserere, uti cætera bona sæculi, dum nulla particularis subsit circumstantia (qualem hîc non subesse certum est) quæ eum tueri, & conservare, nec prodigere suadeat. Sicuti enim licitè suum peccatum (quantumlibet grave & occultum) Superiori retegere & manifestare potest; ita potest & alteri illius manifestandi potestatem facere. Hanc porro resignationem juris ad famam non necessariam in manus Superiorum suorum faciunt, quicunque Societatem ineunt, per eum ipsum, quem ab iis exigi diximus, consensum, quo paratos se dixere facere, quidquid hac Regula præscribitur. Quod re ipsa aliud non est, quàm jure suo prudenter & utiliter cedere.

A pari argumẽtũ aliud.

16. Perinde ac si ab aliquo, qui mihi in confessione, vel aliàs sub sigillo secreti, grave quoddam scelus aperiret, peterem, velitne, vel annuat, ut, quò meliùs sibi adhibeatur remedium, crimen hoc cum Superiore meo, viro apprimè docto ac prudente communicem; & ille haud abnuere se significaret; certum est, eum juri suo, quod habebat ne cui crimen ejus aperiretur, hos dicendo renuntiasse, me verò eàdem operâ, jus ad ipsum cum Superiore meo communicandum acquisisse.

Nec solum speculativè Novitiis proponitur, sed practicè & in actu exercito eam experiũtur.

17. Huc accedit ordinaria Societatis, quoad Regulæ hujus observationem, praxis, quam toto biennio Tirones, antequam ad vota emittenda admittantur, vident: è qua notitia abunde intelligere possunt, juri se suo hac in parte tacitè & implicitè renuntiasse, etsi nominatim & expressè ei se renuntiare non profiteantur.

Aliud a pari argum.

18. Sicut & Monachus Carthusianus naturali, quod ad vitæ conservationem habet, carnem comeden-

de,

do, juri per ordinariam quoad hoc Religionis suæ praxim, cedere videtur: tametsi in particulari & nominatim ei se renunciare non dicat; cùm tamen jus vitæ conservandæ majus sit & prægnantius, quàm famæ.

Iterum aliud. 19. Ac sicut, qui Ordinibus sacris initiatur, implicitè juri quod ad nuptias ineundas habebat, renuntiat, & solenni castitatis servandæ voto obstrictus manet, licèt in forma & conceptis verbis ejus votum non emittat.

Eadem Responsa juridica. *Refert id R.P. Ægidius Gonsalvius ser. spirit. 15. super hāc Reg.* 20. Unde etiam B. P. Franciscus de Borgia, cùm Generalem Societatis Præpositum ageret, ad postulata quarundam congregationum provincialium in Hispania celebratarum, (rogantium videlicet, an, qui in Societatem recens cooptabantur, suo quoad hoc juri renunciarent) respondens, disertè, eos renuntiare, affirmavit. Porro Societatis Jesu Præpositus Generalis plenam ab Apostolica sede (quemadmodum è Bullis & Privilegiis nostris liquet) Constitutionum nostrarum declarandarum facultatem accepit. Denique, posteaquam hæc scripsimus, idipsum est in VI. Congregatione generali absolutè constitutum, &, ut Novitiis ita declararetur, mandatum. *Congregatio VI. gen. Soc. Decret. 49. can. 10. & 11.* Atqui (ut ibidem legere est) ipsa generalis Congregatio privilegium summo Pontifice accepit, ea quæ in rebus instituti sui dubia & obscuriora occurrunt, declarandi & evolvendi. Monet autem eo loco Congregatio, verba illa Regulæ (*per quemvis qui extra confessionem eas acceperit*) de iis intelligi rebus oportere, quas alius quis per se notabit & advertet; non autem de iis, quas ipsimet cum alio secreto, & consilium ab eo, quo dirigantur & adjuventur, petendo, communicabunt. *Decr. 350 can. 6.*

Conclusio dictorum. 21. Omnes ergo, quæ circa hoc suboriri possent, difficultates, & conquerendi murmurandiq; occasiones, hoc modo sic penitus subactæ & cōplanatæ manent. Nā scienti & volenti non fit injuria. Jā inde ab initio, cùm primùm in Societatem adscribereris, dictum tibi fuit, talem in ea Regulam & consuetudinem observari, & tu paratum te dixisti collum tuum jugo huic subjicere. Quare si postea ægrè feras, injuriamque tibi irrogari credas, quòd delicta & errata tua Superiori declarentur; ne culpam in Regulam & fratrem tuum, qui eam servat, conferas; nec tam de illo, quàm teipso conquerere: quòd, cùm plus virtutis & humilitatis præferre te oporteret modò quam in principio, tamen præferas minus, cùm eandem jam dispositionem non senties quam sentiebas tunc. In hoc, videlicet, totus difficultatis (quam in hujus Regulæ observatione nōnulli sentiunt) cardo versatur. Unde etiam, quod ad eandem inprimis necessarium est, fundamentum S.P.N. signanter in ipsa expressit, *humilitatem* scilicet, *& ardens proficiendi in spiritu desiderium.* Istud si habebimus, gaudebimus haud dubiè, unicuique culpas nostras notas esse, ut sic minoris fiamus, & magis vilipendamur; tum verò majus nostrum

erit gaudium, si ob easdem corripiamur & commonefiamus. Sanè, is modicum humilitatis & virtutis habeat oportet, qui ne in hoc quidem eam habebit.

Caput VII.

Dantur aliquot, quoad hanc materiam, permagni momenti monita.

1. Monitum de correpto, quid post correptionem observare debeat.

1. Ex hactenus dictis quædam colligere possumus monita: alia quidem usui futura correpto, alia ipsi monitori & corripienti. *Primò*, monitus & correptus ante omnia aduertat, perinsignem errorem esse, magnæque imperfectionis iudicium, quòd, cum quis à Superiore defectus alicuius notatur & commonefit, indignè id ferat, moxque apud se, cogitando inquirat, *Ecquis ad Superiorem hoc detulerit, an non plus æquo dixerit, remque nimium quantum adauxerit: dein querulus apud alios de hoc expostulet, & modo apud hunc, modò apud alium dictitet, rem non ita vt delata est, peractam, nec tam grauem reuera fuisse, quam Superiori significatum est.* Grauius crimen est, ac sæpè magis alios hac sui purgatione importuniùs obtrusa offendit quis, & scandalizat, quam ipso facto. Quid enim? Scimus omnes, esse te hominem, & defectibus obnoxium: at, dum quis ita frendet & tingitur, eum tunc longe imperfectiorem iudicamus. Ostendit enim suam superbiam, simul etiam occasionem alijs dat suspicandi, quòd de sui emendatione & profectu ne hilum laboret; & profectu ne hilum laboret; & duntaxat sit de exteriori sui ostentatione, & opinione apud alios & æstimatione sollicitus. Vnde benè D. Bernardus. *Qui procaciter etiam aperta defendit*, fortassis etiam mendaciolo aliquo ea subinde excusat, *quomodo occultas & malis cogitationes cordi suo aduenientes humiliter reuelaret Abbati?* Verus humilis, qui seipsum cognoscit, & quod reuera est haberi vult, non percellitur, quodcunque demum de ipso dicitur, nihilque ei hîc nouum & inexspectatò accidit: vt qui semper maiores adhuc in se defectus agnoscit, & pauca de se dici putat, respectu eorum quæ dici possent. Tuus tibi defectus videtur minor esse quã reuera est, sæpè etiam ne defectus quidem appellandus, quòd eum oculis, ab amore proprio excæcatis, intuearis: alteri verò suus, vtpote eum oculis omnis passionis expertibus intuenti multò apparet maior, & talis qualis in se reuera est. Demus verò, delatorem plus æquo rem, proptereà quòd illi ita videretur, exaggerasse; non meministi, te, cùm Religiosum institutum primùm amplecterereris, interrogatum paratusne fores ad injurias patiendas, falsa testimonia excipienda, & ad contumelias atq; infamiam, tam à domesticis quàm externis irrogatas ferendum respondisse, ad omnia te paratum esse? Quomodo ergo nunc eius te promissi cepit obliuio seu pœnitendo? Gaudendum potiùs tibi erat, quòd alter recta intentione, & sine ulla sua culpa, plus dixerit, quàm verè à parte rei suberat. Imò tametsi id alter non recta intentione, sed prauo affectu dixisset; tuiipsius tamen causa

De gradib humilitatis. grad. 8.

causa in sinu lætari debebas, ut hoc pacto magis humilieris, ac Christo Redemptori tuo fias similior: quanto ergo magis, cùm id bona intentione factum est, & verum in hoc se ille dixisse putavit; ita prorsus rem se habere ratus? Ita si feceris, plus tum apud Deum, tum apud homines lucraberis; sin minùs, unde tibi secuturum speras compendium, dispendium patieris.

2. Monitum. Nec adeat corripientem aut delatorem.

2. Gravior etiam & intolerabilior error foret, si quis comperto, à quo sit, ad Superiorē delatus, ipsum adeat, & expostulando petat, cur se detulerit, cur rē exaggerarit, cur aliter quam acta est, narrarit: aut si propter hoc aliquam ab ipso aversionem vultu factove præferat, evidenter ostendens, ob hanc se denuntiationem indignari, & denuntianti succensere. Quisquis verè se emendare, & proficere in spiritu cupit; optare potiùs deberet, ut multi super se oculi excubarent, censoremq; agerent, ut sibi in eo, quem spectat, scopo auxilii sint, ac quodammodo vel invitum propellant. Ita id optabat S. Bernardus quodam loco sic de seipso scribens: *Quis dabit*, inquit, *mihi centum in mei custodiam deputari pastores? quanto plures sentio mei curam gerere, tanto securior exeo in pascua. Stupenda insania! animarum non cunctor turbas mihi custodiendas colligere, & unum super propriam gravor habere custodem. Plus timeo dentes lupi, quàm virgam pastoris.* Illi scilicet timendi sint: nam pastoris commonitio & sibilus non nisi exoptandus es.

Epist. 42.

3. Monitor verò advertat *Primò*, se fratris defectus immediatè Superiori, idque sine ullis ambagibus & circuitionibus, velut patri, & sub talis secreti sigillo, quale culpa ipsa exigit, aperire debere: vt ipse, ceu pater, pro paterna sua cura ei remedium adhibeat, & quod inde consequi posset damnum, prudentia sua auertat. Quod est sanè cum primis notandum: fieri enim aliquando posset, vt alienam quis culpam non Superiori, sed alicui priuato, qui medicinam ei facere non posset, patefacere vellet. Quod profectò citra peccatum non fieret; quia fratri suo hac ratione detraheret, eiusque famam læderet.

Monitū 3. Monitor deferat rem ad Superiorem immediatè.

Regul. 10. Sūmar. A passione se liberet, & charitatem induat.

4. Secundò, quomodo in hac culpæ manifestatione procedendum sit, ipsa indicat Regula, cum jubet, ut *debito cum amore & charitate fiat.* Quæ verba Pontificem Gregorium XIII. Regulas has examinantem, mirificè recrearunt, ac consolationi fuere. Qui ergo in hoc rectè, & prout oportet, procedere volet: videat accuratè, num qua sinistra passione vel invidentia ad hoc emoveatur; num indiscretus aliquis zelus se præcipitem abripiat, qui se faciat præ festinatione subitò à pede transvolare ad manum, coactè & violenter harum rerum narrationem obtrudere, & velut intorquere, denique rem immensum augere, faciendo è musca elephantē, vel è casu particulari generalem conclusionē & ordinariū quid eliciendo, vel deniq; ut certum obrudendo, quod non nisi mera suspicio est, & forsan nonnisi nuda

cerebelli sui imaginatio. Id quod multorum scrupulorũ, turbarumque ac tumultuum variorũ est seminarium.

4. Monitum. Monitore etiãsi auscultare nolit, nõ ideo ab officio desistat. 5. *Tertiò*, notandum est, eum qui alium corripit & commonet, non propterea, quod hic officio & partibus suis deest, nec monitionem datam æquo animo excipit, à monendo desistere debere. S. Augustinus, eum, qui salutarem correctionem parum æquo animo accipit, similem esse ait ægro phrenetico, cerebrumque emotum habenti, ac proinde medicum eiusque medicamenta à se repellenti. *Quid ergo?* inquit, *ideone deserendus? ideone remedium ei non applicandum? minimè gentium. Nam & phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari; sed perseuerat diligentia caritatis phreneticum ligare, lethargicum stimulare, ambos amare. Ambo offenduntur, seu ambo diliguntur, ambo molestantur, quàm diu ægri sunt, indignantur, sed ambo sanati gratulantur.* Sic & fratrem nostrum facturum, sperare debemus: tametsi tum, cùm reprehenditur & coarguitur, fremat, ringatur, & indignetur; postea tamen, cùm, ad se rediens, rem tacitus & coram Deo considerabit, rationem facti visurus est, quod sibi collatum sit beneficium, agniturus, & gratiam propterea relaturus. Si bruta, & animalia, *quibus non est intellectus*, quantum libet recalcitrent, & refractaria sint, homines nihilominus non sine magno labore, sæpè etiam cum aliquo periculo, curent; à quibus tamen nullam (eò quòd ad hoc intellectu carent) gratiarum actionem, remunerationem nullam exspectant; quanto, inquit ille Sanctus, æquius erit, vt nostrum ipsi fratrem curemus & corripiamus, *Ne pereat in æternum?* habet is intellectum, & beneficium sibi collatum postea poterit agnoscere, ob hoc gratias agere, ac vicissim benefactoribus aliqua in re gratificari, juxta illud Salomonis: *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit.* Ad hoc propositum adfert S. Basilius illud Apostoli, ad Corinthios scribentis: *Et quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?* Id est, illa molestia & grauamen, quam è correctione mea iam capitis, mirè me recreat, quia video illã tandem felicem lætumque exitum habituram. Et rursum: *Ecce hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantum in vobis operatur solicitudinem:* Id est, quod modo pungit & cruciat, certa salutis & sanitatis est occasio: hoc quippe vos in posterum cautos reddit & circumspectos: vnde & verè tristitia secundùm Deum est, eò quòd vitæ emendationem causetur. At dices, nonnullos correctione & correptione deteriores reddi & indurari. Ad hoc egregiè respondens S. Augustinus: *Nunquid, ait, ideo negligenda est medicina, quia nõnullorum est insanabilis pestilentia?* nequaquam: ergo nec ideo omittenda correctio & reprehensio, quod quidem ea non proficiant, nec meliora respectent. Medicus, tam spiritualis, quàm corporalis, faciat semper quod suarum est partium, & quod ars sua adhibendum præscribit: nec

sta-

Marginal notes: Epi. 167. & 87. ad Felicitatẽ & Rustic. — Aug. epi. 50. ad Bonifaciũ. — Ps. 31. 9. — Prov. 28. 13. Reg. fusior. n. 52. — 2. Cor. 2. 2 — 2. Cor. 7. 11. — Epist. 48. ad Vincentium.

statim ei est de ægroto desperandum, sed quæcunque habet remedia, adhibenda & probanda.

5. Monitum. Quis modus in correctione servandus. Reg. fusio. nu. 50. & 51. & in brevior. nu. 9.

6. Modum autem, qui in correctione seruandus sit, sic definit S. Basiliùs: Qui alium peccantem corrigere & commonere studet, medicos corporales imitetur: nam, vt hi non tam indignantur ægro, quàm infirmitati, & aduersus hanc iræ ac stomachi sui vim omnem conuertunt ac detorquent; & huic pellendæ quascunque habent, artes & remedia adhibent: ita cui corripere propositum est, non tam aduersus hominem lapsum insurgere & indignari debet, quàm omni quo valet conatu & diligentia, in defe&u vitioque, quod notauit, ab fratris sui anima dispellendo incumbere. Quo autem in hoc sit modo procedentum, mox similitudine declarat. Non secùs, inquit, ac procederet pater medicus, qui filium dilectissimum à letali grauique vulnere sanare vellet. Qua enim hic circumspectione, quàm leniter, blandè, suauiter eum curabit! vtpote qui filij dolore nōmin⁹ dolet, quàm proprio. Hoc ergo & Superior modo, eâdē circumspectione, eâdē suauitate & lenitate, subditos suos (q filij ei⁹ spirituales sūt) curare debet, nimirū (vt loquitur Apost.) *in spiritu lenitatis.* Vnde scitè & grauiter S. Augustinus inscribit: *Tyrannus & carnifex trucidans, non considerat quemadmodum laniet,* qua parte, & quomodo commodiùs minorique cum dolore artus deartuet: *Qui autem curat, considerat* priùs & despicit, *quemadmodum,* & quo in loco, *secundum sit;* cauteque & circumspectè procedit: sanare enim vult, non occidere. Ad eum modum & Superior, qui inferiorem correctione ac reprehensione sanare vult, non exacerbare vel torquere, procedat oportet.

Galat. 6. Epist. 48. ad Vincentium.

Passio & iracundia absit à correptione. 2. par. tract. 2. cap. 8. Basil. in regul. fusior. num. 50.

7. Est hoc enim permagni momenti consilium, & plurimi semper à sanctis Patribus habitum & commendatum. Caueat ante omnia, inquiunt, is qui alterum corrigere studet, ne qua se passione, iracundia, vel indignatione ad hoc agi moueríque ostendat; quia sic totum rei successum euertet: nam non erit id, alium curare & persanare, sed deteriorem reddere & indurare. Et ad hoc confirmandum adducunt illud Apostoli Timotheo suo scribentis: *Cum mansuetudine corripientem eos, qui resistunt veritati.* Etsi autem in Vulgata nostra versione legatur, *cum modestia;* in idem tamen recidit sensus: vt enim *cum modestia* correptio fiat, omnis passionis & turbationis expers sit monitor oportet. Correctio denique tam amanter, ea verborum dulcedine, moderatione ac modo, & tam amicabili gratia fiat, correctus vt intelligat, eam nonnisi è visceribus caritatis, & è magno erga bonum suum affectu proficisci. Hoc namq; modo ipsa egregiè prodesse, & juvare monitum solet.

FINIS.

L.J.C. ℞

Liber hic omnium aliorum Sp[irit]ualium vere optimus, a
poto qui fundamenta omnis Sp[irit]ualitatis tradit
et docet exercere, hic est omnis fons vitae Spiritualis
quem primis labiis incipientibus adeo est gu-
standum et hauriendum, ut sine illo ad perfe-
ctionem vitae contemplativae difficile sit pervenire

guidente 20 Xbris [illegible]


8|36,0 18|1484|16|1200

21

16
80
1280

16|80|5

Sit Nomen Domini Benedictum in Saecula.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0029617

